

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVIT

Dr. JOAN. CONRAD. IRMISCHER,

ECCLESIAE NEOPOLITANAE ERLANGENSIS PASTOR ALTER.


TOM. XVII.

CONTINENS ENARRATIONES IN PSALMOS XXV. PRIORES ET SEQUENTES ALIQUOT (NUNC PRIMUM TYPIS REPETITAE).

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXLVI.



Praefatio editoris.

Rarissimum longeque ignotum harum Lutheri enarrationum textum originalem ac latinum cum germanico mixtum, quem a Viti Theodori filiis et heredibus e patris codice manuscripto anno 1559 Norimbergae editum proximo anno fortuito tantum in bibliotheca Norimbergensi deteximus, nunc primum typis repetendum curavimus. Cujus cum nemo hominum de Lutheri scriptis meritorum unquam mentionem fecisset, factum est, ut nos aeque ac antecessores lateret. Quorum igitur vestigia prementes textum hujus scripti mere germanicum, quem Basilius Faber anno 1560 primum ediderat, collectionis nostrae scriptorum a Luthero vernacula lingua exaratorum volumini sexto inseruimus. Quod si Norimbergensis editio tum nobis jam innotuisset, ex regula nostra omittendum videri potuisset. Tamen quod inscie fecimus, recte factum esse, nemo negabit, qui has enarrationes sermone mixto

habitas ambabus linguis, et latinae et germanicae, adnumerandas esse secum reputat.

Primus omnium Aurifaber duodecim priores harum Lutheri enarrationum anno 1548. Erfordiae sic inscriptas edidit: „Kurze und tröstliche Auslegung über die ersten XII. Psalmen, so D. Martin Luther seliger Gedächtnifs im XXX (1530) Jahre zu Coburg auf dem Schlosse seiner guten Freund Einem zu Trost und Unterricht vorgeschrieben.“ Sed e quo fonte textum suum hauserit Aurifaber tacet. Anno 1559. Viti Theodori filii et heredes textum nostrum ediderunt. Anno 1560 textus Basilii Fabri mere germanicus, item haud dicto unde repetitus, in lucem prodiit, quem anno 1565 Aurifaber in collectionis suae volumine secundo, deinde Sagittarius, Boernerus et Walchius totum receperunt, editionis principis Norimbergensis ne verbo quidem memorantes. Quam igitur cum et in collectionibus Lutheri scriptorum neque Vuitembergensi neque Jenensi reperiatur, denuo typis repeti justum visum est. Praeter has enarrationes Vitus Theodorus praelectiones alias sequentibus annis Vuitembergae calamo exceptas in psalmos XXIII. XLII. XLV. LI. LVI. LXXXI. CXXVIII. CXXXIII. CXXXVII. CXLVII. et CXLVIII. et annotationes quasdam Lutheri manu scriptas in

psalmos XXIII. XXIV et XXV. reliquerat, quas filii et heredes, illas mixto, has latino sermone, una cum Coburgensibus ediderunt.

Quam praeclare Lutherus in his enarrationibus psalmo II. de regno Christi, ps. XVI. de merito passionis Christi, ps. XIX. de Evangelio, ps. XX. de magistratibus, ps. XXII. de passione, morte et resurrectione Christi, de justificatione etc. locuerit, jam Aurifaber monuit. Seckendorfius autem magis memorat, quae ad historiam aevi Lutheriani, in specie ad Georgium Ducem et Cajetanum Cardinalem, spectant. „Reperiuntur," inquit, „in notisillis praeter exegetica et dogmatica aliqua ad historiam temporis illius pertinentia, et ad hostium et adversariorum saevitiam et insidias, quae et ipsi et Saxoniae Electori metuendae erant, quas cum Davidicis persecutionibus comparat. Nominat haud semel Georgium Saxoniae Ducem, dein Fabrum, Eccium, Cochlaeum; vid. ps. XVII. 6. ubi dicit: Herzog Hans von Sachsen ist gar verlassen, Jedermann hoffet, dass wir darob zu scheitern gehen. Darumb hilf, lieber Herr!" Ad ps. XVIII. 32. observat summam, quam adversarii in Caesaris potentia ponebant et palam jactabant, fiduciam. „Der Papisten Gott ist Mammon, Herzog Georg ist der Bischoffen Gott, und ihr öberster Gott ist

der Kaiser, der solls gar thun. Das heisset confidere in homines, non Deum habere." Ad ps. XX. 3. Usingius (Erfurdensis) dicit: Nos Caesarem totum pro nobis habemus et longe plures sumus Lutheranis. Sed et magno animo minas illas sprevit, et de Dei auxilio certus est. „Sic", ad ps. XVIII. 1 animadvertit, nunc runnt in nos Pontificii et Schwärmerii, nos tamen sumus in petra Christo; da stehen und trotzen wir auf, etiamsi alii in haereses cadant, nos tamen servamur;" et ad ps. XX. 3: „Ich stelle unserm Hergott die Sach so frei heim, dass ich auf den Landgrafen nicht poche, auf meinen Herrn auch nicht, und fürcht mich gleichwohl auch nit für jenen," (den Gegnern). Ad ps. XXI. 13. „Also gehet Herzog Georg stracks von Gott abgekehrt. Daraus folgt, dass ihm wiederumb nimmer nichts für sich gehet." Ad ps. XXV. 19. „Wenn mich Herzog J. angreift, darf ich wohl sagen, er thue mir Unrecht, denn H. J. sitzt nicht in dem Richterstuhl, da Gott inne sitzt. Gott kann sagen zu mir: Du bist ein Bub, H. J. und die ganze Welt kann es nicht sagen." Refert etiam quaedam sui temporis exempla: „hostes, ait, ob unicum quoddam caput, quod improbant, decem millia rejiciunt, quae improbari non possunt; et vicissim decem millia dissimulant, si unum

placebat. Unde Cardinalis Cajetanus Augustae mihi dixit: revoca unicum articulum de meritis Sanctorum, et fatere, illum esse thesaurum indulgentiarum, hoc facto cetera tibi omnia permittentur. Ita (pergit) nunc unum maxime objectant, quod coelibatum sacerdotum sustulimus, et virginum claustra reseravimus, ob hoc funditus cupiunt nos destruere." In annotationibus posterioribus queritur (ad ps. LXXXI. 6.) de securitate hominum sui temporis, qui tam facile praeteritorum malorum obliviscuntur. „Sic nos jam obliti sumus calamitatum, quas sub papatu et conscientiae et corpora et fortunae nostrae sustinuerunt." Ps. CXLVII. „Nos jam vivimus perinde, ac si nulla unquam pestis, nulla annonae caritas fuisset, ac si nullus Turca obsedisset Viennam, nullus sudor anglicus fuisset etc. Habemus evangelium, vivimus igitur perinde atque si nullus unquam papa, nullae indulgentiae, nullum unquam purgatorium, nulla confessio, nulla satisfactio fuisset." Meminit etiam ad ps. XXIII. 3. hominum, qui doctissimi et optimi inter Christianos haberi volunt, sed naturae et voluntati suae frenum laxant, idque vocant ingenuum et liberum cultum, eine freie Dienstschaft Gottes; agere se dicunt, quae ratio probat; irrident obsequium, quod religioni praestatur; securi sunt, quia

nihil mali, ut ajunt, faciunt, sed vivant ex dictamine rationis. Denique ad ps. XXVI. 6. de studiis hominum, qui in cultu Dei ceremonias et ritus sectantur, et in his viam salutis quaerunt, alios supercilipse despiciunt, seipsos vero mire inflant, multa queritur, cum interim negligant viam a Deo monstratam, puritatem cordis et mortificationem veteris hominis; quas solas exigit praeceptum Christi. (Seckend. hist. Luth. lib. II. Sect. 36. §. 83. p. 218.)

Editio princeps et unica.

IN PSAL-|mos viginti quinque | PRIORES, ET SE- | QVENTES ALIQVOT | enarrationes breues et eru- | ditae Reuerendi patris | D. Mar. Lutheri | PIO STVDIO AC DI- | ligentia M. Viti Theodori No- | ribergensis collectae. | Nunc demum in lucem aeditae. | Catalogum Psalmoru praefationi subjecimus. | M. D. LIX. 8vo. Paginis omissis epistola dedicatoria litera a, textus vero literis A—Z et a—m. infra lineas signatus est. In fine legitur: NORI- BERGAE | Excudebant Ioannes Montanus | et Vlricus Neuberus. (Sign. bibl. th. 82.)

In collectionibus

hic textus mixtus non reperitur.

IN PSALMOS VIGINTI QUINQUE

PRIORES ET SEQUENTES ALIQUOT
ENARRATIONES BREVES ET ERUDITAE
REVERENDI PATRIS

D. MAR. LUTHERI

PIO STUDIO AC DILIGENTIA M. VITI THEODORI
NORIBERGENSIS COLLECTAE.

NUNC DEMUM IN LUCEM EDITAE.

CATALOGUM PSALMORUM PRAEFATIONI *)
SUBJECIMUS.

MDLIX.

---

*) Nos operi.

Illustrissimo pietate ac virtute principi et Domino D. Christophoro duci Wirtenbergensi, et Teccensi, et comiti Montbelgardi, etc. Domino suo clementissimo.

Exstat in historia regum Juda insignis et digna inclyto heroe et propheta concio, qua post tot et tantas res gestas David animo secum reputans illarum omnium auctorem et ducem, filium Dei, Messiam sibi promissum celebrat, atque inter cetera dona spiritus de se hoc praedicat, quod sit egregius psaltes Israel, seu dulcis in carminibus Israelis. Qua laude ut ipsi in hoc fastigio regni nihil fuit prius aut jucundius, ita coetui Israelitico sive ecclesiae omnium temporum dulcissima illa et divina cantica commendare usumque eorum demonstrare voluit. Neque enim quidquam tam triste aut adversum homini in hac mole aerumnarum communis vitae unquam acciderit, cui non remedium aut levationem aliquam suavitas horum carminum queat adferre. Testatur hoc experientia piorum singulis aetatibus, et exstant hodie in eam sententiam plurima et luculenta encomia eorum, qui certaminibus spiritualibus graviter exercitati, hoc subsidio adjuti felicissime eluctati sunt. Nec vero ulla pars doctrinae coelestis est, quam numeris suis non sit complexus divinus psaltes, adeo ut praeclare et pie D. Martinus Lutherus psalterium parva biblia nuncupaverit, quod in eo omnia, quae in totis bibliis

plicatius et fusius tradita sunt, mira et jucundissima brevitate in elegantissimum enchiridion sint coacta. Cum itaque ex bibliotheca carissimi patris nostri Viti Theodori haereditate nobis obvenissent enarrationes D. Lutheri in psalmos aliquot Davidicos, quas ille sua manu partim ex ore praelegentis exceperat, partim de αὐτογράφῳ D. Lutheri transscripserat, mirifice nobis de hoc thesauro gratulati sumus. Nam et viva voce parens eum nobis commendaverat, et quantum quidem per aetatem assequi et intelligere nunc licet, facile apparet virum Dei ingenti ardore fidei ac spiritu, difficillimo tempore, hac suavissimorum carminum meditatione animum suum erexisse, et eos, qui tum in eadem navi jactabantur, confirmasse. Agebatur annus ab instaurata mortalium vita et salute supra millesimum quingentesimum tricesimus, cum illustrissimus princeps Joannes dux Saxoniae elector Augustam ad conventum imperii profectus clarissimos pietate et eruditione viros illuc secum adduceret, quorum judicio praecipua capita doctrinae purioris conscriberentur, cum suo tum aliorum quorundam ordinum imperii nomine imp. Carolo V. exhibenda. Ibi D. Lutherum propter immania odia et minas pontificiorum Coburgi in arce subsistere voluit, ut per literas saltem confessionis et omnium actionum consilia gubernaret. In ejus vero comitatu et familia toto illo tempore conventus Augustani fuit parens Coburgi, cumque viri Dei studiosissimus esset et observantissimus, summa diligentia de multis gravissimis rebus, de certaminibus cum omnis generis adversariis, de futuris eventibus, de abolitione abominationis stantis in loco sancto disserentem audivit. Ac nobis quidem saepenumero praesentiam et magnitudinem animi, fidem et

spem ejus immotam, invocationem rebus admodum exulceratis atque hostium summa potentia et astu ardentissimam commemoravit. Quae sane omnia in his brevibus annotatiunculis evidentissime cernent bonae et piae mentes. Quantus enim zelus est in adversarios doctrinae coelestis, quam dulcis erga illustrissimum principem et παραςάτας suos ςόργη, denique quam miserabiles querelae de intestinis dissidiis, quibus, ne quid deesset periculi ecclesiae Dei, quidam doctrinam sinceram de sacramentis jam tum coeperant labefactare et convellere. Proinde de bibliotheca paterna promere, et cum amantibus pietatis et scriptorum Lutheri haece explicationes communicare visum est, ut ad fidem et invocationem hisce tristissimis et novissimis temporibus animi conturbati excitentur, et quod David de se dicit: „Iste pauper clamavit, et dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus salvavit eum,“ eodem exemplo moti suspirent et exspectent diem liberationis nostrae ex aerumnis praesentis vitae.

Eo enim consilio Lutherus Coburgi inter tot occupationes et difficultates horis succisivis psalmos in manus sumsit, non tam ut explicaret, quam ut Davidem velut ἔξαρχον invocationis veris animi votis et gemitibus inenarrabilibus subsequeretur. Ac respondisse suspiriis et precibus pientissimis eventum et auxilium divinum res ipsa loquitur, in propagatione doctrinae propheticae et apostolicae, interitu sicophantarum, qui cupiditate opum et gloriae agmini pontificio suam navabant operam, tot ecclesiarum instaurratione, et accessione ad exiguum numerum eorum, qui initio taxata idolomania superioris saeculi veros cultus et agnitionem Dei didicerunt et amplexi sunt, prorsus ut psalmo 147. dicitur: „Emittit (dominus)

verbum suum terrae, velociter currit sermo ejus." Quod utinam tam gratis animis agnosceremus, quam in conspectu est cum piis omnibus, tum etiam hostibus verae pietatis.

De fide vero hujus editionis ne quis dubitet, aut eam ausit convellere, studiose asservabimus exemplar parentis manu scriptum, in quo haec verba extant: Sequuntur psalmi XXV., quos D. Martinus Lutherus mihi sub comitiis Augustana in arce Coburgensi exposuit et legit. Priores vero octo et vicesimus tertius geminam explicationem habent, cui adjecit: Sequentes psalmos D. Lutherus scripsit, inter quos etiam est XLV. et CXXVIII. Reliquos Vitebergae collegit. Postremo amicorum opera enarrationem in XXII. et XXIII. et initium vicesimi quarti nacti sumus, qua videtur operationes inchoatas in totum psalterium, et alibi editas voluisse pertexere, nisi impedimenta multiplicia eum a proposito abduxissent. Ac propterea haec monere in mentem venit, quod superioribus annis jactatum scripto quodam a Joanne Calvino non sine acerbissimo dolore cognovimus, quod is patri nostro hortator fuisset, ut mentionem erroris Cingliani de coena domini in editione monumentorum Lutheri omitteret, adeoque ipsum sibi ὁμόψηφον non obscure adsciverit. Cui nos vere et constanter opponimus hunc libellum, et reliquos omnes commentarios a Vito Theodoro nomine D. Martini Lutheri editos. Et prodiit scriptum patris anno 1545. adversus Paulum Hierabeck, summi templi Ratisbonensis blateronem, quo et abusus coenae domini in missa atque ἀρτολατρία papistica, et error Cinglii et Calvini acerrime refutatur, quod aliquanto post recudi et in latinum sermonem juvante Deo converti curabimus. Ceterum

hasce D. Lutheri lucubrationes, ut auspicio nominis tui, inclyte princeps, ederemus, admiratione virtutum et eximiae pietatis tuae adducti sumus. Propter quas conjunctionem celsitudinis tuae cum rege sanctissimo et psalte Israelitico bonis omnibus gratam fore sperabamus, praesertim cum carminibus suis dulcissimis C. T. laudes tot saeculis ante decantarit: „Principes populorum adgregati sunt populo Dei Abraham: quoniam Deus apud scuta terrae (principes) vehementer exaltatus est.“ In eorum numerum rectissime C. T. referri testatur ingens et indefessum propagandae sanae doctrinae studium, defensio piorum pastorum, scholarum instauratio, quae omnia etiam post hanc nostram aetatem et praedicationem posteritas gratis animis magnoque ecclesiae et reipublicae emolumento celebratura est. Ac nos Deum aeternum patrem Jesu Christi, coaeterni filii sui ac liberatoris nostri, toto pectore precamur, ut C. T. ad gloriam nominis sui quam diutissime servet incolumem et florentem.

Tuae celsitudinis
observantissimi
Viti Theodori
filii et haeredes.

PSALMUS PRIMUS.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.

a) Hic primus psalmus est in tertio praecepto. Landat enim et commendat nobis studium verbi, ut libenter audiamus, discamus, legamus verbum Dei. Id enim est proprie sabbatum sanctificare, den Feiertag zubringen mit Gottes Wort. Per verbum enim omnia fiunt sancta. Cum igitur docetur verbum, sanctificatur hora, dies, domus, persona, quae docet vel audit verbum. Igitur christiani singulis diebus sabbatum habere debent, quia semper debent tractare verbum. Qui autem mendacia docent, et contra verbum, illi in tertium praeceptum peccant, et sabbatum profanant. Sine verbo enim nihil sanctum est. Docet igitur primus psalmus, ut diligenter audiamus verbum, tum omnia nobis fore sancta, et prospera quoque. O quam beatus vir is est, inquit, qui cavet, ne sabbatum profanet. Impii enim, die haben ihre eigene Predigt, die heisst consilia, id est, sua somnia, da sie von waschen Tag und Nacht, sicut sacramentarii, Turcae etc., illi profanant sabbatum.

Et in via peccatorum non stetit.

Beatus is est, der auch nicht lebet nach ihrem Rath. Sicut isti faciunt, qui sabbatum profanant etiam ipsa vita. Viam enim Hebraei dicunt, quod nos mores, consuetudinem, Weise, Sitten, item, so pfleget man zu thun.

---

a) Anno 30. 4. nonas Maji.

Et in consessu irrisorum non sedit.

Non male vertit: in cathedra non sedit, dass er nicht auch ein Lehrer werde derselbigen Lehre. Sic facit tres gradus. Primus: Dass man die impiam doctrinam höre und annehme. Secundus: Dass man darnach lebe. Tertius: Dass mans Andere lehre. Denn werden irrisores draus, die das Gehei daraus ex pietate treiben. Wenn man ihnen davon saget, so ist ihn, als wenn sie eine Gans anpfiffe, und sprechen wie die Epicurei: O hätte ich Geld oder ein Hürlein dafür, sicut Caesar Pflug dixit: Ich halte, es müssen müssige Leut sein, die mit dem Dinge mögen umbgehen. Er gedachte, er hätte genug an seinen Schlössern. Da ging es auch ihm darnach, dass er starb sine crux et sine lux, und der Teufel führet ihn auch hinweg also. Sic sacramentarii ident nos, et quidquid docemus, sunt blasphematores, et profanatores sabbati. Sed psalmus dicit: Gott behüt den Mann dafür, quasi dicat: Es sind ihr viel solcher gottloser Leut.

Sed in lege domini voluntas ejus, et in lege ejus meditatur die ac nocte.

Praesertim in decem praeceptis. Est magna gratia, quando aliquis libenter audit verbum, dichtet, schwätzet und singet gerne davon. O wie selig ist der Mann, spricht er, dem wirds wohl gehen, und soll Glück und Heil haben. Jam igitur sequuntur promissiones.

Erit sicut arbor plantata secus decursus aquarum.

Sic in psalmo 92.: „Justus sicut palma florebit.“ Est insignis similitudo de palma, quae aestate et

hieme floret, sicut cedrus et pinus, und hat ihren täglichen Saft, denn es wächst nirgend, denn an sandigen und wässerigen Oertern. Sic erit pius vir, qui libenter audit verbum, id est, dabo spiritum et gratiam: si audis verbum, wohlan, so soll Saft folgen, quia Spiritus sanctus adest, und gibt Gnade dazu.

Quae dat fructus suos in tempore suo.

Sicut vitis et ficus, sic etiam palma prius ostendit fructus, quam folia. Sic pius quoque, thuts zum ersten, und beweisets mit den Werken, darnach lehret er. Folia enim significant doctrinam. Pius igitur potest sua doctrina omnibus consulere, docere, consolari etc.

In tempore suo.

Id est, wenns nütze und noth ist, hat keine bestimmte Zeit, sicut monachi. Est semper fructuosus, etiam cum dormit, cum bibit.

Et folium ejus non defluet, et omnia, quae faciet, prosperabuntur.

Er ist zu allem geschickt, und hindert ihn auch weder Hagel noch Blitz, Regen noch Schnee. Er gehet frei hindurch, durch alles Ungewitter, denn er hat den Nachdruck und Saft in der Wurzel. Darumb wann gleich ein Kreuz oder Verfolgung kompt, so fraget er nicht darnach, denn er hat den Saft, und gehet immer fort, sie können nit löschen noch dämpfen. Also ist er zu allem Ding tüchtig. Et haec quidem est promissio, quam habet is, qui verbum sequitur.

Jam addit comminationem contra impios.

Non sic impii, non sic, sed sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.

Accipit contrarium a superiore comparatione, et

dicit impios esse pulverem. Jam collige tu, quantum distet florens arbor a cinere, pulvere, quem ventus projicit. Sie nimpt er ihn alle Fruchte, dass sie lauter zu Nichts gut noch nütz seyn. Ich könnte sie nicht höher schänden. Für der Welt thun sie grosse Werk; aber für Gott ist es Asche, da kein Saft, Wasser, noch Gnade bei ist. In ihren Augen, und für der ganzen Welt lassen sie sich dünken, sie sind der Baum, aber für Gott ists Nichts, sie seyn gegen einem frommen Mann wie Staub. Est grandiloqua valde figura. Non habent spiritum, das beweisen sie auch mit der That, wie da folget:

Ideo non permanebit impius in judicio.

Id est, in ministerio, in officio, sie bleiben bei den Christen nicht im Ampt, wehen sich selber hinweg wie der Staub; sie müssen Sakten anrichten, dass sie nicht bleiben in officio recti verbi.

Neque peccatores in congregatione justorum.

Sie fallen nicht allein vom Stuhl, sondern auch von der Bank, sie bleiben weder Lehrer noch Schüler, sonder segregant, trennen sich selbs von uns, durch ihre Leichtfertigkeit und eigene Köpfe. Quae jam est ratio hujus collationis? Coram mundo ipsi sunt arbor: nos sumus pulvis. Haec est ratio. Man muss es nicht ansehen, wie es die Welt ansiehet, sondern wie es Gott ansiehet, ut sequitur:

Quoniam novit dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.

Est epiphonema. Er fassets fein in einander, dass wirs gewiss seyn, wenn wir beim Wort bleiben, so sagt er, er wölle uns erhalten, und jene sollen

untergehen. So ist nun der Psalm ein fein tröstliche Ermahnung zum Wort, wenn wir uns desselbigen halten, so will er uns geben, dass wir sehen, dass er uns nicht wölle lassen.

In eundem Psalmum.

Arbor { plantata, radicata fide Christi in gratia Dei,
juxta rivos,
fructifera,
virens foliis,
prospera { ferendis
gignendis
servandis
propagandis } ramis contra omnia adversa } pius.

Sic justus perrumpit, velint nolint adversarii.

Antithesis coram mundo sic habet: Pius est pulvis iste, imo lutum pedum. Impius est arbor illa, imo rupes.

Vide autem comparationem
arboris tam validae et operosae, }
pulveris tam dispersi et nihili. } Quis credit?

Consolatio nostra.

Impii pulvis dispersus.
Nos arbor foliis virentibus in aeternum.

PSALMUS SECUNDUS.

Quare fremunt gentes, et populi meditantur inania?

Insurgunt reges terrae, et principes consultant simul adversus dominum, et adversus Christum ejus.

Mundus omnes impias doctrinas, omnes idololatrias potest ferre, solum dominum et Christum ejus ferre non potest. Sic in papatu omnes abominationes tulimus, solum signum veritatis jam ferre non possumus. Huic se opponit totus mundus, hos duos viros, dominum et Christum pati nemo vult, cum tot monachos antea simus passi etc. Gentes sunt regna, et regiones, seu nationes. Populi proprie sunt, quos nos plebes dicimus. Dicit igitur: Regna, nationes, quae sub regibus sunt, et quidquid praeterea magistratuum et plebium est, id universum insanit contra Christum, sapientia, potentia, multitudo mundi, muss alles daher. Est autem haec nostra consolatio, quod scimus mundum non posse Christum et verbum ejus ferre. Alia consolatio, dass sie damit umbgehen, sed non efficiunt, quod volunt. Significat igitur propheta passionem Christi, quod Christum quidem occident, regnum tamen non eripient. Christus est signum contradictionis, contra quod fremunt, sed non efficiunt: meditantur, sed inaniter: conveniunt et consultant, sed non fiet.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Da wöllen sie hin, non sunt contenti ipsum passum et irrisum esse, sed regnum ejus volunt abjicere et opprimere. Est enim mimesis, wir wöllen den

Christum nicht zu einem Könige haben. Sic non satis est persequi et tribulare, sed simpliciter eradicare et exinanire volunt, dass Nichts da bleibe. Sunt autem blasphemi quoque, quod regnum pacis et gratiae vocant jugum, salutem et vitam suam appellant mortem. Sic hodie nostra doctrina ist das ärgste Ding, es muss vinculum reip. et ecclesiae heissen; es ist unleidlich, sagen sie, man soll ihnen nicht länger zusehen. Atque haec quidem est passio Christi, hucusque veniunt conatibus suis. Sed quia non tam contra Christum, quam contra dominum peccant, incurrunt judicium.

Qui habitat in coelis, ridet eos, et dominus subsannat eos.

Est consolatio et comminatio. Es ist schon beschlossen im Himmel, fremitus et consilia muss man leiden, item blasphemiam, quod damnant, et dirumpere volunt. Sed in coelis heisset's: inania. Imo Deus hic quoque pro nihilo eos habet, si quis modo posset credere. Pontifices et Turcam nunc infatuat, sequetur quoque effectus, qui hic est:

Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

„Tunc", zuseiner Zeit, cum debent destrui, wenn er sie wird stürzen. „Loquetur" est hebraismus, quia Deus omnia agit per verbum, sicut alibi, psal. 107.: „Misit verbum suum, et sanavit eos," misit suum, er thut das Seine dazu. Sic hic „loquetur," er wirds angreifen, puto expertos Judaeos et Romanos. Papa et Turca quoque experientur. Er stürzet sie et sic confirmat regnum filii.

Ego autem constitui regem meum super Zion montem sanctum meum.

Das ist ein Trutz und ein hoch Wort, contra gentes, reges, principes et populos etc., contra portas inferi. So will ich ihn darnach setzen, und erhalten den regem, und will zusehen, wer ihn absetzen will. Est insignis textus. Distinguit autem hunc regem ab aliis. Alii enim reges postulantur a populis: hic simpliciter ab ipso Deo rex creatur, et rex quidem in terris.

Praedicans praeceptum.

Hic describit, qualis sit rex, qui primum regat in Sion, hie auf Erden, und sein Regiment soll heissen: praedicans statutum. Nomen hoc significat ceremonias, ordinationes, eine Weise soll er predigen. Was für eine Weise? aut quale statutum? Addit:

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Hic simpliciter abrogat totum vetus testamentum, quasi dicat: Satis diu docuerunt Mosi legem, ego quoque docebo, sed aliud quiddam, quam Moses aut docuit aut cogitavit unquam. Nempe hoc, dass ich Mensch und Herr auf Erden soll seyn, quod sim dominus et Dei filius. Haec est nova praedicatio, quod Deus huic homini Christo subjecerit omnia. Hoc docet etiam evangelium, ut suscipiamus Christum, et credamus in filium. Est autem valde elegans schema, quod non dicit simpliciter: Sum filius Dei, sed allegat auctoritatem dicentis, quasi dicat: Ich hab mich nit selbs zu einem Könige gemacht, ein Ander hats gethan; sicut dicit in evangelio: „Verbum non est meum, sed ejus, qui misit me.“ Est auctoritas patris, qui

me vocat filium. Apostoli bene in epistolis suis hunc locum tractarunt, quod hic unicus rex appellatur filius Dei, et sit quoque filius natura.

„Hodie" quidam accipiunt de tempore gratiae, sed ego malo sic intelligere: „Hodie genui te," ut intelligas non spiritu, sed natura generari, ut sit sententia: Du bist mein natürlicher Sohn, quem hodie apud me genui, ubi semper est hodie, ubi nec heri nec cras est, sed una et perpetua dies, der immer heut heisst. In illo die te genui, es verus natura, et aeternus Deus. Das ist nun der beste Vers im Psalm, quod allegat auctoritatem patris. Atque haec quidem personae descriptio est, quod sit praedicator et filius Dei natus in aeternum. „Super Zion," ergo homo, filius, ergo Deus: est igitur mirabilis rex.

Nun gehet das regnum auch daher. Reges, sed non in Hierusalem, ut David et alii.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem, et possessionem tuam terminos terrae.

Non dicit, quod postulare debeat, quia vult dicere: Patieris, sed tantum „postula" dicit, tum dabo tibi plus quam rogaveris. Non enim Hierusalem et illum populum tantum tibi dabo, sed faciam te dominum mundi, du sollt so viel zu regieren haben als ich. Sic habet Christus regnum primum natura. Secundo declaratur etiam rex, sicut in mundo quoque solet fieri, cum coronantur reges. Per Spiritum sanctum igitur hic declaratur ejus regnum. In possessione habes totum mundum. Ob sie nu nit alle gehorsam seyn, leit nicht Macht an, tamen habet eos in manu sua.

Reges eos virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.

Es soll Keiner für dir bleiben, nullus sit rex praeter et contra te. Und wer sich nicht brechen will, da sollt du mit dem eisern Scepter zuschmeissen. Ich hab dir nun das Reich eingeben, wer dir's nehmen will, dem nimm du wiederumb, was er hat. Sic fiet cum Papa et Turca. Hic est principalis locus de filio Dei declarato rege in terra, sed per fidem et per verbum. Es heisst: Narrabo statutum; da bleibets bei, non videmus, sed audimus. Sequitur jam exhortatio.

Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.

Sehet euch für, seid klug. Alloquitur omnes reges, judices, nullo excepto, et hortatur eos ad audiendum verbum, lasst euch sagen. Sed dicunt: Quid audiamus, cum alioqui simus sapientes? Sapientia autem ista est stultitia. Et nota, quod non vulgus alloquitur, sed principes, reges, summos sapientia scilicet et eruditione.

Servite domino in timore, et exsultate ei cum tremore.

Colite hunc dominum in timore, et estote jucundi coram eo. Est valde bonus versus, quo totam legem Mosi abrogat. Das ist der Dienst et cultus gar mit einander: Depone fiduciam sapientiae tuae et time ejus verbum. Non vult tamen purum timorem desperationis, sed vult quoque, ut exsultemus in fide gratiae, ut sicut debemus timere in nostra justitia, sic in ejus justitia exsultemus, in nobis timor, in ipso gaudium. Non otiose autem additum est „cum tremore",

id est, cum reverentia quadam. Denn die Schwärmer, die meinen, sie haben das Evangelium gefressen, die machen eine fleischliche Freiheit, et exsultant cum temeritate et audacia, und sind allzu fröhlich; aber es soll sein cum reverentia, dass man denk, man habs von ihm. Qui operibus serviunt Deo, illi prorsus nihil timent.

Osculamini filium.

Huldet dem Sohn. Hic exponit, quid servire sit, nempe apprehendere filium; wer Gott dienen will, der ehre nur den Sohn. Qui filium non honorat, dehonestat patrem. Non potest servitus Dei subsistere, nisi osculato filio, hoc est, nisi quis credat in Christum. Mehr darf man nicht thun. Non enim dicit: Circumcidite vos, jejunate, sed simpliciter: Lasst euch den Sohn sagen. Qui hoc verbum accipit, der mag sich rühmen, quod serviat Deo.

Ne quando irascatur dominus.

Quia extra Christum non est justitia. „Irascatur", inquit. Aut osculare, aut habebis iram, et damnabitur tua justitia, nihil est tertium, da ist kein Hülfe noch Rath mehr. Sed nemo credit. Papa, monachi, Turca volunt per opera satisfacere. Sed Joannes dicit: „Qui non credit in filium Dei, manet ira Dei super eum." So sind nun in dem Vers verdampt alle Stift und Klöster, und also verdampt, dass sie sollen untergehen.

„Et pereatis de via," scilicet una cum vestris operibus. Extra Christum non est salus, et tamen omnes tentant eam suis operibus parare sine Christo. Aber es soll nicht sein, den Sohn küsset, oder ewigklich verloren.

Quoniam brevi exardescet ira ejus.

Finalis promissio, wenn regnum Christi angeht, so folget alsbald crux darauf. Ira et crux sunt exercitia fidei. Visitat suos, inquit, in brevi irascitur, er kompt bald hinter die Seinen. Quare etiam consolatur et dicit: Immineat tibi crux, non ut pereas, sed ut discas fidere Deo. Notabis autem, quod omnis crux siehet, als zürnete unser Herr Gott mit einem. Est ergo opponenda fides, ut dicas: „Beati qui confidunt in eo. Non est ars Deo fidere posse, cum omnia prospere succedunt, sed in cruce, wenn er stäupet, dass mans dann für eine Ruthe könne annehmen, und sagen: Lieber Vater, denn ists Kunst.

In eundem Psalmum.

Hodie genuite.

„Genui" significat filium naturalem esse, quia dixerat filium, ne adoptivum putares.

„Hodie" significat aeternitatem, quae est praesentia assidua, sicut Christus Joann. 8. inquit: „Ego sum, antequam fieret Abraham," quia non est ibi erat, aut erit, nec heri, nec cras, sed est, et hodie.

Dicit ergo se filium auctoritate et testimonio patris, ne se ipsum glorificet.

Non est factus aut creatus, sed genitus, nec nisi hodie, id est, coaeternus, nec ante nec post patrem, sed eo tempore, quod patri „hodie" dicitur.

Ergo praedicatio nova est evangelion de filio Dei.

Postula a me.

Magister, dominus, rex, } omnium, igitur verus Deus ab effectu.

Non angelis haec imperii majestas datur, sed sol

Deo filio. Et tamen dicitur „postula" ut inferiori et homini. Datur igitur ei, id est, declarat eum filium Dei. Rom. 1.

Non esset { rex, Messias, praedicator, sacerdos, } nisi homo.

Non esset { filius genitus dominus mundi } nisi Deus,

quia regnum mundi non tribuit alteri quam sibi ipsi.

Ergo Christus est { rex sacerdos novus, alioquin quid opus instituere regem, qui praedicet, cum essent, qui praedicarent antea, scilicet Levitici?

Rex autem est spiritualis, quia praedicat.

Vivit vero in aeternum a morte resuscitatus, quia dominatur omnibus finibus terrae, quod mortalis homo non posset, nisi haerede succedente. Hic autem nullus est haeres.

Et tamen est mortalis, quia rex et sacerdos, praedicans mortalibus in monte Zion.

Quare necesse est eum mortalem fieri immortalem per resurrectionem, ut regnet.

Sceptrum ferreum

Evangelium est, quia conterit { sapientiam, justitiam, potentiam } hominum.

Id est, damnat opera nostra.

Sic etiam

reges, justos, sanctos, principes,	cum sua virtute, ut sit solus	justus, sapiens, potens.

Wie Teufel gehets hie den	München, Stiften, Papisten?

Ferrum.

Quia non licet resistere omnia domanti verbo, quasi dicat: Cui non poterunt resistere omnes adversarii.

Ergo rex hic est sacerdos docens, ideo subjicit.

Reges erudimini.

Hunc audite omnes { Judaei, gentes.

Nemo doceat ultra. Cedite monachi, poscit nos omnes sibi discipulos, adimens jus docendi et sapiendi.

„Erudimini," id est, argui vestra sinatis, quia hic est rex.

Quare solum reges et judices alloquitur? Quia hi maxime resistunt et omnium difficillime credunt sese esse stultos.

„Servite in timore," propter damnata vestra opera.

„Exsultate in tremore," propter donata illius bona.

Danket Gott, dass ihrs werth seid, seine Knechte zu sein, mit aller Ehrerbietung, und sorget mit Fleiss und Furcht, ob ihr wohl Herrn seid, und euch dienen lasst als König.

Rursus laeti estote, et securi, quia regem, sacerdotem, magistrum fidelem habetis, qui vult, potest, novit vos regere et servare. Est omnia per omnia in vobis omnibus.

Osculamini filium.

Ira manet super omnes vias, quae non adorant filium, et regem Deum suscipiunt. Via, inquit, peribit vobiscum. „Confidunt in eo.“ Non dicit: Qui operantur, sed: „Qui confidunt,“ quia hactenus de verbo dixerat, hic de fide in verbum. Dicit autem „in brevi,“ hoc est, in modico irascetur, sicut psal. 8.: Minuisti eum paululum a Deo,“ ubi derelinqui a Deo idem est quod irasci.

Vides ergo hunc psalmum asserere, evangelium esse doctrinam seditiosam, quia conturbat gentes, reges, populos, principes, sed non sua culpa, quia dicit: „Quare?“ et „inaniter,“ id est, nulla causa.

„Reges“ sunt principes, qui terris et gentibus praesunt.

„Gentes“ sunt eorum subditi.

„Principes,“ aut senatores et consiliarii, Räthe, sunt magistratus urbani.

„Populi“ sunt eorum plebes.

Hi quatuor sunt hostes evangelii.

Reges et ipsorum gentes.

Principes seu magistratus et ipsorum plebes.

In principibus seu magistratibus comprehenduntur et alii proceres et reguli minores.

Vide ordinem perversum.

Primum { gentes, populos, } deinde { reges, magistratus } ponit,

ut seditio significetur, et quod contra Christum non magistratus ut a Deo ordinatus faciat, sed perversus.

Praeterea distincte dicit: { gentes fremunt, populi meditantur, quia reges insurgunt, principes consultant, } { multitudine, jure et justitia, potentia, sapientia } fidunt.

Fremunt, meditantur, insurgunt, consultant } autem inaniter, quia non fiet, quod conantur,

quia { saevit vulgus, absque judicio impetum parans, superbiunt reges absque timore, vim meditantes, praesumunt plebes absque prudentia, arrogant sibi magistratus, sine aequitate et justitia judicium damnationemque tractantes.

Impetu, vi, temeritate, iniquitate } pugnant, nemo dignatur { audire, dijudicare, deliberare, ponderare et aestimare.

PSALMUS TERTIUS.

Non fecit David hunc psalmum cum fugeret, sed post illud periculum fecit ex causa particulari generalem et celebravit historiam sui periculi hoc psalmo in exemplum omnibus piis, denen dergleichen Noth begegnen möchte, dass sie eine Form hätten, und wüssten, wie sie dann reden und beten sollten, ne desperent. Hoc enim docet psalmus, es geh wie es wölle, dass einer nit verzage noch verzweifele, Davidis exemplo. Illius enim vita, corpus, anima, etiam regnum, gloria, favor populi, conjuges, filii et filiae in extremum periculum erant adducta. Fuit igitur gravissima tentatio, et tamen non desperat. Illius exemplum nobis quoque in nostris periculis et necessitatibus est sequendum.

Domine, quam multi sunt inimici mei.

Primi duo versus exponunt magnitudinem periculi,

in quo David fuit, es ist nicht einer oder zwen, spricht er, es sind ihr so viel, dass sie Niemand kann zählen, Weib, Kind, Königreich, Ehr und Glimpf gehet alles dahin.

Multi insurgunt contra me.

Insurgunt multi contra me, quos in secunda fortuna amicos habui. Sic fit in tentatione, quando aliquis deseritur, so fallen sie mit Haufen dahin, die mir vor haben helfen, lehren und predigen. Sic proverbio quoque dicimus: Nulla calamitas sola. Atque haec sunt duo opera, primum, quod patitur persecutionem, secundo, quod ab amicis deseritur.

Multi dicunt animae meae: Non habet auxilium in Deo ejus.

Est blasphemia, wenn einer in solchem Jammer ist, so kommen denn böse Mäuler darzu, und wöllen die Seele auch haben: wenn's unser Herr Gott mit ihm hielte, so schützte er ihn; aber er thuts nicht, lässt ihn aus dem Reich stossen etc. Es sein sehr giftige Wort, dass einer auch Gott soll verloren haben. Atque haec est tribulatio verbi, dass sie eim den Harnisch wöllen nehmen, fidem et orationem, als wäre es nicht gnug, dass einer verfolgt werd, sondern dass einer auch bei sich nicht könne finden, damit er sich kaum halten und wehren. Odit eum Deus, dicunt, da hilft denn der Teufel auch zublasen. Wenn's nun so weit kompt, so ists am höchsten, da muss es brechen und aufhören. Sic videmus jam blasphemiam in Papa et Turca. Futurum igitur certo est, ut ambo perdantur. Da gehet nu spiritus herfür et dicit:

Verum tu domine es clypeus pro me, glorificans me et exaltans caput meum.

Opponit tria superioribus tribus; primo, contra

multos tribulatores dedisti mihi verbum. Tu es scutum meum, ich habe sonst keine Hülfe. Secundo, contra insurgentes, die zu meinen persecutoribus fallen, und lassen mich in allen Schanden stecken, collocas me in gloria. Tertio, exaltas quoque caput meum contra spiritum tristitiae et contra blasphemias. Sie wöllen mir das Herz matt machen; aber du bist mein Gott, und machest mir mein Gewissen fröhlich, dass ich nicht verzage. Hucusque fuit narratio, wie es ihm in tentatione et peccatis gehe. Quando igitur aliquis eo venit, ut incipiat respirare, tum incipit victoria, si quis modo retineat verbum. Jam experientiam suam proponit, ut nos exemplum ipsius sequamur.

Voce mea dominum invoco, et ipse exaudit me de sancto monte suo.

De Zion, id est, in eo loco, ubi est invocandus propter verbum. Oratio et fides sunt necessariae in tribulatione, fides, ne desperemus, oratio, ut vincamus. Orationes enim sunt arma nostra. Hinc dicitur spiritus gratiae et precum, dass einer den Geist hat, dass sich einer noch etwas Guts zu Gott versehen kann; wenn nu die zwei stehen, so hats kein Noth mit uns. Unicus fidei gemitus vincet Satanam et tribulationem, sicut videbimus in Turca. In sequentibus tribus versibus agit gratias pro isto beneficio.

Ego cubo et dormio et evigilo,

Significat meram securitatem. Wer also kann thun, beten und glauben, der leget sich schlafen, stehet auf, und fraget nach Niemand; aber so einer voller Gedanken ist, kann er nit schlafen. Securissime, inquit, vivo. Quare?

Quia dominus sustentat me.

Illi me tribulant, sed dominus defendit, sustentat. Quare non solum securus sum, sed animosus etiam, dass ich hinfort Niemand förchte. Sic surgit experientia fidei in illas laudes, ut dicat aliquis: Kann unser Herr Gott also helfen, wohlan, so förcht ich mich nit für Hunderttausend.

Non timeo a centum millibus populorum circumdantium me.

Hic est scopus psalmi et applicat particularem historiam ad generalem. So ist nun das die doctrina aus dem Psalm, dass Niemand sich zu sehr soll förchten oder verzagen, es gehe so ubel es immer wölle.

Exsurge domine, salvum me fac, Deus meus.

Allein Herr quando tu surgis, so hats kein Noth.

Quia tu percutis inimicos meos omnes in maxillam, dentes impiorum confringis.

Du kannst die Kunst und schlägst sie aufs Maul, dass die Zähne hernach fallen. Sinis eos conari, rühmen, trotzen, dräuen; aber wenn sie das Maul am weitesten aufgesperret haben, und wöllen uns jetzt fressen, so kommst du und zerschlägst und zerstäupst sie, dass sie weder hie noch da sind.

A domino auxilium, et tua est benedictio super populum tuum.

Est epiphonema. Domini est salus, non est salus in hominibus. Sie können weder helfen noch schaden. Sic benedictio quoque est domini. Benedictio hominum neque prodest, neque maledictio et blasphemia nocet. Sic dat hoc versu hanc historiam toti populo, et dicit omnes credentes, et orantes, die

haben Hülf vom Herrn, da richt euch nach in vestris periculis.

In eundem Psalmum.

I. Primum malum est persequentes habere multos.

Secundum, idem crescere deficientibus amicis; dass man ihnen zufällt und mir abfällt.

II. Tertium, est jactantia cum blasphemia, quasi certo opere probet eum esse reprobum, quia derelinquatur a Deo. Gott will sein nicht. Est argumentum ab evidentia rei et sensu ipso. Hic contra rem in rem, contra spem in spem fidendum, quod non fit sine ingenti dolore. Es thut weh, quia diabolus hoc non dicit, nisi dum habet rem ipsam, quam velut experientia urgeat.

Optimum est autem, quod non ita sit.

Sed „dicunt" ait: dicunt quidem, sed non statim fit, ut dicunt, quia diabolus est mendax et omnes ejus complices. Es gehen viel Wort in einen Sack, noch viel mehr heraus.

III. Lass Wort Wort sein, tu es clypeus.

Clypeus contra angustiantes, tribulantes.
Gloria contra insurgentes, conculcantes.
Capitis exaltator contra dejicientes animum.

Frisch auf, richt den Kopf auf, und sei unerschrocken, unverzagt. Haec tria facit per verbum spiritus consolator. Rom. 14.

IV. „Voce mea," es ist nur zu thun, dass man bete, so ists schon da etc., juxta illud: „Invoca me in die tribulationis, eripiam te." Item: „Clamavit ad me," psalm. 90. „Clamo" inquit, ich rufe, spricht nicht: Laufe hie, laufe da, thue dies, thue das, werde Münch, werde Nonne, klag mirs doch, und rufe mir, will ichs doch gerne thun.

V. „Ego cubo etc." Video, quod sollicitudo et cura nihil sit de evadendo. Disce te Deo committere, et verbo ejus fidere, tunc securus es, vivis, agis, moreris. Ipsi cura de vobis.

VI. „Non timebo." Etiamsi portae inferi impugnarent, quid tum? Si totus mundus: quid tum?

VII. „Maxillas," quia voluerunt devorare {facto, verbo.

Qui non dedit nos in captionem dentium etc. Sed evomere coguntur, quos ut vorarent, jamjam mordicus arripuerant.

Consolatio, quod in tempore devorationis, in ipso articulo venit et percutit maxillas leonum, ut praedam dimittere cogantur.

Dentes sunt {vires, furores} impietatis.

VIII. „Domini est salus." Wir können uns selb nicht helfen, so liegt auch nit viel daran, wer uns flucht, und sagt, dass uns kein Hülfe bei Gott sei, So er hilft, denn so ist Segens gnug da.

Arguitur sic: Tibi contingunt mala: ergo peccasti. Hiob. 4. Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Respondeo, psalm. 4.: „Ego sum justus coram Deo," quod autem mala contingunt, consolabitur me Deus. Contra vos estis impii et felices: ergo habetis consolationem vestram hic et sine Deo.

PSALMUS QUARTUS.

Est exhortatio ad fidem contra tentationes et tribulationes praesertim fortunae, denn es muss den Heiligen ubel gehen, non solum persecutionibus sed omnibus aliis tentationibus, da fehlets an Gut, an Freuden etc., denn der Teufel sperret sich allenthalben darein. Si qui igitur non credunt, illi quaerunt

solatia a suis consiliis, dass sie des Unglücks los werden. Et sic omnes pugnant contra fidem, sicut vidimus ante hoc tempus. Wenn einer nur ein bös Bein hatte, so müsste er sich zu einem Heiligen geloben; so gar wollt Niemand kein Herzleid haben. Contra hos hic psalmus agit, et docet: Mangelt dir etwas, es sei was es wölle, rufe nur und bitte, und suchs bei dem, der dir helfen kann, darfest nit da oder dort hin laufen, dies oder das thun, lass dir unsern Herr Gott helfen. Aber man thuts nicht, wir wöllen alle unser Gott selbs sein. So thun ihm die Bischoff jetzund auch, die bitten nicht darumb, das sie gerne hätten, schlechts gedenken sie: Also wöllen wir ihm thun; so muss dann unser Herr Gott sauer dazu sehen und sagen: Darf man mein dann gar nichts dazu, wohlan, so soll es auch nicht gerathen. Sic est generalis psalmus de omnibus tribulationibus, et pertinet ad primum praeceptum, sicut hesternus. In quantum autem adhortationes continet, pertinet ad tertium praeceptum. Et est scopus, quod Deus sit invocandus in omnibus fortunae necessitatibus.

Exaudi me, cum clamo, Deus justitiae meae, qui consolaris me in angustia.

Sunt haec propria nomina Dei, quibus captat benevolentiam. Comprehendit autem hoc primo versu argumentum psalmi, quod Deus in peccatis justificet et tribulatione consoletur. Pauci hoc credunt, nec admittunt Deum consolatorem, sed ad sua consilia confugiunt. Neque etiam vocant Deum justitiae Deum, quia habent justitiam operum. Cultores quoque sanctorum, qui votis placare Deum volunt, die wöllen sich auch per opera aus der Noth wirken. Et sic dupliciter peccant, primo quod quaerunt justitiam operum, secundo quod quaerunt alium consolatorem, und nehmen unserm Herr Gott

also die Namen alle zwen. Nos autem qui credimus, scimus, quod etiamsi peccamus, gratis peccata vult remittere in fide, et in aliis periculis quoque juvare. Recte igitur David appellat Deum justitiae, id est, per quem et in quo habemus justitiam.

Miserere mei et exaudi orationem meam.

Hilf und rath, wie du vor auch gethan hast. Atque hic quidem scopus psalmi est. Jam exhortatur, und hebt eine Predigt an, wollt gern, dass ander Leut auch also thäten. Ac primo increpat incredulitatem.

Vos proceres, quousque gloria mea in ignominiam?

Gloria potest accipi vel mein Gott, vel das Predigampt, sicut saepe alias, psal. 16. Male accipi pro officio docendi. Ihr grossen Hansen, qui alios debetis docere, et scire, quomodo Deus facere soleat, ridetis etiam eos, qui sic docent. Sic dicunt: O du musst lang auf den Christum harren etc. Also wird unser gloria, das ist, unser Predigampt von ihn verlacht, da schilt er sie darumb. Wie lang soll denn das Spotten währen?

Quousque vanitatem diligetis et quaeretis mendacium?

Vanitatem et mendacium opponit ei, quod dixit: Deus justitiae et consolator. Deus enim justitiae est veritas, ipsorum justitia est vanitas. Sic Deus vere consolatur, ipsorum consilia fallunt et sunt mendacium, quasi dicat: Dass ihr etwas thut, das ist vanitas; dass ihr darnach etwas davon hofft, ist mendacium. Sic primo ostendit eis peccatum, quod non curent verum Deum, nec ejus gratiam, sondern spotten der Prediger. Jam, sicut boni concionatoris est officium, docet quoque eos.

Scitote, quoniam Deus mirabiliter agit cum sanctis suis.

Quasi dicat: Lernet doch glauben, wisset ihr sein Weise nit? Mirificat. Wenn man meinet, er wölle sie lassen verderben, so hilft er ihn. Ihr wellt aber gern, dass er euch hülfe non mirificando, sonder wie ihrs beschlossen habt, das kann nicht sein. Wenn er soll helfen, so muss es ein solche Hülfe sein, der sich Niemand versehen hätte. Sicut nos sumus mirabiliter a papatu liberati. Wenn er einen lieb hat, so stellet er sich, als sei er ihm feind, wie denn ein Hausvater auch thut, der gibt dem Sohn nit so viel zu essen, als der Saue, nicht dass er die Saue lieber habe dann seinen Sohn. Sic in mundo, quando Deus magna bona dat, tunc apparet in speciem, quod Deus faveat et amet. Verum dat illa bona, ut impingnet sicut porcum et post mactet. Econtra affligit suos, so scheinet es denn, als wäre er ihn feind; aber es heisst mirificat, dass er sich so seltsam machat, dass einer denket, er sei der Teufel, und nicht Gott. Das thut er seinen Heiligen, die er lieb hat.

Dominus exaudit me, quoties clamo ad eum.

Spiritus gratiae et precum adest. Justitia est, quod mirificat. Consolatio est, quia audit. Bei den Stücken lasst uns nür bleiben, hie geglaubt und da gebetet. Jam docet eos quoque fructus fidei et hortatur ad patientiam.

Si irascimini[a]), nolite peccare.

Post illam doctrinam fidei heben sie an und sprechen: Wer kanns aber leiden? Da lehret er sie nun

---

a) רִגְזוּ proprie significat commonemini.

und spricht: Ihr wöllt gern unwillig werden, aber thuts nicht, brecht euch, crucifigite illas tentationes per fidem. Und was euch anliegt, das euch will murren machen, folget den motibus nit; man kanns doch nit wehren, man muss das Unglück fühlen. So ist nu bald ein Fluch herausgewischt: da warnet er sie. Si sentitis malum, nolite consentire.

Loquimini in cubilibus vestris cum cordibus vestris et expectate.

Gehet an ein heimlichen Ort, und leset die heilige Schrift, schweiget eur Herz damit, und harret. Wenn ihr euch lang damit wollt beissen, und Wort umb Wort geben, malum pro malo, da werdt ihrs nicht gut machen; thuts nicht, gehet in euer Kämmerlein, setzet euch zufrieden und harret. Ja, dicunt, wir wöllen Procession anrichten, Mess lassen singen etc., sicut jam Augustae faciunt. Monet igitur eos:

Sacrificate sacrificia justitiae.

Sic damnat eorum opera et studia. Magis irritatis Deum his operibus. Si vultis sacrificare, sacrificate non porcum, sed sacrificium justitiae, id est, ipsam justitiam. Justitia autem est credere Deo, dass man ihm glaube, traue und hoffe, sicut exponit se.

Et sperate in domino.

Sperare aber heisst mirificare, et spera heisst: noli videre.

Multi dicunt: Quis ostendit nobis bonum?

Aber wenn ich gleich lang so lehre und predige, so sagen sie: Quis? Wollst du uns lehren? Sollt uns der Narr etwas Guts sagen? wir wissens besser denn er. Sic non possunt ferre fidem et spem, quia sie wöllen nit leiden, aut vi aut consiliis volunt liberari. Der Narr, sagen sie, predigt lang von hoffen. Aber ich fühls wohl, dass mirs wehe thut. Wohlan, er

nuns sie lassen fahren, wiewohl sie multi heissen, der grosse Haufe. Convertitur igitur ad suos.

At tu domine leva super nos lumen vultus tui.

Wöllen sie nicht, so thus doch uns, lieber Herr. Lux faciei ist ein freundlich, gnädig Angesicht. Ein zornig Angesicht ist finster. Wenn Gott nun strafet, so siehet er saur; aber wenn er tröstet, so heisst es lumen vultus, id est, eine gnädige Verheissung, sicut: Deus mirificat sanctos, item: Deus justitiae. Hae promissiones sunt lumina vultus, id est, ostensiones et apparitiones gratiae et misericordiae. Dicit igitur: „Leva super nos,“ lass uns ein gnädig Wort hören, behalt uns bei deiner promission, dass wir nit fallen in die murmura et impatientiam. Porro verbum „leva“ significat, wie man ein Panier aufwirft. Leva signum, lass dein Wort fest bei uns stehen, dass wir uns darnach richten, wie man sich nach dem Panier im Heer richtet, denn es ist kein ander Trost, denns verbum. Bei Geld, schönen Frauen, Städten und Schlössern ist kein Trost, allein Gottes freundliches Wort erfreuet das Herz.

A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.

Impii non habent laetitiam verbi, sed laetantur, quia habent frumentum et vinum, id est, opes et mammona hujus mundi, sicut pontifices et monachi, die singen unserm Herr Gott von einem Strohsack, wenn sie nur ihr Stifte und Klöster haben, das ist ihr Freude. Fiunt magni non per verbum, sed per mammona. Dicit autem haec, ut admoneat pios, ne offendantur, quod impii sic florent. Schadet nicht, spricht er, sie haben doch die Herzenfreude nicht.

Ego in pace simul cubo et dormio.

Ego simul, ganz und gar, mit allem das ich bin und habe; liege und schlafe mit guter Ruhe. Ich werde ja auch noch zu essen müssen haben. Sum securus, und befehl die Sach unserm Herr Gott, mit allem, was ich habe.

Tu enim solus domine securum habitare me facis.

Nemo mihi est Deus, nisi tu; ipsi habent mammona, ego te solum habeo et verbum tuum, da habe ich genug an, und bleibe wohl sicher in pace et securitate. Hic igitur quartus psalmus est de adversa fortuna, praecedens autem de persecutione et tyrannide.

In eundem Psalmum.

De fortuna adversa, in qua franguntur infirmi et blasphemant et murmurant impii. Quamvis caro et mundus dictet eos esse coram Deo maledictos et impios, qui penuria adfliguntur aut alia ignominia (quia lex promittere videtur bona et pacem suis cultoribus), tamen ego pannosus, miser, adde et peccator, dignus videlicet penuria, non despero, sed scio me coram te justum esse justitia gratiae tuae.

Causa est hujus psalmi: Quia dicitur: Wer Gott dienet, der hat genug; sed ich diene Gott und habe Nichts: ergo scandalo fidei occurrit et dicit: „Deus justitiae meae," id est, a quo et coram quo sum justus, etiamsi ab effectu miseriae isti me arguant impium. Verum quia hoc difficile est ferre, ideo orat auxilium, ut ferre possit, et oratione se solatur.

In tribulatione dilatas me.

Tu solus me solaris verbo. Alioqui omnia clamant ab effectu: Tu es perditus, sicuti fecerunt amici Hiob arguentes ab effectibus et re ipsum esse coram

Deo impium; contra quos simul et contra rem ipsam pugnare opus est gratia Dei. Et solus Deus hic dilatat. Ideo orandum est.

Jam egreditur confutaturus contraria sentientes, erectus intus fiducia et solatio, arguens eos.

Filii hominum, quousque gloria mea erit opprobrio? quare diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?

Gloria { Dei, officii, crucis.

Crucis, quia gloriamur in tribulationibus, ideo crux est gloria.

Officii est praedicatio, quam irrident impii, fortunati. Ja, harr, bis dir ein gebraten Huhn in das Maul fleugt.

Dei, quare meum infirmum Deum ridetis, cum sit ipse gloria mea? Juxta psal. 3.: „Tu es gloria mea," et psal. 77.: „Mutaverunt gloriam suam." Emphasis est in „mea", quia illi gloriantur in Deo alieno et non habent communem gloriam cum ipso.

Deus enim est nostra { pecunia, justitia, fama, superbia.

Mendacium, iniquitas } est idolum et falsa operum cultura contra gloriam dictam, quia impii florent suis meritis, obtinent mundi opes, videlicet a diabolo. Ego autem sine meritis habeo meam justitiam miser peccator et pauper.

Diligere, quaerere } emphasin habent, quia sic impii haerent in ista fiducia, ut non modo relinquant, sed et contemnant et rideant meum Deum, id est, gloriam meam.

Der Christus ist kein nütze, aber die falsche Lügen-Kappe und Platte, die gilt, die liebet, suchet Jedermann, id est, idolum.

Scitote, quod mirificat dominus sanctum suum, dominus exaudit me, quoties clamo ad eum.

Utinam sciretis, quod Deus non ita, sicut vos sentit aut judicat, imo mirabiliter. Quos putatis

vos { impios, perditos, miseros, } ii sunt omnium { piissimi, beatissimi, felicissimi, }

non re, sed fide. Res fallit vos, quia fidem non habetis, sed sensum sequimini.

Satis magnum est Deum meum audire in omni necessitate, quod vestra idola et opera non possunt. Quid ergo illa diligitis et quaeritis?

Si irascimini, nolite peccare.

Diceres: Wer kanns leiden? Wer will denn Gott dienen und so leben? Respondeo: Etiamsi movearis sive contra Deum sive contra homines, tamen noli peccare, id est, de Deo desperare, contra eum agere, seu ad tuum idolum et studia tua deficere. Noli verbum deserere et ad impios converti, sed persevera et dura.

Loquimini cum cordibus vestris.

Nolite cordis cogitationibus cedere, sed exhibete ei verbum Dei, et per ipsum loquere cum eo et compesce, ut verbo firmetur, alioqui vagabitur in infinita studia solatii vel murmuris.

In cubilibus vestris.

Id est, cavete publica, manete apud vos, hoc est, non quosvis admittite consolatores, qui vos corrumpunt potius aut frangunt. Nolite aemulari malig-

nos, quod fit, si foris eorum felicitatem spectes. Discite psal. 37.: „Verbum sit tecum in cubiculo tuo, et cor tuum soletur,“ verbum scilicet de Deo, ut supra dixit: „Gloria mea“, per fratrem vel per lectionem, et tantum ne sis in plateis Babyloniis.

Silete.

Exspectate, seid geduldig. Hoc est, „per patientiam et consolationem scripturarum consolationem habete.“ Alioqui sine verbo victoria non est possibilis. In patientia tenete animas vestras. Crede et patere.

Sacrificate sacrificium justitiae.

Quid agitis sacrificiis vestris, in quibus fiditis et mala fugere quaeritis? Sic potius agite: Offerte justitiam, id est, fidem. Hebraismus, sacrificia justitiae, id est, justitiam. Thut Gott seine Recht, er wird euch nicht lassen.

Et sperate in dominum.

Etiamsi desit, quod vultis. Sperandum, fidendum, exspectandum tunc maxime, cum minime adest, quod cupis, quia caro te vexat.

Multi dicunt: Quis ostendet nobis bonum?

Sed frustra nitor et laboro, quia major pars contemnit et dicit: Ja, sage, was du willt, ich sehe wohl, wie es geht. Bona verba dicis, malas res infers. „Manda, remanda, modicum ibi, modicum ibi,“ Jsaiae 28. Item uxor Hiob: „Benedic domino et morere,“ et Tobiae: „Ubi nunc sunt tuae eleemosynae?“ Wo ist? wo sind sie? Psalm. 41.: „Ubi est Deus tuus?“ Est blasphemantium vox.

„Multi“, et hoc maxime dolet, quod multi sic dicunt, et res consentit, et diabolus auget, et Deus differt, et conscientia dubitat, et caro sollicitat.

Consolatio: dicunt, sagen. Bene habet, quod ipsi

dicant quidem, sed non ita res habet apud pios; quasi dicat: Vox est impiorum ad vexandos pios contra fidem.

Ei, wie fein hilft dir dein Gott, setz ihn auf den Tisch, und friss davon. Baal Peor und Dagon wären besser.

Leva super nos lumen vultus tui domine.

Contra hos multos et contra impias voces eorum, domine erige et exalta, leva triumphale seu militare signum, ut fortes simus et vincamus. Hebraea enim vox significat vexillum levare, id est, animum addere militi et ad pugnam vocare, getrost machen und rufen ad bellum per verbum suum contra hos.

Levat vultum, dum verbum gratiae (quod ostendit vultum et non dorsum, sicut lex) ad nos vertit et per ipsum nos confortat.

Dedisti laetitiam in corde meo, a fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.

Verbum de vultu et lumine tuo, id est, laetum verbum exhilarat et servat fidem vexatam, ut triumphet contra ista. Contra illi hoc verbo laetitiae contemto gaudent suo Dagon et ventre proviso, propter quem verbum etiam rident, ut supra dixit. Ideo multiplicari, grandescere et valere, potestes, magni esse student per frumentum et vinum, id est, per temporalia.

Ego in pace simul cubo et dormio. Tu enim solus domine securum habitare me facis.

Valedicit eis: Eant sane, si ita volunt nunquam pacem habituri. Ego verbo isto et gloria mea securus eo, sedeo, dormio, vigilo, comedo, bibo, vivo, ago etc.

Hanc gratiam tibi debeo, quia tu per verbum haec praestas mihi sine meritis, quod illi ignorant, et vadunt vias suas.

PSALMUS QUINTUS.

Titulus pro haereditatibus.

Haereditas accipitur saepe pro praemio, fructu, commoditate. Sic in psa. 126.: „Ecce haereditas domini filii.“ Sic hic pro haereditatibus psalmus, id est, pro mercedibus, quae piorum, quae impiorum sint praemia. Habent enim diversa praemia. Impii hic florent, ut pereant: pii hic premuntur, ut floreant. Psalmus igitur loquitur de tentatione cum haereticis, seu tentatione verbi et doctrinae, quod isti, qui verum verbum habent, pro haereticis damnantur, impii autem eam haereditatem, illud praemium habent, quod habentur pro sanctis. Graviter autem hoc scandalum pios affligit, quod tot erroris sint discipuli, et tam pauci veritatem sequuntur, quod tantus numerus Turcarum et papistarum sit damnatus, pauci nos verum verbum et salutem retineamus. Est magnum scandalum. Porro non tam contra haereticos pugnat, quam contra suam conscientiam in hoc psalmo, ne multitudine exemplorum permotus a verbo excidat. Discimus autem hic, quomodo sit resistendum haereticis. Est quidem externo verbo contra eos pugnandum, verum nisi vehemens oratio accedat, haud multum promovebit. Oratio facit, ut nostrum praedicare, docere, scribere aliquid efficiat.

Verba mea auribus percipe domine, intellige meditationem meam. Intende voci clamoris mei, rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo.

Transfert omnia ad se, ad confirmandam suam conscientiam, quasi dicat: Ipsi volunt et gloriantur, quod sint populus tuus, quod tu eis faveas, quod verba eorum exaudias, verum ego scio, quod mea verba, meam

orationem audias, non illorum, sunt enim impii. Sic Moses precatur Nu. 16.: „Sacrificia eorum ne respicias," lass dirs nicht gefallen.

Domine mane exaudias vocem meam.

Venio oraturus, inquit, tu me exaudi mane. Potest autem „mane" intelligi vel ad literam vel ad metaphoram. Ad literam, quia matutinum tempus semper fuerit destinatum precibus et verbo Dei, sicut videmus saepius in psalmis. Per metaphoram mane, id est, ante omnia. Surgens mane apud Hieronymum: Ich war allwege da. Mane adstabo tibi.

עָרַךְ Hebraeis est instruere, sicut instruitur mensa, lectus, zurichten. Judaei hic accipiunt pro facere orationem. Ich will mich schicken mit eim Gebet.

Et videbo.

Respiciam, id est, veniam ad observandum. Es ist allewege mächtig fährlich mit den falschen Predigern, darumb darf es wohl Zusehens. Dicit igitur: Ego respiciam, diligenter observabo, ne amittam verbum.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Hoc certo scio. Est pictura impiorum, magis ad confirmandam conscientiam suam, quam ad confutandos illos. Sie wöllen, ihr Ding soll recht sein; es scheinet auch, als sei es wahr, und wenn einer der Vernunft nach richtet, so ist's auch wahr, so müssen wir verloren haben; uber das gibt ihn unser Herr Gott Gut und Ehre, eben wie Moses musst sich auch förchten, als würde Gott ihr Opfer ansehen, da er saget: „Domine, ne respicias sacrificia eorum." Opus est igitur confortatione conscientiae, dass einer spreche: Und wenn es gleich noch so scheinet, dennoch weiss ich, dass du nicht Lust dazu hast, Ursach, ich finde viel Dings an ihnen, das dir nicht gefällt.

1. Das Erste ist die impietas, das fehlet mir nicht, quod

scilicet non docent fidem, sed tantum opera. Sic certum est, quod nullus papista aut velit aut possit docere nos sine operibus per fidem in Christum justificari. Primum enim praeceptum prorsus non intelligunt. Das ist an unser Probe- und Prüfstein, dass wir leben allein aus der Verheissung, dass uns Gott hold sei, und habe uns seinen lieben Sohn geschenkt zur Versöhnung; und wer nicht also lehret, da schliessen wir; quod sit impius.

II. Neque habitabit coram te malus.

Pertinet ad opera. Sic Paulus: „Cum sint increduli, et ad omne opus bonum reprobi." Sic nunc papistae peccant, cogitant assidue de nobis occidendis, comburendis, wenn sie den Unsern können nehmen Ehr, Leib, Gut, so thun sie es. Nos neminem occidimus. Quia autem ipsi occidunt, dicit: Ego certus sum, quod non manebunt ante oculos tuos, id est, ubi Deus habitat, in templo, wenn sie gleich auftreten, dennoch weiss ich fürwahr, dass sie bei dem ministerio verbi nicht bleiben werden.

III. Neque permanet in conspectu tuo insipiens.

Verbum הָלַל, a quo nomen hoc deductum est, laudare significat. Per metaphoram igitur accipitur laudator pro stulto, ein Esel und Phantast, qualis in comoedia est Thraso. Vocat igitur jactatores vel gloriosos, die sonst Nichts thun denn ihr Ding preisen, die also sagen: Unsere Werk sollens thun, die ihre Werk-Gerechtigkeit rühmen. Das ist auch ein Argument, spricht er, dass du kein Gefallen an ihnen hast. Du kannst die Narren nit leiden, quia coeli enarrant gloriam tuam. Wer sich rühmen will, der rühme, dass er einen gnädigen Gott habe [a]).

---

a) Hierem. 9. 1. Cor. 1. 2. Cor. 11.

IV. Tu odisti operantes iniqua.

Da sein sie alle beisammen, ihr ganzes Leben, spricht er, omnia opera eorum sunt damnata. Was sie für sich selbs thun, etiamsi non noceant aliis, das ist böse, ihr justitia etc. Ratio, aus ihren Werken machen sie ein Abgott, sicut monachi, Schwärmeri, Turcae, Judaei, et quidquid non credit. Non faciunt opera ad gloriam Dei, sed ad suam, denen bist du feind, das weiss ich. Warumb? Darumb, denn sie greifen dir nach der Majestät. Haec verba nostras quoque conscientias confirmant.

Tu perdis mendaces.

Non solum odisti, sed sic odisti, ut perdas etiam illos, qui loquuntur mendacium. Ich weiss, sagt er, dass sie Lügen predigen.

Abominatur dominus sanguinarios.

Has duas virtutes habent conjunctas, quod sunt sanguinarii et hypocritae, Tödten und Würgen ist bei ihnen, propterea quoque sunt dolosi. Stellen sich, als meinten sie es gut, zelo justitiae omnia se dicunt facere, und sind dennoch falsche verzweifelte Herzen, was sie thun und sagen, ist erlogen. Hos abominatur, inquit, dominus, quia volunt istam impietatem abscondere pro justitia. Das heisst dann unsern Herr Gott getrotzt, wenn sie sich so decken, wie sie jetzund auch thun. Sic omnes impii possunt ex primo praecepto judicari, sed quid ego faciam? Hoc faciam, et scio, quod placebit tibi.

Ego autem in multitudine misericordiae tuae ingrediar in domum tuam.

Non jacto justitiam meam, ich weiss weder rühmen von Gerechtigkeit noch Werken, das weiss ich allein, quod es misericors. So will ich nu für dich

treten und auf keinen andern Trotz leben, denn auf dein Barmherzigkeit, die gross ist. Das ist primum praeceptum, und das ist ein feines, reines Herz, das Nichts für sich bildet, denn allein misericordiam domini.

Adorabo in timore tuo ad templum sanctum tuum.

Haec duo, quae conjungit, fidem et timorem non habent isti. Non timent, sed gloriantur, sicut dicit psalmus: „Non est timor ante oculos eorum.“ Aber es soll also sein. Für den Leuten sollen wir fromm sein, für Gott aber sollen wir uns förchten. Was ich nu in mir habe, das der Förcht werth ist, das ist in deiner misericordia schon vergeben. Ich förchte mich quoad me, et fido quoad te. Sic absoluta est consolatio. Jam sequitur oratio, dass ja unser Herr Gott wölle perseverantiam geben.

Domine deduc me.

Quasi dicat: Ich weiss, dass ich also recht stehe, behalt mich nur dabei, dass wir auf unserm Ding nicht vermessen sein, sondern in unserm Herr Gott. Es ist je besser auf seine Gnade fröhlich sein, denn auf meine gute Werk. Dennoch wöllen sie die Lehre nit leiden, das ist der leidige Teufel.

In justitia tua propter inimicos meos.

„Tua“, die für dir gilt, quae non est mea, nec hominum, sed „tua“. Est hic versus referendus ad primum praeceptum, dass unser Herr Gott wölle unser Gott sein, sicut ostendit in Christo. Est autem periculosum luctari contra impietatem et perseverare in illa lucta. Quare haec oratio necessaria est.

Rectam fac coram me viam tuam.

Bestätige meine Wege. Est dictum de perseverantia, dass meine Augen nicht anders hinsehen, denn

auf deine Strasse, quia adversarii wöllen mich immer einen andern Weg führen. Est difficile apud impios piam manere, sicut Argentinae multi boni viri ab istis subversi sunt.

Quoniam non est in ore eorum certum.

Ihr doctrina bleibt ungewiss. Wenn man ihn gleich lang zuhöret, so wird das Herz dennoch nimmer sicher, denn es stehet ihr Ding nicht auf dem primo praecepto et verbo Dei. Jejunia, missae etc. non faciunt certam conscientiam. Es hat keinen Grund, quia sunt sine verbo Dei. Sie können nicht ein Herz recht trösten. Darumb, lieber Herr, behüt mich dafür.

Internum eorum miseria.

הַוּוֹת est Herzleid, Unglück, noxium, Jammer. Wenn sie gleich lang lehren, so bleibt doch das Herz immerdar in Jammer und Herzleid, dass nimmer kein rechte Freude hinein ins Herz kompt.

Sepulchrum patens guttur eorum.

Potest intelligi de avaritia, quod sint insaturabiles. Sed mihi eo videtur referendum, quod homicidae sint, qui multos occidant et devorent, ihr Hals ist ein Höll-Rachen. Guttur ipsorum, per quod clamant et praedicant, est quasi sepulchrum insaturabile, das immer offen stehet.

Linguis suis blandiuntur.

Gute Wort und guten Schein haben sie, sicut jam manifeste videmus. Behüt mich dafür, lieber Herr, wenn einer da hinein fähret, so fähret einer wie in die Hölle.

Judica eos Deus, ut decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.

Siehe doch das an, dass sie dich lästern und schel-

ten, so schilt sie wieder, fac eos reos, accusa eos, mache, dass sie es fühlen, führe sie ad examen; gib ihnen ein bös Conscienz, dass sie wissen, dass sie Unrecht thun, dass sie ablassen also von ihren Gedanken. Es sind ja „consilia impiorum", sicut est in 1. psalm. So verschaff, dass ihr doctrina nicht also hinaus gehe, wie sie es fürnehmen.

Quoniam irritaverunt te domine.

Putant suas cogitationes esse cogitationes Dei, sed irritant te, non placant.

Laetentur in te omnes, qui sperant in te.

Tractat primum praeceptum. Ipsi non sperant, non aedificant se tuis promissionibus, sed sperant in se ipsis. Omnes igitur, qui sperant in te, die müssen betrübt sein, tu fac, ut laetentur.

Glorientur in aeternum.

Dieselbigen lass rühmen, sie haben justam materiam jactandi, denn sie rühmen sich unsers Herr Gotts.

Quia tu protegis eos.

Quanquam dicant, quod gubernemur a diabolo, tamen tu nos protegis.

Exsultent in te.

Lass sie guter Ding sein, doch in dir. Extra te enim nihil est, nisi tristari.

Qui nomen tuum diligunt.

Respicit rursum ad primum praeceptum.

Quoniam tu benedicis justis domine.

Est epiphonema, sicut supra in 3. psal.: „Domini est salus," es ist ja bei dir. Ipsi maledicunt, sed tu benedicis. Porro justus est, qui sperat in Deum, qui nomen ejus diligit: illi autem a mundo maledicitur.

Dilectione perinde ac scuto eos circumdas.

Dein gnädiger Wille ist ihr Schild. Est elegans et valde bonus psalmus.

In eundem Psalmum.

In finem pro haereditatibus.

Finis, id est, gratia cujus, darnach du ringest, ac si quis dicat: Hoc voluerunt, das suchen sie. „De haereditatibus," id est, de duobus lucris, finibus, praemiis, fructibus, commodis, Geniess, Gewinn, Nutz, ut psal. 127.: „Ecce haereditas domini filii." Item: „Ecce haereditas mea praeclara," id est, fructus meae passionis. Impiorum praemia sunt perditio, piorum salus.

Scopus psalmi est,

definire { impiorum, piorum } studia, dogmata et praemia per comparationem

utrorumque { illos damnat in sua justitia, se laudat in Dei gratia.

Pius

de se nihil praesumit, sed orationibus quaerit omnia.

Impius

praesumit omnia et nihil petit a Deo.

Orat autem maxime in hoc psalmo pro gratia justificante, quam impii contemnunt.

Rex meus et Deus meus.

Rex } in { politicis Regit enim { corpus,
Deus } in { spiritualibus. Deus { animam.

Ideo nihil pius sibi arrogat virium aut sapientiae, etiam in corporalibus, politicis, oeconomicis. Er gibt Alles von sich, Tu sis fac totum.

Nos contra mallemus { Deum esse creaturam et servum, nos esse Deos et reges, ut

nostris { ageret, formaretur, placaretur.

Mane exaudies vocem meam.

Mane { temporis, ante omnia;
affectus, velociter.

Sit ergo sensus: Primum quaero regnum Dei, et oro, illud et tu ante omnia me exaudi.

Mane adstabo.

Hoc est, parabor, formandum me tibi praebeo, curo diligenter, ut docibilis tibi sim, et a te docear, non velox ad loquendum, sicut illi impii docere promti. Ego observabo et audiam te Deum et regem meum, quid loquaris in me. Audiam, quid loquatur in me dominus. Prima cura erit audiendi verbi Dei.

Antithesis in verbo { parabo, observabo, } quia undique obstrepunt, obtundunt, obstant impiorum magistri, qui non sese parant, aut observant te docentem, sed confunduntur, dividuntur, disperguntur in varias sectas et neminem observant, vel audiunt praeter se ipsos. Sumta metaphora ab ordine lignorum in strue sacrificii compositorum (עָרַךְ) vult simpliciter et solum uni verbo intendere, uni magistro, uni regi, uni Deo, in medio rottensium diversissimorum.

Quoniam Deus non volens impietatem tu es.

Non placent impii, die Heiligen.
Non permanebunt mali, die Frommen.
Non stabunt { insani, die Lehrer, Doctores, magistri, die Wächer,
Odio habet mendaces, die Prediger,
Perdit, abominatur crudeles et fallaces, die Strengen. Pro justitia ζηλῶσι, occidentes filium Dei propter Deum idque sanctissima causa veritatis, quam vita ostendunt sine fallacia.

} Contrarium est verum apud impios

Hoc enim urit prophetam;

quod impii volunt et jactant se,
{ placere,
manere,
stare,
amari,
salvos esse,
delicias esse, }
et pios potius esse, quod psalmus dicit.

Ideo sese erigit et suscitat ira contra eos: Ich weiss, dass sie dir nicht gefallen. Πληροφορία enim fidei hic loquitur irata istis jactatoribus.

Insipientes.

Die Tollen. Credo dici a jactantia sui, ob quam pro fatuis habentur, dass man sie für Narren hält, die viel Rühmens und Meisterns wissen, neminem audiunt, sunt indisciplinabiles. Erasmus proprie est הוֹלֵל, jactator, ab הָלַל, laudare, sicut stulti solent se magnifice jactare.

Ego autem in multitudine misericordiae tuae.

Meus cultus est,

fidere, } in { gratia tua,
timere } in { operibus meis,

ut cum apostoli redeuntes laetabantur, quod daemones eis subjicerentur. Sed corripit eos Christus, docetque haerendum in gratia, „quod nomina vestra in coelo sunt scripta." „Cum feceritis omnia, dicite: Servi inutiles sumus," id est, nolite laetari, gloriari, fidere in opere. Actuum 7.: „Et laetabantur in operibus manuum suarum."

Nota, quam pugnent illa duo,

fidere, } et { omnia fecisse,
timere } et { inutilem esse.

Quis porro operabitur, si ultimo sit hoc accep-

turus, quod omnibus factis, quae facere debet, sit inutilis, nondum imperfectus, sed prorsus inutilis, qui tamen fecit omnia? Hoc mundus ignorat.

Domine deduc me in justitia tua.

Orat, ut sic facere possit et dirigi in medio hostium contraria docentium et facientium, ne eum subvertant, aut alliciant in suas sectas relicta

justitia { timoris, fiduciae } erga Deum.

Quasi dicat: Weil dann der Andern so viel ist, die dawider lehren und thun, so behalt mich auf deinem Weg, id est, in gratia. Mirum est, quod propheta petit, quasi haec nec habeat nec sciat, cum nostri Rottenses subito omnia possint et sciant.

In ore eorum nihil certi.

Es sind opiniones, speculationes sine verbo, licet ipsis petrissimae petrae videantur.

Intimum eorum miseria.

Id est, conscientia eorum est miserrima, quia eorum doctrina adigit ad desperationem, bringt uns in Jammer, Herzleid und alles Unglück.

Judica eos Deus.

Oratione contra impios est pugnandum, ut Deus eos faciat reos, confusos, et irrita eorum studia, et alienos ab ecclesia et nostra societate.

Quoniam irritant te.

Amaricant te, id est, suavissime te delectant.

Laetentur omnes, qui sperant in te.

Oratio pro piis, ut laetentur fide in domino, non operibus, et non in se ipsis.

Jactent similiter atque perpetuo, quorum jactantia stabit in aeternum, quia gloriantur non in se, sed in te.

Exsultent in gloria, nomine, laude tua, non in sua.

quia diligunt gloriam tuam, oderuntque suam, das kann auch Niemands. Impii enim diligunt nomen suum, in quo laetantur etc., et oderunt nomen ac gloriam domini.

Protegis eos contra illorum insanias et omnia, contra legis, peccati, irae, mortis accusationes, remissis scilicet peccatis et gratia tua.

Benedicis justo.

Cui tamen totus mundus maledicit, etiam ipsum peccatum et conscientia, ita ut, nisi tu solus, non sit, qui eum benedicat. Impii vero ab omnibus benedicuntur praeterquam a te solo.

Coronas beneplacito.

Imo impios ita coronas, pios vero coronant irae, persecutiones, et omnia mala mundi. Ergo fide et verbo ista cognoscuntur esse vera.

PSALMUS SEXTUS.

Das ist nu ein sehr hoher Psalm, den wir armen Leut nicht verstehen, und allein für die grossen Heiligen gehöret. Tertius psal. est de persecutione, 4. de tribulatione, 5. de haeresibus. Also gehen wir durch und durch in den tentationibus. Hic autem sextus psalmus est de spirituali tentatione, quam monachi dicunt spiritum blasphemiae, dass einer mit unserm Herrn Gott zürnet, dass ers nicht recht macht. Est tentatio fidei et spei, dass einer nur verzweifeln will.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei domine, quoniam infirmus sum.

Das sind eitel treffliche Wort, die er mit Gott redet. Er klagt uber kein Menschen, sondern uber unserm

Herr Gott selbs. Es muss gestraft sein, spricht er, aber lieber Herr Gott, dass es nur des Vaters Staupen sei, und nicht des Richters und Stockmeisters. Quanquam autem hunc psalmum non possimus assequi, tamen prodest eum bene nosse, ut sciamus, cum sic tentemur, nos non solos esse, qui sic tentamur, sic enim solet tum fieri. Ratio simpliciter judicat ex sensu et dicit: Er will mein nicht, wie Doctor Krauss [a]). Sic David sentit hic iram et furorem et damnationem, non gratiam. Dennoch weckt er sich auf und spricht: Thue es nicht, lieber Herre, bis mir gnädig, ich bin ja schwach.

Sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde, sed tu domine quousque?

Est expositio angustiae, das ganz Leben, Mark und Bein erzittert, alles, was im Menschen ist, kann den sensum nit leiden. Non possunt ista concipi humano corde, sola experientia docet. Et tamen bonum est, dass wirs nicht allein sind, wenn es also kompt. Haec tentatio est stimulus carnis, sicut Paulus vocat.

Convertere domine et eripe animam meam.

Das ist ein recht einfältiges Gebet. Sentit Deum aversum, amisit promissiones, verbum gratiae et salutis, dass Nichts mehr da ist, denn eitel exempla irae, Sodoma, Gomorrha, tam magni populi interitus, qualis est hodie Turcarum. Aversum enim dominum esse significat, amissum esse verbum, et relictum se esse solum, hominem contra Satanam.

---

a) Hic Halae Saxonum se ipsum suspendit, anno 28.

Adjuva me propter misericordiam tuam.

Da lässt er alle opera fallen, spricht nicht: Herr, hilf mir, dass ich den Tempel und Gottesdienst so habe angericht etc. Est primum praeceptum, dass er will ein gnädigen Gott haben.

Quoniam in morte non est memoria tui.

Est secundum praeceptum. Alsbald man misericordiam verleurt, so verleurt man auch laudes. Ergo remanent blasphemia et odium, dass einer wöllt, dass einer ein andern Gott hätte.

Quis in inferno confitebitur tibi?

Wer hat ihm das gesagt? Er muss freilich im Tod und Hölle gewesen sein, sonst wüsste er nicht so gewiss darvon zu reden. Pertinet, sicut dixi, ad secundum praeceptum. Rogat enim, ut possit laudare et celebrare Deum.

Laboravi in gemitu meo, lavo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis rigo stratum meum.

Haec quidem hyperbolica sunt quoad corpus, sed quoad animam non sunt hyperbolica. Impetus animi major est, quam omnes hyperbolae. Corpus autem non potest animum sequi. Ich bin müde worden mit Seufzen, spricht er, sicut quoque fit, dass sich einer müde weint.

Vultus meus prae moerore corruptus est.

Sunt tragicae descriptiones. Incipit hic suspirare verbum, et paulatim quoque ad tertium praeceptum veniet. Quod latinus furorem fecit, hebraice est כעס, Unmuth, Trauren, verdrossen, unwillig, sicut de Davide dicitur, cum audiret nuntium de occisis filiis. Significat proprie betrüben. Sic autem solet fieri, moeror ossa exsiccat, und verderbet den ganzen Leib, generatur melancholia.

Inveteravi, ich werde gleich alt und grau.

Quia undique angor, inter omnia, quae me tribulant. Wo ich hin sehe, so ist causa tristitiae da. Es fällt einem kein guter Gedank ein, sed diabolus obsidet cor exercitibus malorum exemplorum et dictorum, dass einer grau drüber wird. Hucusque est oratio vel conquestio, jam incipit confortari.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.

Operari iniquitatem pertinet ad sanctos hypocritas, qui coram mundo non videntur esse Übelthäter. Was lehret ihr denn? Ihr lehret nicht ad misericordiam fliehen, nicht rufen, nicht bitten, sicut papistae nunc. Atqui non orare est contemnere Deum, et incedere cum praesumtione operum.

Quoniam exaudivit dominus vocem fletus mei. Exaudivit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam suscepit.

Es ist mir umb die oratio zu thun, sum exauditus, sicut supra 4. psal., scitote: Wir werdens auch nicht anders machen, wir müssen auf Barmherzigkeit warten und rüfen. Commendat hic nobis suam religionem, quam nihil aliud esse dicit, quam flere, deprecari et orare. Haec qui in fide misericordiae possunt, die sind recht.

Confundantur et conturbentur vehementer omnes inimici mei, vertantur in fugam et erubescant valde velociter.

Foris habet persecutionem doctrinae, intus diabolum. Orat igitur, ut pudefiant, terrefiant ac retrocedant, et sic perfecte confundantur, dass sie es wieder erst müssen versuchen, so wurden sie ablassen von ihrer

Praesumtion, et portarent suam ignominiam, et dicerent: Tibi o Deus justitiam, nobis confusionem. Sequitur jam septimus psalmus, da muss es auch seditiosus werden.

In eundem Psalmum.

Pro octava.

Octava est musicum instrumentum octo chordarum, quod hunc psalmum sine instrumentis non licuit canere. Decachorda fuit festiva et laudum, ut Ps. 33., at octochorda ferialis et luctui apta, ut hic.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Ira et furor Dei est sensus derelicti a Deo, a verbo, a fide, idque operante Satana, mortis, peccati, conscientiae auctore, qui diffidentiam, desperationem, blasphemiam urget, telis illis ignitis, seu, ut Hiob ait, sagittis infixis, quae spiritum ebibunt. Sed haec non a Satana fieri, imo a Deo solo urgeri sentit ac credit cor, quia Satan se in majestatis (quae deserit) figuram transfert, ut Matthaei 4. Christo fecit, dicens: „Si me adoraveris etc." Haec est maxima tenebrarum. Ideo clamat: Domine, tua, tu, ira, furor, ne corrigas.

Dicendo (arguas, corripias) fatetur se peccatorem dignum poena: sed orat, ut sit temporalis et paterna, non aeterna et judicis irati. Ergo simul laborat conscientia mordente, imo absorbente et poena conscientiam accusantem sequente, nempe inferno.

Hic vides nudatum omni fiducia operum. Hic etiam optime facta silent, imo accusant, quia non audet ea opponere irato Deo, sed totus peccator est, omnia peccatum sunt. Haec securi impii ignorant. Ideo confugit ad unicum illud asylum misericordiae, fassus non esse currentis neque volentis.

Miserere mei domine.

Spiritus sanctus est, qui audet insurgere contra iram, et contra spem concipit spem. Peccator ira dignus, teste se ipso, gratiam quaerit veniam petendo.

Vides enim eum hic nullum singulare peccatum allegare, sed eum generaliter peccatum confiteri. Ergo piorum peccatorum haec est vox, qui gratia, non meritis fidere discunt.

Sic loqui et clamare	ratio, natura, liberum arbitrium	non potest.

Ideo sub hoc sensu mox desperat, et vel se ipsum occidit, submergit, strangulat, vel apoplexia corruit, vel perpetua melancholia (ut medici dicunt) tristem vitam agunt, vel tandem ad insaniam, furorem, aut alia monstra convertuntur.

Est autem hic sensus simul quidam prospectus omnium tristium, horribilium, pessimorum exemplorum, mortium, historiarum, factorum, dictorum, in quibus ira Dei et vindicta monstrata est. Quae omnia in momento (sicut Christo regna mundi in momento ostendit) Satan ob oculos ponit, et conscientiam his in modum coronae cingit, sicut Saul Davidem, ut, nisi Spiritus s. hic adsit, necesse sit in momento ruere, et apoplexia velut occumbere.

Hoc est, quod dicit: „Infirmus sum," da ist kein Kraft mehr, neque vitae, neque salutis, neque justitiae ulla spes aut subsidium, sed mors, peccatum, ira, infernus. Ich kann nimmer.

Sana me.

Copia est ejus, quod dixit: Ich kann nimmer, seu imbecillis sum. Iste sensus debilitat ossa, robur, sanguinem et medullam corporis quoque. Deinde animam

adhuc vehementius quatit, et sic pavefacit ac conturbat, ut nihil cogitare, sed nec orare quidem aut optare possit, sed tantum perire cum impiis sese putat in aeternum. Ibi momentum est annus, mora longissima. Miraculum, quod non maledicit et blasphemat sicut Hiob, sed inveeat etiam territa mente et ossibus. Hoc forte voluit significare auctor libri Hiob, quod gentilis id non posset, quod potuit David Judaeus.

„Anima turbata" est vitae desperatio et mortis sensus irascente Deo.

„Ossa turbata," est redundatio ejus desperationis in corpus, quod eam ferre non potest.

Haec turbatio est a Satana, deserente verbo, spiritu, gratia, sibi relicto homine cum diabolo in agone.

Sed tu domine quousque?

Ach Herr, wie lang?

Gemitus ineffabilis, spiritu expressus, Rom. 8. Est enim sensus aeternitatis in ira, wills denn kein Ende haben? Desperare possem. Sic enim afflictus finem nullum videt.

Convertere domine.

Wende dich, Herr.

Aversum fatetur se sentire, id est, ablatum verbum, spiritum gratiae, et affectum misericordiae. Et idem gemitus est ineffabilis, ut supra. Animam desertam eripi a morte, peccato, diabolo petit.

Propter misericordiam tuam.

Umb deiner Güte willen.

Da steckts. David plenus operum bonorum spiritualium, politicorum, imo miraculorum, quin et promissionum et experientiarum gratiae, omnium horum obliviscitur, omnibus destituitur in hac pressura, ut non unum audeat allegare, sed nudam misericordiam invo-

est tanquam novissimus peccator. Das mag ein Glaube sein, quae in rebus non apparentibus luctatur fortissime. Quis credit talia placere Deo?

Quoniam non est in morte etc.

Denn im Tod gedenkt man dein nicht.

Ergo sentit mortem et infernum, in quibus non est fides, nec spes, nec invocatio, nec verbum, igitur nec salus, nec redemtio, igitur nec gratiarum actio, nec laudes. Wo kein Dank ist, ibi maledicere und blasphemare. Abhorret itaque a blasphemia in inferno: was hülfe dich denn, dass ich dich schälte? Es ist besser, ich lobe dich. Denn du bist je dignus laude, non blasphemia. Numquid omnes homines perire vis et nullum salvare? numquid in vanum constituisti omnes filios hominum?

Sic enim apparet ita tentatis, quasi omnis homo sit perditus. Nullum enim sanctorum hominum tunc cernit, sed solum damnatos, quia nullum exemplum vitae aut gratiae, sed exempla mera irae et mortis aeternae.

Laboravi in gemitu meo.

Fessus sum gemendo, ich hab mich müd geseufzt, dass mir gleich der Leib wehe thut von Seufzen.

Exprimunt hi duo versus externam faciem corporis ex animae angustia contractam. Nam sic adfecta anima trahit suspiria talia, quorum quodlibet sufficeret ad fatigandum corpus. Ideo non sunt diuturna (quod esset impossibile), sed breviter transeunt.

Stratum meum lacrymis rigo.

Est ὑπερβολή, sicut illud germanicum: Er weinet, dass er möchte Händ und Füss damit waschen. Sic hic: Ich möchte mein Bett damit schwemmen. Significat exhaustum se esse lacrymando. Nec tamen ista sunt facta pro satisfactione, sed tantum pro cognitione peccati, quam magnum sit, et quanta sit gratia

remissionis, ne scilicet vilescat misericordia, si peccatum sine poena remitteretur, aut inultum maneret.

Nocte, quando } maxima quies, et pax
in lecto, ubi }

quaeritur, ut significet malum hoc esse immedicabile studiis nostris, sed sola gratia Dei mitigari. Cum in lecto et nocte omnes recreentur naturaliter, haec tentatio solatiis ejusmodi augetur potius. Solo autem verbo gratiae lenitur.

Tabescit prae tristitia facies mea.

Quia animae passiones afficiunt corpus, pallet vultus, oculi, frons obscurantur, et apparet senilis facies. Loquitur autem praecipue de tempore tentationis ejus, quia extra horam talem alia facies est, licet assiduitate tentationum harum corpus etiam et tota vita valde mutetur.

Discedite a me omnes operarii iniquitatis.

Quia haec tentatio docet peccatum, gratiam, et vim ejus, contra quae justitiarii tota vi pugnant (justitiae Dei non subjecti), ideo apostrophen in eos vertit, indignans, quod misericordiam contemnunt, nec hoc solum, sed etiam persequuntur passum peccata, et fassum gratiam.

Quoniam exaudivit dominus.

Hic versus probat gratiam, non meritum valere apud Deum, quia jactat non merita, sed gratiam exaudientis. Quo plane fatetur esse miserentis, non currentis, et utitur copia trimembri propter pertinaciam adversariorum et suam confirmationem. Nam qui petit vel petita confitetur, is significat se egere, accepisse, nihil habuisse, quod gloriaretur, ergo justus fide vivit, et est filius misericordiae, non magister aut pater operum.

Confundantur.

Optat eis similia experiri, ut salvi fiant. Fatetur

autem esse eos inimicos et persecutores. Fatetur quoque eos florere gloria, successu, laetitia, fortuna, alias confusionem et retro conversionem confusis et jacentibus non imprecaretur. Es wende sich.

Confundantur, qui sunt in gloria.

Conturbentur, qui sunt in laetitia.

Convertantur retro, qui sunt in successu et fortuna. Idque fiat subito. Amen. Das bald geschehe.

PSALMUS SEPTIMUS.

Praeter illas tentationes, quas habuimus, una reliqua est, scilicet seditio, quam quoque christiani coguntur pati. Mit dem Titel musste Christus auch sterben, sicut nunc evangelium accusatur, quod faciat seditiosos, bella etc. Das muss man lernen, dass es nicht anders will sein. Das Evangelium lehret ja Friede und Gehorsam. Dennoch muss es den Namen haben, dass es seditiosa doctrina sei. Das macht, dass wir nicht alles wöllen thun, das sie wöllen. Sic David accusatus est a Semei [a]): „Egredere vir sanguinum, qui invasisti regnum Saulis." Also gehets, qui serviunt paci, der muss aufrührisch heissen, accusatur laesae majestatis. Darumb sollt der Teufel der Welt dienen.

Domine Deus meus, in te confido, salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me, ne quando rapiant ut leo animam meam, et lacerent, dum non est, qui eruat.

Confitetur, quod inimici praevaleant. Item confitetur, dass er verlassen sei, und dass sie ihm hart an der Seiten sind.

---

a) 2. Reg. 16.

Domine Deus meus, si feci hoc, si est iniquitas in manibus meis.

Hic accedit ad causam. Si est verum domine, quod vi regnum invaserim, so bewillig ich mich zu leiden, was ich leiden soll, denn er ist derselbigen Sünde selbs feind.

Si malum reddidi pacificis meis, aut laesi eos, qui me sine causa persequuntur.

Diese Stück gaben sie ihm alle Schuld, quod malum redderet pro bono, quod spoliasset Saulem. Dicit igitur: Ist es mein Werk, so geschehe mir mein Recht; aber ich habs nicht gethan, Gott hat es gethan und mich darzu gedrungen. Sic nunc nobiscum quoque agitur. Papst und Bischoffe sind vorhin verdampt, so wöllen sie es nun dem Evangelio Schuld geben, quod non licet eis impune peccare.

„Sine causa", quasi dicat: Mandatum tuum fuit.

Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

Est innocentiae fiducia. Meinethalben wollt ich weder Leben noch Ehre ansehen.

Exurge domine in ira tua, et exaltare contra furores tribulantium me.

Siehe, wie sie nur wüthen, wie itzt auch, sind sie gar toll und thöricht. So bittet er nun: Herr, setze deinen Zorn wider ihren Zorn.

Et suscita mihi judicium, quod mandasti.

Hilf mir das regnum handhaben. „Judicium" enim significat ministerium et officium regendi et administrandi populum. Hoc fac propter mandatum tuum, ut stet tua gloria. So zürne auch: et propter populum. Sic primo gloriam Dei, secundo populi commodum

allegat, dass er regieren möge, und Gott mit dienen, und den Leuten Nutz möge sein. Also sage ich auch: Wenn ich nit Gottes Ehr und der Leute Nütz ansähe, wollt ich mein Lebenlang kein Predig thun.

Ut congregatio populorum sit circum te.

Non dicit: Circum me, ne videatur sua quaerere. Sic supra: Vide, quod tuum est judicium, noli me spectare. Impius rex aut minister dispergit populos, et fugat a Christo, pius autem congregat eos, non ad se; sed ad ipsum Deum, quia congregat ad verbum.

Propter illos.

Non propter me. Si Absolon in regno manserit, fiet, ut populus mandatum tuum contemnat, nec putet me a te creatum regem.

Exaltare.

Quasi diceret: Verbum est jam prostratum, so nimm dich des Ampts wieder an. Est oratio contra nostros episcopos et monachos, die obenan sitzen, und lassen unsern Herr Gott erniedeн.

Dominus judicat populos.

Est mutatio personae. Ipsi non sunt judices, judicium ad te pertinet, non ad illos, qui non habent verbum. Haec est una oratio pro regno et republica, pro gloria Dei et salute populi. Jam de se loquitur.

Judica me domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

Allegat suam justitiam humanam, scilicet, sum peccator coram te, tamen habeo bonam causam coram hominibus.

Consumatur nequitia peccatorum, et dirige justum, qui scrutaris corda et renes,

Deus juste.

Sie gleissen schön, und machen uns so unfläthig. Sed tu Deus judicas non solum faciem, sed scrutaris

renes, id est, affectiones, et cor, id est, cogitationes, du weisst, was ein Mensch gedenkt im Herzen, und warzu er geneigt ist.

Clypeus meus apud dominum, qui salvos facit rectos corde.

Jam sequuntur consolationes. Erecta enim fiducia securus fit, et praedicit, comminatur et prophetat: Est valde bona concio, quam hic instituit.

Adjutorium meum a domino: illi in principibus, gladio et armis confidunt. Gott aber ist mein Schild, der hilft dem Rechten.

Deus est justus judex.

Id est, qui juvat justum.

Et minatur quotidie.

Es ist auch ein strenger Richter. Dividit officium judicis in duas partes, quod salvet innocentes, et perdat nocentes.

Nisi convertantur, gladium suum acuit, arcum suum tetendit, et direxit illum, in eo paravit mortis tela.

Sunt verba vehementissimae actionis, quod ponit ob oculos jam impendere iram, sed non credunt.

Sagittas suas fecit ad perdendum.

Verbum דָּלַק significat vastare, perdere. Er wird nit mit einem Strohhalm schiessen. Illae sagittae non sunt jocus, es gilt Leib und Leben, paravit eas non ad jocandum, sed simpliciter ad perdendum. Aber es sein solche Gesellen, die eins thun, und fragen nichts darnach, sicut nec nunc comminanti Deo credunt. Jam sequitur prophetia.

Ecce hic parturit iniquitatem, concepit laborem, et pariet rem nihili.

Quasi de facto deridet eos. Vos non auditis, non

credidit, sicut nunc quoque fit, machinantur et consultant, tument utero consiliorum et cogitationum, id est, molimini, consultatis, und wenn mans beim Licht ansiehet, so ist es injustitia et dolor, es wird doch Nichts draus. Eadem figura Esaias quoque est usus: „Omnia consilia eorum sunt irrita." Haec de partu, jam de estu quoque dicit.

Lacum aperuit, et effodit eum, et decidit in foveam, quam fecit.

Sicut irritum contra nos fit consilium ipsorum, sic fit noxium contra ipsosmet, cadunt et irretiuntur suo proprio laqueo.

Revertetur in caput ejus labor ipsius, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Si quis has promissiones posset credere, dass mans als gewiss könnte sein, als wäre es schon geschehen. Sic humanum imperium, cum vellet christianos perdere, periit, et christiani manent. Sic ratum est, quidquid contra Christum instituitur, das muss uber ihn selbs ausgehen, sie müssen sich selbst ablaufen. Ex necessitate muss es also gehen, denn Deus ist ein justus judex, so heisst er. Das ist nu ein lieblich und sehr löbliche justitia, quod suos inimicos propriis consiliis perdit, darumb soll man ihn billig loben.

In eundem Psalmum.

Domine Deus meus, in te confido.

A fiducia gratiae incipit erga Deum, opera et merita tacet. Deum esse suum fatetur secundum primum praeceptum. Sic non incipit impius, sed sic: „Gratias ago tibi, quia jejuno bis in sabbato."

Salvum me fac ex omnibus persequentibus me.

Deus meus es, et ego in te Deum fido: fac quod

Dei est, sicut ego facio, quod fidentis est in Deum, hoc est, salva.

Ne forte rapiat sicut leo animam meam.

Expositio angustiae, quae cogit fidere et invocare. Omnis enim invocatio causam habet necessitatis urgentis.

Domine Deus meus, si feci istud.

Conscientiae securitate audet contra adversarios sistere, etiam judice Deo.

„Istud", quasi dicat: In ceteris fateor me peccasse multa, sed in isto crimine sum innocens, scio, quia non mea, sed tua voluntate rex factus sum loco illius Saul.

Γνώμη. Etiam tuta timet bona conscientia.

Hic rex, verbo Dei institutus, tamen pompa et specie rerum adversariarum labascit, et eget sui confirmatione. Cogitur disputare, contendere et pugnare pro certis rebus, verbo Dei firmatis. Tam tenera res est conscientia.

Concludit: Non est hic iniquitas mea, scilicet, contra Satanam, conscientiam, vocem adversariorum, hus verbo Dei firmatis. Sic superbit, et erigit se ipsum.

Si reddidi malum pacificis meis.

Neque regnum ambivi, neque illum expuli, vel sua invasi, sicut Semei clamat, et Satan in conscientia urget, ut me dubium reddat de regni possessione.

„Sine causa", id est, sine urgente verbo tuo, aut mera adfectatione regni, sicut psalmo 25. dicitur: „Inique agentes supervacue." Erigit igitur se verbo, et eluctatur contra impetum hunc Satanae.

Persequatur inimicus meus animam meam etc.

Vitam et gloriam securus deponit in judicium Dei contra adversarios, paratus amittere, sed retinendi multo certissimus pro secura et tuta conscientia inno-

cientiae suae. Magnus affectus, quali Moses deleri de libro vitae voluit, et Paulus anathema esse, Roma. 9. Emphasis vel epitasis in singulis verbis. Non aurum, gemmas, domum, sed animam, vitam, gloriam: deinde, non vendicet in servitutem, sed persequatur, comprehendat, conculcet, sepeliat.

Exsurge domine in ira tua, et exaltare in furoribus inimicorum tuorum, et excita judicium meum, quod mandasti.

Firmata et securata conscientia fidens nunc orat, et accusat adversarios, quibus imprecatur iram Dei, quia bonitatem ejus duri et securi contemnunt, et ea abutuntur in perniciem justi. Deinde nullam causam habent, nec speciem, sed merus furor est et hostilis insania, qua eligunt esse inimici, et nocere justo.

„Judicium", id est, officium regium. Vide verecundiam sanctam. Non orat sibi restitui regnum aut gloriam, nec meminit ullo verbo dignitatis aut potentiae regiae, sed judicium vocat, scilicet, opus regis optat, et prodesse ac servire aliis cogitat, nec hoc propria electione, sed vocatione sui coactus, quia „quod mandasti" inquit. Vocatus sum per te ad regnum, ideo cupio obedire, et officio satisfacere.

Et synagoga populorum circumdet te, et propter hanc in altum revertere.

Es ist mir umbs arme Volk zu thun, quia me non restituto et mandato tuo irrito lupis et seductoribus praedae erunt, ut qui Absoloni et suorum sententiae consentiunt, ac per hoc tuo verbo resistent, quo mihi mandasti regnum, ut sic seducti et inobedientes crimine seditionis coram te involventur, et poenam similem merebuntur.

1) Vide, quantum periculi sit alienis peccatis communicare.

2) Populos circa Deum congregari, quando hic majoribus obtemperent.

3) Deum ipsum, scilicet, in verbo et mandato suo exaltari, quando magistratus in suo honore habetur. Quanto magis, si apostoli et ministri verbi honorentur aut contemnantur, ista duo diversa contingent?

Dominus judicat populos. Judica me secundum justitiam et integritatem meam.

Persona pro persona per allöosin, ut cum dicunt: Loquatur dominus meus, id est, tu domine, cujus est judicium super omnes populos. Du bist König und oberster Bürgermeister. Exerce igitur officium tuum inter me et illos, ut me justifices re ipsa, et innocentem declares, sicut me mandato tuo in hoc judicium tuum vocasti.

Consumatur malitia impiorum, et stabilias justum, quia tu Deus justus, probas renes et corda.

Judicis est has duas partes judicii exequi, sontem damnare, insontem absolvere. Deo igitur judicium tribuerat. Orat autem et monet, ut id exsequatur. Tu enim recte judicas, quia non secundum faciem aut composita verba, sicut homines faciunt, qui falluntur et fallunt etiam rei, sed tu corda nosti, ideo non falleris. Hoc dicit, quia Absalon magna specie fulgebat, ipse vero infirma laborabat, ut de invasione regni, quae in vulgo magna et aperta videbatur esse, ut qui verbum vocantis Dei non curabant, sed rem ipsam sine verbo adspicientes oderant. Sicut et modo fit, ut verbo nostro contempto solum id clament, quod tyrannis clericorum fracta jacet, non quis faciat, sed quid fiat eis, hoc curant. Verum Deus judicat et facit haec, hoc scit ipse et testatur cor nostrum.

Clypeus meus apud dominum, salvatorem recti cordium.

Epiphonema: Summa, das ist mein Trotz, Schild und Burg dominus, qui cum judicet, certum est, quod absolvat innocentes.

Altera pars Psalmi.

Deus judex justus, et Deus minans tota die.

Hactenus pro se egit, obtulit se ad judicium, oravit, se ipsum solatus est. Nunc agit contra adversarios minando, suadendo eis timorem Dei, praedicando, prophetando eis mala.

Minas exaggerat primo, quod Deus est justus, ideo non potest sontes impune dimittere. Timeant ergo superbi et mali. Secundo minatur et indignatur. Non solum potest, sed vult etiam punire, idque in ira. Tertio, neque differet, sed velociter vindicabit, ut sequitur.

Est de resurrectione mortuorum. Sie halten das Leben für ein Leben, aber es ist ein anders vorhanden. Das Leben ists nit, ich sehe auf ein anders, scilicet tuam faciem. Dass du uns offenbar werdest, dazu wöllen wir kommen per justitiam.

Satiabor, cum surrexerit similitudo tua.

Verbum hebraicum הָקִיץ proprie significat excitari de somno. Homo, qui est in mundo, est imago vitae hujus, sed cum tua imago surget, tum erimus in justitia. So werden die Ding aufhören, quae hic sunt. Tum surget imago tua, id est, tum renovabimur in imaginem filii, ut simus justi, sapientes, et vivamus in aeternum. In hoc autem mundo heissets nichts anders, denn: probasti me in igne.

PSALMUS DECIMUS OCTAVUS.

Das wird freilich der letzte Psalm sein, den David gemacht hat, sicut apparet ex libris Regum cap. 22., quod fecerit eum paulo antequam moreretur. Er hat nie keinen Fried gehabt, bis in den Tod hinein. Est igitur haec generalis gratiarum actio pro omnibus liberationibus ex periculis, praesertim quae tempore regni est passus a Saul, Absalon, Philistinis, Syris. Ex multis igitur periculis ereptus, für die hat er unserm Herr Gott gedankt, ehe er ist gestorben. Potest quidem intelligi de Christo psalmus, verum ego puto omnia rectius ad Davidem referri. Allegoria tamen Christum significat.

Diligam te domine.

רָחַם est verbum affectus, et significat tenerum illum amorem, quo parentes filios et filii parentes diligunt. Dicit igitur: Habeo viscerosum et filialem affectum in te. Sic confitetur summum suum affectum, dass er einen Lust an unserm Herr Gott habe gehabt. Sentit enim inenarrabilia esse ejus beneficia, ex hoc exuberanti affectu congeries, quae sequitur, enata est. Est mirabilis copia hebraici sermonis.

Fortitudo mea.

Fatetur non suis viribus et consiliis fecisse, quidquid fecit, sed solum virtute divina, sicut Petrus dicit 1. Pet. 4.: „Si quis ministrat, ministret tanquam ex virtute divina." Significat חֵזֶק talem fortitudinem, qua sumus validi.

Petra mea et arx mea.

Das sind vor Zeiten die besten praesidia gewesen, ein fest Schloss auf einem Fels. Vocat igitur Deum petram et arcem quoad tutelam. Ich bin allweg bis hieher sicher gewesen, und habe dennoch kein ander

Mauer, Schloss, Festen umb mich gehabt, denn meinen Gott. Sunt verba probatissimae fidei, quae dat testimonium suae experientiae, quod Deus per verbum suum est fortitudo, petra, arx nostra. Per ipsum igitur possumus, quod possumus, per ipsum quoque tuti sumus contra omnes portas inferorum.

Liberator meus.

Qui facit me superstitem, etiamsi peream. Multa mala circumdederunt me: ich bin dennoch allweg erhalten worden, aliis pereuntibus. Est de periculis; semper fui tutus, quia tu petra mea: quodsi in periculum aliquod incidi, ut multi circum me perirent, semper tamen servatus sum. Sic nunc ruunt in nos pontifices et Schwärmerii, nos tamen sumus in petra Christo: da stehen und trotzen wir auf, etiamsi alii in haereses cadant, nos tamen servamur.

Deus meus.

A quo omnia bona suscipimus, spiritualia et corporalia, consolationes et quaecunque alia.

Adjutor meus.

צוּרִי ein Fest, Hort, Trost, Trotz, darauf ich poch, in quo superbio, et sum animosus. Nos plerumque vertimus: fiducia mea. Hinc Tyrus quoque צוֹר dicitur, eine Feste contra omnes impulsus. Sic Deum appellat.

In quo confido.

Hic, quid צוּר sit, exponit, ein Trotz, da man sich auf verlässt. Subindicat autem antithesin, quasi dicat: Alii habent suos צֻרִים, sicut Mose in cantico: „Non petrae ipsorum sicut petra nostra."

Clypeus meus.

Mein Harnisch und Wehre, damit ich mich vertheiding im Streit.

Et cornu salutis meae.

Potestas mearum victoriarum, cornu enim significat regnum, potestatem, quasi dicat: Non est mea potestas, sed Deus ipse est cornu. Omnes meae victoriae sind all unsers Herr Gotts Werk.

Et protector meus.

Du hast mich auch dabei behalten contra insidias et seditionem Absalomi und der andern Buben. Non possumus haec assequi tanto affectu, quo ipse dixit.

Laudando invocabo dominum.

Das ist die Kunst, wenn man sich Gottes rühmet. Est autem antithesis, quasi dicat: Niemand rühme sich selbs, nemo glorietur de sua fortitudine et sapientia: wer da will errettet werden, der halt nur nichts auf sein Weisheit, rühme sich Nichts denn seines Herrns, auf denselbigen trotz er, sicut ego, gloriando de domino, invocabo eum.

Et salvus ero ab inimicis meis.

Si non vis succumbere, glorieris de domino. Est igitur haec piorum ars, quod sciunt, si volunt servari, ut glorientur de domino, und trösten sich unsers Herr Gotts. Sic vincent. In duobus sequentibus versibus proponit fere tentationes et pericula sua.

Circumdederunt me funes mortis.

Id est, Ich bin oft gewesen in Todes-Nöthen, ich bin verstricket und gefangen gewesen in morte, sicut cum pugnaret contra leonem, contra Goliath, contra Saul, contra alios hostes in acie. Sic saepissime est versatus in mediis periculis mortis. Dicit fuebs, es hätt mich schon umbringet, es war kein Retten mehr da, denn petra mea.

Torrentes Belial conturbaverunt me.

Putant nomen hoc factum a בַּל nichts et יַעַל nutz, quasi, ein unnütz Kind. Hinc sic denominaverunt

Satanam. Ego autem puto esse generale nomen, sicut Leviathan, quod generale nomen est draconum in mari. Sic torrentes Belial, id est, malorum hominum, dass es heisse alles, was schädlich ist. Aquae allegorice tentationes significant, gurgites seu torrentes sind die grossen impetus tyrannorum, principum et populorum, qui impetu irruunt, wie die grossen Strom thun. Quasi dicat: Es waren grosse bella, grosse Haufen Leut, et quidem torrentes Belial, die mich verderben wollten. Illi perterruerunt me, sie haben mich oft erschrecket, dass ich schier verzaget hatte. Caro et sanguis, das reget sich: sed cornu salutis hat mich dennoch allweg erhalten.

Funes inferni circumdederunt me.

Sicut supra „funes mortis". Sic Paul.: „Responsum mortis in nobis ipsis habuimus," ich dachte nicht anders, denn ich müsste hinunter.

Laquei mortis praevaluerunt mihi.

Supra significavit vim, hic significat dolum, vis cum Goliath et Philistinis, dolus cum Saul et Absalon, dass er schier verrathen und verkaufet wär. Es waren Strick, wie man den Vögeln und dem Wilde leget. Sum passus pericula tam vi quam dolo, sum petitus violentia et fraude usque ad mortem, et sic, ut etiam saepe praevaluerint, dass ich gedacht hab, ich muss bleiben. Sic est tentatus. Tentationem igitur probatio, probationem spes quoque excepit. Diese Leut können darnach andere recht lehren, und davon reden. Sic tractavit hucusque propositionem, se velle Deo gratias agere, der ihm so oft hat geholfen. Jam narrationem subjicit.

In tribulatione mea invocavi et ad Deum meum clamavi.

Proponit suum exemplum. Ego saepe fui in tri-

tribulationibus, sed habui remedium, scilicet, invocationem, sunst ist kein Trost nicht. Sperare in hominem; das thuts nicht; sed sperare in Deum. Est autem impossibile, in tribulatione sine Spiritu sancto invocare Deum. Sic enim cor objicit: iste Deus, quem tu invocare vis, est tibi iratus, et fecit haec tibi, te sic affligit. Und dennoch muss es sein. Es gilt mit fliehen für dem, der dich schlägt, sondern sich nur schlechts frei in Spiess und in Stich geben, so zeuhet er hinter sich.

Et exaudit vocem meam.

Das ist eitel fides, quod aliquis sic orat, ut post orationem certus sit se esse exauditum. Und ist wohl als ein grosse Kunst, als das erst, dass einer darf zu einem zornigen Gott bitten, und darnach aufs Gebet kann Amen sagen.

De templo sancto suo, et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Sie binden unsern Herr Gott immer an den Tempel, et tamen addunt, quod sit in coelo. In coelo aber können sie ihn nit ergreifen, denn an dem Ort, da er sich hin gebunden hat. Man muss ihn nur da suchen, dahin er sich selbs gesetzet hat, sonst findt man ihn nicht, dass man ihn nur in verbo suo suche. Ideo semper addunt „de templo". Est igitur hoc argumentum psalmi: In periculis fui, und bin heraus kommen per orationem, so thüt ihr ihm auch. Jam addit exemplum.

Commota et concussa est terra.

Hucusque proposuit, quomodo fuerit in periculis mortis, et sit servatus. Est autem moris apud illam gentem, quod alte soleant repetere praeteritas historias, sicut in psal. „Exsurgat Deus etc.". Sic semper repetunt illud miraculum, quomodo servati sint in exitu

Aegypti. Sic Judith, Abacuc, Esaias et omnes prophetae commendant Deum de isto facto, quod tum populum eripuit. Et est quoque generale exemplum pro omnibus piis liberandis et impiis perdendis; Sic adhuc servat pios, impios autem perdit, sicut Pharaonem.

Commota est terra.

Historia est Exodi 14. cap., estque descriptio tempestatis, qua Aegyptii sunt perditi. Da sahe man Blitz und Donner, dass sie meinten, es würde Alles untergehen. Sic Sennaherib quoque periit. Verbum גָּעַשׁ significat beben, sicut fit, cum tonat. Also gehet er mit den impiis umb.

Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quando irascebatur eis.

In radicibus montium, inquit, hat man das Beben gehöret. Berge und Thal ist darvon erschrocken, da er zornig war. Satis diu tolerat impios, aber wenn er hinter sie kompt, so gehets uber und uber.

Adscendit fumus a naribus ejus.

Est descriptio tonitrui, per prosopopoeiam, sicut Germani dicunt: Unser Herr Gott speiet Feuer.

Ignis consumens ex ore ejus.

Sein Feuer verzehret.

Carbones sunt succensi ab eo.

Er hat ein warhaftig Feuer gemacht, das brennet wie Kohlen. Inter aquam et pluvias tamen ardet et urit.

Inclinavit coelos et descendit, et caligo sub pedibus ejus.

Quasi dicat: In illa tempestate adest Deus. Wenns hell am Himmel ist, so ist das Gewolken hoch. Wenn aber ein Wetter ist, so dünket einen, es stosse an das Dach: denn, spricht er, ist unser Herr Gott nahend. Das ist ja einfältig und kindisch von einem Wetter

geredt, wie die Kinder davon reden. In einem Wetter macht unser Herr Gott den Himmel niedrig, und kompt nahend, doch gleichwohl kann man ihn in den Wolken nicht sehen.

Caligo sub pedibus ejus.

Sicut, cum tonat, solemus pueris dicere: Höre, unser Herr Gott zürnet.

Adscendit super cherubin et volavit.

Cherubin in scriptura sunt duo angeli mit Flügeln. Hic autem ventos cherubin vocat et nubes. Denn die Wolken fliegen hinweg wie die Vögel, die sind auch unsers Herr Gotts Flügel.

Volavit super alas venti.

Dat ventis alas. Porro omnis tempestas fit cum vento. Deinde miscentur tonitrua, pluviae, fulgura, fulmina, sulphur, fumus, Dampf. Jam amplius describit, quod Deus sit praesens in illis tempestatibus, wenn er sich an seinen Feinden will rächen.

Posuit tenebras absconditum suum.

Er sitzet droben, inquit, und ist umb ihn her gar finster, habet mirabilem arcem et mirabiles muros, finstere, dicke und wässerige Wolken. Das ist sein Schloss et absconditum, ist nicht von Steinen und Brettern gemacht, sondern allein aus Wolken. Da sitzet er, wer will ihm thun? Der kann ein Schloss bauen, das man ungestiegen und ungeschossen muss lassen. Aber er kann heraus schiessen wider seine Feind, dass Himmel und Erd erzittert.

Prae fulgure in conspectu ejus nubes transeunt.

Est descriptio fulguris, des Blitzes. Wenn er will, so reisst er die Wolken entzwei, und wirfet einen Blitz heraus. Nubes non possunt prohibere illum splendorem, er reisst hindurch mit einem Blitze, als

wär kein Wolken nicht da, sicut videmus, quod quasi totum coelum aperitur, cum fulgurat. Inde haec descriptio est sumta.

Grando et carbones ignis transeunt.

Carbones significant flammas ardentes. Significat autem illud, quod in Exodo est scriptum de angelo: „Posuit se tanquam in igne."

Et intonuit in coelis dominus, et altissimus dedit vocem suam, grandinem et fulgura.

Tonitru vocem Dei vocat, sicut poetae fabulantur de Jove congresso cum Semele. Et Hiob: „Locutus est dominus in turbine." Wenn er redt, so blitzt und donnert es, sicut in monte Sinai fecit.

Et misit sagittas suas et dissipavit eos.

Jam applicat historiam, das Wetter ward dahin gerichtet, dass er sein Feind zuschiesse.

Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Er liess sehr blitzen, und jagts damit, dass sie in das roth Meer hinein liefen.

Et apparuerunt torrentes aquarum.

Es gieng von oben und von unten Gewässer zu, percussit eos tempestate, et submersit aqua.

Et revelata sunt fundamenta orbis terrae.

Es lief das Wasser aus der Erden heraus, sicut nunc puto Vuittenbergae fieri, cum sic excrescit Albis et tamen non depluat.

Ab increpatione tua, domine.

Tonitru appellat increpationem. Unser Herr Gott murret ein wenig, wenn er donnert.

Afflatu spiritus irae tuae.

Ab anhelitu spirante ex nare tua. Est similitudo sumta ab hominum naribus. Wenn einer zürnet, so murret er, und schnaubet. Das ist aber das Best in

hac tempestatis descriptione, quod tempestatem proprie Deo tribuit. Quanquam enim diabolus et boni quoque angeli tempestates excitare possunt, tamen Deus temperat, et permittit eis quantum vult, gleichwohl thuts sein Schnauben. Haec est digressio et exemplum. Jam post illam victoriam contra Pharaonem recitat etiam suas victorias, quibus eum Deus liberavit.

Misit de excelso et accepit me.

Hic incipit applicare superiorem descriptionem ad suam legendam, quasi dicat: Sicut filios Israël servavit Deus, sic etiam ego sum servatus. Misit illis de coelo Moisen, sic etiam ad me misit sive angelos meos sive aliud auxilium, et eripuit me ex aquis, id est, tentationibus. Verbum „misit" refertur ad factum. Er hat Etwas ausgeschicket, sicut in psalmo centesimo septimo: „Misit verbum suum." Scriptura tribuit Deo auxilium, quod nos non meruimus. Er muss zu uns kommen, wir können nicht zu ihm kommen, denn per orationem, quia er ist uns zu hoch droben.

Traxit me de aquis multis.

Alludit ad nomen Moisis. Significat enim Moisis tractum, idque ideo nomen habet, quia a filia Pharaonis e flumine sit extractus. Quasi dicat: Sum ego quoque factus quidam Moisis, et tractus ex aquis multis. Hucusque in genere pericula sua exposuit, jam per species ea tractat.

Eripuit me ab inimicis meis fortissimis.

Incipit commemorationem suorum periculorum a Saule, eamque duodecim sequentibus versibus absolvit. Graviter multa est a Saule passus, is enim et vi Davidem est persecutus, et simul in magnam infamiam eum conjecit, nam crimen impietatis et affectati regni ei imposuit. Er musste seditiosus heissen, et impius contra Deum. Das ist seine erste persecutio. Quidam

tamen de Goliath hunc versum accipiunt; verum ego de Saule intelligo.

Et ab odio habentibus me.

Ab iis, qui me odio habebant propter verbum tuum. Ego enim verbo divino ad regnum vocatus sum.

Quoniam multiplicati sunt super me.

Sie wurden mir viel zu mächtig, ich musste fliehen.

Praevenerunt me in die adflictionis meae.

Da es mir so ubel gieng, sollten sie ein Mitleiden mit mir gehabt haben, sed tum maxime praevaluerunt. Das thäten die Ziphei et alii, die zu Hofe waren, und hätten ihm wohl seine Sache können besser machen, und machtens nur ärger. Sic nulla calamitas sola, pro uno hoste centum.

Fuit dominus refugium meum, et eduxit me in latitudinem, et salvum me fecit.

Saepius enim et mirabiliter de manu Saulis eum liberavit.

Quoniam dilexit me.

Sunt verba fidei. Est maxima consolatio, si quis potest sentire ita in tentatione. Unde autem scit hoc, quod sic jactat? Nimirum ex verbis Samuelis, qui dixit: „Dominus sumsit te in regem populi sui.“ Auf diese Wort hat er all sein Trotz gesetzet, und gesagt: Etiamsi experientia et adversa fortuna me exerceat, et turbet, tamen est verbum et mandatum Dei, quod sum rex. Etiamsi variis malis affligerer, dennoch hielt ichs immer dafür, quod me amaret, sicut promisit. Haec de vi et persecutione. Jam etiam de criminibus et infamia. Er hat mir nicht allein mein Leben gefristet und erhalten, er hat mir auch mein Ehre wieder geben.

Retribuet mihi dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Sicut ex septimo quoque psalmo apparet, gravissima tentatio Davidis fuit, quod accusarunt eum tanquam seditiosum, sicut ille dicebat: „Increverunt servi, qui fugiunt dominos suos.“ Solch Wort thun aus der Massen wehe. Gott hab Lob, es ist an Tag kommen. Deus videt me justum esse, non sum furatus neque vi occupavi regnum, sed Deus illud mihi dedit. Est magna erectio et consolatio conscientiae, quae non sic est intelligenda, als pochet er mit unserm Herr Gott. Da gilts nicht pochen, sondern sprechen: „Dimitte nobis debita nostra.“ Apud homines tamen haben wir den Trotz, ut dicamus: Das hat Gott gesagt, und gefällt ihm. Ist ein Mangel an mir, dass ichs nit ausricht, wie ich sollt, liegt nichts daran, mandatum et verbum Dei ist nichts dest weniger wahr. Sic nos quoque gloriari possumus contra Schwärmerios, dass wir recht haben. Licet infirma sit fides, dennoch ist es nit ein unrechter Glaub. Das Ampt und die Sach muss man preisen, nicht als für unser Person, sed propter verbum. Sic quoque cum me vehementiorem esse dicunt, quam conveniat, dicere possum: Manus meae mundae sunt. Da siehet man fein, dass dem David persecutio spiritus mehr Plag hat angelegt quam carnis. Den Leib plagen ist corporale, sed conscientiam plagen, dass man eim verbum, fidem, Deum will nehmen, das ist gar unleidlich.

Quia custodivi vias domini.

Ich habe ja nit Unrecht gethan, ich hab mich seines Wort gehalten. Ich habs nicht aus eignem Frevel angehaben, bin bei dem Wort blieben, und drob gehalten, was ich drob leiden sollt, non volui impie agere.

Darüber hab ich auch müssen leiden.

Nec impie egi a Deo meo.

Non impiavi a Deo per impietatem et incredulitatem. Alius quispiam fractus calamitatibus dixisset: Soll ich denn nicht König sein, so will ichs nicht sein. Aber ich habs nicht gethan, sed simpliciter sicut mandavit mihi Deus, ita feci.

Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo.

Das ist pugna mea gewesen, ich habe mich geflissen in deinen Geboten. Also treibet einen ein praeceptum in die andern alle. Quasi dicat: Sie wöllen mich immer uberreden, ac si fecerim contra Deum et regem, accusant me seditiosum. Verum ego scio me servasse omnia mandata, neque in ullo mandato contra eos me peccasse.

Et statuta ejus non aufero a me.

Est idem nomen quod supra psal. 2., significat ordinationem, ein Weis. Mandat se coli Deus et nullo alio loco nisi in Hierusalem. Das hab ich allweg gethan. Non sum obsecutus illis, qui dicunt mihi: Vade in gentes et servi diis alienis, sicut queritur in libro regum.

Fui integer cum eo.

„Cum", id est, apud. Ich bin unsträflich, ohn Wandel für ihm gewest; non quod nullum sit peccatum in eo, sed quod non negaverit verbum. Fides enim per se semper est infirma. Aber damit wird es erhalten, quod non est alia fides. Schwach bleibt er wohl, ist aber dennoch recht, die ander Fehl gehörn in das pater noster.

Et caveo a delicto meo.

Ich hab mich bewahret, dass ich nicht missehandelt.

Et reddet mihi dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Repetit priorem versum, nisi quod hic addit „in conspectu ejus". Es liegt ihm viel an der tentatio fidei et conscientiae, dass man ihn vom Wort will stossen, denn die Leut können so viel persuasiones, dass sie einen gar irr machen. Sic enim argumentantur: Saul divinitus ordinatus rex est, ergo contra Deum ejusque ordinationem David peccat, qui vult occupare regnum, Deus enim nec verbum nec ordinationem suam mutat. Da sind sie aufgestanden, wie unser Sophisten jetzt, wenn sie einen Spruch de bonis operibus haben. David 7. annis fuit rex in Hebron, Judae regno, da er immer musst das opprobrium hören: Est seditiosus et reprobus. De illo regno Judae supra dixit: „Retribuit etc." Hic autem addit „in conspectu ejus", quasi dicat: In Hebron non eram in conspectu domini, jam autem cum regnum Israel quoque acceperim, coram templo Dei in Hierusalem, in conspectu Dei rex sedeo. Da ist die retributio gar absoluta.

Cum sancto sanctus eris.

Sunt optimae sententiae. Wie wir sind, also ist unser Herr Gott auch. Si nos sumus invidi, Deus quoque est invidus. Sic die Schwärmer, Eck, Kochlöffel, und das Gesindlein, haben unsern Herr Gott für ein Dreck, quia sie sind auch Dreck. Wenn sie das verbum Dei hören, sprechen sie, es sei des Teufels, quia sie sind auch des Teufels. Nemo igitur recte de Deo sentit nisi fidelis. Dicit igitur: Apud sanctos sanctus es. Saul und sein Hauf hielten dich für ein Ketzer, Aufrührer. Aber apud me warest du sanctus, omnia opera tua hielt ich für sancta.

Cum integro integer eris.

Es ist kein Wandel an dir. Contra apud corruptos nihil est te corruptius. Da stinket Nichts ubler denn du. Id maxime cernitur in verbo. Nostrum verbum est divina virtus, et tamen ipsi nullum majorem foetorem esse putant. Apud sanctos igitur sunt integerrimae opiniones de Deo, apud illos corruptissimae et perversissimae. Culpa est non verbi, sed corruptorum hominum.

Cum mundis mundus eris.

Die reine Augen haben, die sehen, dass du auch rein bist. Hoc pulchre cernitur in verbo, quia sine verbo non potest cognosci Deus. Verbum igitur est sanctum, integrum et purissimum. Hoc nos videmus, bei ihnen aber ists ein Unziefer.

Cum perverso perversus eris.

Wie sie verkehret sind, so bist du auch verkehret. Sunt perversi, ideo te quoque pervertunt, non es eis sanctus sed profanus, non integer sed corruptus, non purus sed impurus, quia ipsi sunt profani, corrupti, impuri, tales enim habent opiniones. Hoc fit quoque in tentatione, dass wir mit unserm Herr Gott verkehret müssen sein. Sic papistae me vocant perversum hominem, non meo vitio, sed ipsorum, quia ipsi sunt perversi, quia textus dicit: Cum perverso perverteris. Deus non pervertitur, si ipsi non perverterentur. Aber wie sie sind, so muss er hinnach.

Quoniam tu populum pauperem salvum facies.

Die profani, corrupti und impuri mit dir müssen sein, das ist das Volk, dem du hilfst.

Et oculos superborum humiliabis.

Haec est causa, cur ipsi profani et perversi sint.

quia sie halten viel von sich: das ist causa omnium haeresium. „Initium apostatandi, inquit sapiens, est superbia." Et Augusti.: Mater omnium haeresium est vana gloria. Sic Cinglius, Bucerus novum dogma spargunt in vulgus, quia sie wollten gern uber uns sein. Ipsi a nobis didicerunt veram doctrinam, debebant igitur merito nos audire. Sed neque ipsi hoc faciunt, neque nos postulamus etiam. Wir wolltens gern neben uns geben, predigen und lehren lassen, aber sie thuns nicht, sie wollten gern die Vördersten sein. Est omnino periculosa superbia in spiritualibus. Man soll nur zu dem lernen, dass wir unsers Herr Gotts Hilf suchen, und Gott die Ehr geben und sagen: Herr, ob ich gleich die ganze Schrift kann, potest tamen venire tentatio, ut ne verbum nec sententiam quidem scripturae sciam, sicut mihi saepe accidit. Sed ipsi non faciunt.

Quoniam tu illuminabis lucernam meam. Dominus Deus illuminat tenebras meas.

Est hebraismus. Rex est lucerna in populo, quia est ordinatus divino verbo, et Deus per reges regit, et si faciunt suum officium reges, qui illis obtemperat, Deo obtemperat. Sic paterfamilias in sua domo lucerna est. Dicit igitur: Ich war gar verloschen tempore Saul. Sed nunc illuminasti lucernam, dein Wort ist aufkommen, da können sich die Leut darnach richten. Nun leuchtet wieder mein regnum. Hucusque de Saule dixit, quem primum et pravissimum hostem habuit.

Quoniam in te conteram accinctos.

a) גְּדוּד significat ein Kriegsmann, a גָּד, ein Mann der gerüstet ist. Potest autem vel in nominativo vel accusativo accipi: Curram accinctus, vel: Conteram ac-

a) 18. Junii.

cinctos. Jam venit ad bella externa. Post Saulem enim habuit bella cum Ammon, cum utrisque Syris, Mesopotamia et Caeles, item cum Philistinis. Illos vicisse se dicit in Deo, non in suo gladio, viribus suis, sapientia sua, quasi dicat: Die Andern sind gerüstet, hi in curribus et hi in equis, fidentes multitudine et armis. Ego non armatus, neque confido in armis, sed in te confido, contra illos, qui non habent te. Sic nunc Turca, papa et hostes evangelii sunt armati, wir aber sind arme Leut, et tamen dicit psalmus, quod illi conterentur a nobis in Deo.

Et in Deo meo transgrediar murum.

In Deo meo stosse ich alle Mauren umb, die da sind in Philistaea, Syris et Ammonitis, id est, vici populos et cepi urbes. Land und Leut hab ich gewonnen. Potest per metathesin esse אֲדַלֵּג, id est, erigo vexilla in muris.

Deus meus, immaculata via ejus.

Quomodo haec ad propositum? Opponit suum Deum omnium aliorum diis. Glorior de magnis victoriis. An igitur illi omnino sine diis fuerunt, quos vicisti, an non et illi suos deos habuerunt? sicut Rapsaces apud Esaiam: „Ubi est Deus Harpat? Respondet igitur: Habent illi quoque suos deos. Ego autem alium Deum habeo. Meus Deus est verus Deus, ipsi in nihili deos confidunt, illorum dii tantum habent praesidia rerum, ut Philistinorum deus vocatur Dagon, id est, frumentum. Isti sunt dii immundi, qui non adjuvant confidentes in se. Sed meus primo habet viam immaculatam, seu cultus, religio, pietas est integra, et eloquia ejus sunt sublimata igni. Habeo Deum, cujus religio et verbum ist rechtschaffen, darumb kann ichs auch ausrichten, das ich rühme.

Eloquia domini sublimata igni.

Regit nos per verbum, habemus eloquia ejus purissima: es ist nulla corruptio, kein Mangel, kein Feihl nicht an ihm.

Clypeus ipse omnibus confidentibus in ipsum.

Potest referri et ad Deum et ad verbum, ego tamen malo referre ad verbum, ut sit commendatio verbi, qualis illa est Prover. 10.: „Omnis sermo Dei ignitum scutum," id est, ist lauter und gewiss, hat keinen Zusatz, es darf sich einer kecklich darauf verlassen, dass es rein ist. Et est quoque clypeus: imus ergo in proelium. Vos estis potentiores in curribus et in equis, nos autem in nomine domini Dei nostri, sumus muniti verbo, quod est clypeus. Est fidele, non mixtum, non falsificatum. Hoc clypeo David quoque fudit Goliath. Habemus igitur unam armaturam, id est, verbum et promissiones divinas, quas non habent aliae gentes. Sic fatetur suas victorias non suas, sed Dei fuisse.

Quoniam quis Deus praeter dominum?

Hic contra aliorum deos insurgit. Date mihi talem Deum ex vestris. Sed non est alius Deus praeter hunc, quem hic in templo colimus. Est confirmatio superioris. Nullus sanctus in mundo confidit in suo Deo. Sic nobiles in seditione erant desperatissimi, quia sic erat deus eorum. Rursus nunc sunt superbissimi.

Quis est צור praeter Deum nostrum?

Est manifesta antithesis. Noster Deus est צור, ein Hort, darauf man trotzen kann. Alii dii sunt ligna et larvae. Sic der Papisten Gott ist mammon, H. G. ist der Bischoffen Gott, und ihr öberster Gott ist der Kaiser, der solle gar thun. Das heisst denn confidere in homines, non Deum habere.

Deus qui praecinxit me virtute.

Virtute belli, id est, exercitu. Sic nos dicimus: Der Türk ist mit einer grossen Macht vor Wien gelegen, id est, mit einem grossen Heer. Est autem figura. Deus enim praecingit reges balteo, id est, dass sie ein gefasstes Volk umb sich haben. Balteus enim est obsequentia populi. Tunc autem punit Deus reges, cum solvit balteum, id est, excitat seditiones, discordias, sicut nunc in Germania. Sic hic dicit: Ich hab mein Volk fein umb mich her gehabt, das gab unser Herr Gott. Es stehet nicht in nostris viribus retinere subditos in officio, potentia et sapientia nihil ad eam rem faciunt: Gott muss das Herz geben, und muss also in einander hangen, und zuletzt dennoch victoriam darzu geben.

Et posuit immaculatam viam meam.

Semper hoc jactat, quod Deus eum custodierit, ne pollueret vias suas, nunquam enim fudit sanguinem ex libidine, sed quidquid fecit, fecit ex officio. Er sticht fein oblique omnes alios bellatores, qui gerunt bella ex libidine, et sunt viri sanguinum: se autem pugnare dicit, quia Deus jusserit, fuisse enim eam viam suam immaculatam, sicut dicitur: „Tu proeliaris proelia domini."

Posuit pedes meos tanquam cervorum.

Ein Hirsch laufet uber Berg und Thal. Comparat igitur successum belli cursui cervorum, quasi dicat: Es gieng mir schleunig von der Hand. Es war unsers Herr Gotts Werk, der gab mir so schleunige victorias.

Et super excelsa mea statuit me.

Currunt in excelsis montium cervi: sic ego in meis montibus, id est, populis. Ich lief uber die Städt, uber die grossen Hansen und Gewaltigen wie ein Hirsch.

Qui docet manus meas ad praelium.

Est repetitio; er lehret mich, wie ich soll kriegen, dirigit manum meam. Est confessio suae imbecillitatis et potentiae Dei: unser Herr Gott führet das Schwert.

Et posuisti arcum aereum brachia mea, et dedisti mihi scutum salutis.

Brachia sunt capitanei regis, sicut in Daniele: „Brachia Austri non subsistunt," id est, duces Aegyptii.

Dextera tua confirmasti me.

Fatetur, dass er oft sei müd worden. Aber Gott hat immer wieder aufgeholfen.

Humiliatione tua multiplicasti me.

Du hast mich in manche pericula gesteckt, als mit dem Absolon, (hic enim transit ad domestica bella) hast mich sehr geplaget, bin aber dardurch gross worden. Das muss man merken, dass unser Herr Gott einen zuvor klein macht, ehe denn er ihn gross macht. Hoc se David quoque expertum dicit: Du liessest mich ein Stücklein sehen durch den Absolon. Ibi vere humiliabar. Sic tamen factum est, ut me multiplicaveris. Sie wollten sich darnach nur umb ihn zureissen, Juda und Israel, ein jeglichs wollt ihn allein ganz haben.

Dilatasti meum gressum subtus me.

b) Dixi, quod superiore versu ab externis bellis ad civilia cum Absolom transierit, quasi dicat hic: Tum cum persequeretur me Absalon, videbantur et erant viae meae arctae. Mein beste Räth waren von mir abgefallen, et sequebantur Absolom, dass ich nirgends hin wusste. Aber du hast mir Raum gemachet, id est, servasti in regno.

---

b) 26. Junii. Interea enim scripsit psalmum 118. „Confitemini," 1530.

Ut non laberentur tali mei.

Ut administratio mei regni (quae est cursus et incessus meus) non flecteretur aut corrueret.

Persequar inimicos meos.

Omnia adhuc sunt intelligenda de civilibus bellis de populo Judaeorum deque regno Israel.

Et comprehendam illos.

Hoc accidit in saltu Ephraim, ubi occisus est Absalom.

Et non convertar, donec consumam illos.

Er drucket nach, dass ihm Israel musste zu Fussen fallen, und sagen: „Os nostrum et caro nostra es."

Confringam illos, nec poterunt resistere, cadent subtus pedes meos, praecinxisti me robore ad bellum, supplantasti insurgentes contra me.

Hoc est, seditiosos, sicut Seba et Abela, 2. Sam. 20. cap.

Inimicos meos vertisti in fugam, et odio habentes me disperdidisti.

Vastasti meos osores. Dicit autem hoc de suis civibus. Haec est enim gratitudo mundi, quam habet, et reddit bonis regibus.

Clamant, et non est qui salvos faciat, ad dominum, sed non exaudit eos.

Hic vides eum loqui de iis, qui eundem Deum habebant. Sed dominus, inquit, non agnoscit eos pro suo populo.

Comminuam eos ut pulverem ante faciem venti.

Quia Deus non adest eis.

Velut lutum platearum abjiciam eos.

Qui volebant esse fundamenta et gemmae terrae, die hab ich dahin bracht, dass sie da liegen wie das Koth auf der Gassen, in summa ignominia. Judaeorum populus admodum malignus fuit, sufflatus

promissionibus, quas habebat.

Hucusque dixit de civilibus bellis. Jam ad aliam tentationem accedit, de odiis scilicet populi sui et domesticorum. Sic mali nebulones nostrum principem exercent. Der Adel und was ein wenig was ist, das gehässt den frommen Fürsten, wue sie können. Haec est fortuna omnium bonorum principum, quia non possunt non multos offendere, cum multos servant.

Eripies me de contentione populi.

Significat hostes domesticos, rebelles in populo et malitiosos, qui per omnes dolos detractant obedientiam. Es ist allweg ein haderhaftig Volk gewesen.

Constituisti me in caput gentium.

Non solum eripuisti me a seditionibus meorum, sed etiam constituisti etc. Du hast mein Fürstenthumb weiter gestreckt: Syrios, Palaestinos, Ammonitas, Moabitas, Idumaeos adjecisti ad regnum.

Populus, quem non cognovi, serviat mihi.

Servire, hebraismus est, et significat unterthan sein. Quasi dicat: Promissio tantum ad terram Canaan pertinebat, ad hanc tot alios populos adjecisti.

In auditu auris obedivit mihi.

Hoc est, obedientes erant. Extranei obedientiores mihi fuerunt quam intranei, das ist ein hübsch commendatio populi sui. So gehets unserm Fürsten jetzt auch. Er soll günstiger und trauer Leut haben in H. G. Land, denn in seinem.

Filii alieni mentiti sunt.

Id est, non obediunt mihi, non volunt mihi esse subditi. Hebraismus est, quod vocat filios alienos, quasi dicat: Sie sind filii regni, aber sie stellen sich auf mein Seel wie die Frembden. Sic factum est in omnibus promissionibus. Judaei die sollten in ecclesia sein blieben, aber sie fallen heraus. Gentes sollen

heraus sein blieben, und kommen hinein. Sie die sacramentarii wollten das verbum haben, aber sie habens verloren. Multi contra in iis partibus, ubi magistratus persequuntur verbum, tamen habent verbum.

Filii alieni inveterati sunt.

Sie sind verstocket und verhartet. Also auch werden kein ärgere Leut denn aus Christen, wenn sie ins Fallen kommen. So ists mit dem Teufel auch gangen, der ist darumb so bös worden, dass er zuvor so ein grosse Creatur ist gewesen. Sic sacramentarii, die sind viel böser und giftiger denn die Papisten.

Claudicabunt in clausuris (vinculis) suis.

Est idem nomen, quod supra: „Concluserunt adipem suum.“ Sic sequuntur se invicem haec duo; quod inveterascunt, id est, indurantur. Deinde hängen sie sich an einander, wie die Kröten im Lenzen im Wasser. Accusat enim eos, et quod sint incorrigibiles, und dass sie sich rotten, ut noceant, in summa non colunt magistratum. Claudicare hebraismus est, et significat nit recht gehen, foris fingere se ambulare, cum tamen non sit verum.

Haec pericula Davidis vel ad allegoriam vel ad exemplum possunt trahi. Ad allegoriam de Christo.

Christus hos quatuor hostes habuit. Primus fuit Saul, id est, lex. Saul enim multam habuit justitiam operum. Lex hat Christo das Königreich nit wöllen einräumen, hat ihn in captivitate wöllen lassen. Sed Christus eam oppressit.

Secundus hostis, Goliath vel gentiles, est peccatum: id quoque Christus vicit.

Tertius Absolon, id est, mors.

Quartus, mundus: peccatum enim et malitia manent in mundo; et remurmurant. Sed nihil efficiunt.

Ad exemplum autem de ecclesia. Illi fuit primum

bellum cum Saul, id est, cum Judaeis de justitia operum.

Secundum bellum ei fuit cum gentibus et philosophis, opponit enim se huic doctrinae ratio.

Tertium est civile bellum, quod cum haereticis est.

Quartum cum rebellibus et claudicantibus; ii sunt filii inveterati, falsi fratres, welche, ob sie gleich kein Ketzerei anrichten, dennoch verderben sie es nur.

Hos hostes nos quoque habemus. Primo Saul, id est, papistas. Secundo gentiles, das sind die Edelleut. Tertio, sind die Rotten. Quarto, sind die Bauren unter uns, die Nichts wöllen zum Evangelio thun, lassens so hin gehen.

Sic psalmus hic est exemplum pro omnibus in omni genere periculorum.

Vivit dominus et benedictus Deus meus.

Den werden sie nicht tödten. Agit enim hic gratias.

Et exaltetur Deus.

Der soll erhaben werden, qui se ostendit vivere, nie sic protegendo et liberando. „Deus salutis", id est, qui mihi dedit victorias.

Deus qui dat vindictas mihi, et subdit populos sub me, liberator meus de inimicis meis; qui exaltat me ab iis, qui insurgunt adversum me.

Hic incipit epilogum, et ordine, sicut supra tractavit, quatuor hostium genera repetit.

A viro iniquo eripis me.

Von den giftigen Leuten.

Propterea confitebor tibi in nationibus, domine, et nomini tuo psalmum dicam, magnificans salutem regi suo, et faciens misericordiam Christo suo David et semini ejus usque in saeculum.

Den Psalm sollen meine Nachkommen singen, quod

magnificat salutes, id est, facit magnas salutes. Er gibt grossen Sieg und Heil.

PSALMUS DECIMUS NONUS.

a) Hic psalmus est de evangelio invulgando per totum orbem. Varie olim eum exposuerunt, alius sic, alius aliter. Sed hoc est argumentum, quod evangelium ad oculum sit manifestatum, ubicunque est coelum, dies, nox, loquela, terra, et fines orbis: dass das Evangelium so weit sei gangen, als Himmel und Erden ist, quod non sit praedicatum in aliquo angulo, sed sicut Paul. ad Coloss. 1. cap. dicit: „in omni creatura", et Christus: „Ite et praedicate evangelium omni creaturae," quod debet replere totum orbem.

Coeli enarrant gloriam Dei.

Est synecdoche, ac si dicam: Noriberga habet Evangelium, Erphordia decretum, Vuittenberga epistolas Pauli, id est, illi qui sunt Norihergae. Sic hic: „Coeli enarrant", id est, qui sunt sub coelo, sub omnibus coelis. Wo Leut sind, da höret man das Evangelium predigen. Verbum סָפַר in hebraeo significat predigen, öffentlich zählen und reden. Coeli sunt narrantes.

Porro est haec pulcherrima definitio, quid sit evangelium, cum dicit coelos narrare gloriam Dei. Evangelium enim nihil est nisi praeconium Dei, non enim praedicantur in evangelio nostra studia et opera, sed peccata, mala, ignominia nostra. Sic Christus dicit: „Spiritus sanctus arguet mundum de peccato," Joann. 16. Redigit enim mundi gloriam in nihilum, et dicit solo Christi sanguine salvos nos factos et redemtos. Mihi

---

a) 27. Junii.

semper hic verum placuit: propter hanc evangelii definitionem. Sic Paulus: „in laudem gloriae gratiae ejus," Ephes. 1. Item: „Evangelium gloriae Christi," non liberi arbitrii, damnat enim omnia hominum opera, et laudat solum Deum.

Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Opera manuum ejus, non hominum, quae damnat. Firmamentum dicitur, ubicunque est coelum, seu totum coelum. Aliud coelum est in Hierusalem, aliud Romae. Est autem tam hoc quam illud in firmamento. Sic fere Moses usurpat. Dicit igitur David: Was nur Stern siehet, das wird des Evangelii gewahr.

Dies diei annuntiat, et nox nocti indicat scientiam.

Sicut in primo versu dicit, non solum in Judaea et in Hierusalem, sic hic: Evangelium non solum praedicatur alligatum sabbato, sed per singulos dies, de die in diem, einen Tag umb den andern. Man prediget die eloquia et promissiones (hoc enim proprie significat) alle Tag, non sicut in veteri testamento in sabbato solum. Es wird uber alle locos et tempora fallen das Evangelium. Omnem locum et omne tempus implebit; das muss ja ein grosse herrliche Predigt sein. Hebraismus est, quod diem et noctem, mane et vesperum vocat, eo enim tempore solebant orare. Porro sicut tempus et locus sunt universalia, sic etiam personae sunt universales.

Non sunt loquelae neque sermones, ubi non audiantur voces eorum.

In allen Sprachen wird man das Evangelium predigen, nicht in einer allein.

Voces eorum.

Id est, coelorum. Inter loquelas et sermones non

admodum distinguo, quanquam alterum sonat, ut sit intelligendum de multis dialectis in una lingua. Man soll das Evangelium auf Deutsch, Sächsisch, Bayrisch, Schwäbisch etc. predigen.

In omnem terram exivit regula eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.

Hic se exponit. קַו significat normam aedificandi, seu amussim. In scriptura autem verbum Dei dicitur regula, sicut in Amos: „Extendit regulam suam super Hierusalem et perpendiculum suum super Zion." Est enim verbum instrumentum aedificii divini, et est quoque certa regula, quae non variatur nec corrumpitur per traditiones hominum.

Soli posuit tabernaculum in eis.

Magister sententiarum exposuit, quod Christus posuit tabernaculum, id est, corpus in sole, id est, in hanc vitam, quod est adustus nostris tentationibus. Verum est alia sententia, nempe haec, quod ipse Deus posuit soli tabernaculum. Also heissts, id est, „quod Christus habitat in illis coelis, vel in illis, qui annunciant gloriam Dei. Dicit enim de spirituali sole. Christus est ille sol, qui positus est, wo das verbum gehet, dass man ihn sonst nirgend darf suchen, sicut ipse dicit Matth. 18.: „Ubi duo fuerint congregati in nomine meo, ego ero in medio eorum." Item 10: „Vos non estis, qui loquimini." Neque enim sic misit apostolos, ut ipse non sit praesens, sed coram est, cum apostoli annunciant sermonem, et confirmat eos et spiritu suo et signis sequentibus doctrinam.

Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Descriptio Christi per allegoriam seu similitudinem. Sicut sol, qui currit ab oriente in occasum (hoc scriptura vocat: „a summo coeli"), sic sol justitiae Christus,

quoque oritur et procedit tanquam sponsus. Sponsum scriptura applicat ad gaudium et ornatum. Hinc vox sponsi et sponsae. Item in Esai.: „Ornavi te tanquam sponsam." Es ist ein herrlich Ding. Sic Christus ist auf das Schönest geschmücket, und hat die grösseste Liebe ad ecclesiam, eamque ornat, sed in abscondito. Exposuerunt de beata virgine, sed improprie. Christus enim per Evangelium coepit oriri tempore apostolorum, et processit usque ad finem mundi, sicut ipse dicit: „Usque ad consummationem saeculi vobiscum sum." Pulchre quadrat cum sole ad literam, qui cum oritur, sine ullis nubibus totus conspicitur. Ubi jam ad medium coeli tendit, impeditur nonnunquam nubibus. Hoc Christus ab haereticis quoque patitur, sed perrumpit tamen in occasu. Christus igitur est sponsus, qui illuminat orbem terrarum a principio, seu usque ad finem mundi. Jam dicit, dass er auch lustig darzu sei.

Exsultavit ut gygas ad currendam viam. Ab extremo coelorum egressus ejus, et revolutio ejus usque ad extrema eorum.

Hoc est, Christus libenter invulgat evangelium et est promtus salvare homines, ardet invulgandi verbi amore. Sic videmus, quomodo suos martyres confirmaverit, ut etiam mortem pro suo verbo facile sustinuerint. Er lauft getrost mit dem verbo, sicut sol.

Nec est, qui se abscondat a calore ejus.

Id est, Christus est ubique, implet omnia tam in longitudine quam in latitudine et profunditate, ubique accendit et fovet suos christianos. Est magna consolatio, dass er kann hin und wieder, in morte, in inferno, et Turcia die Leut erwärmen, accendere et consolari per suum verbum. Haec sunt de verbo invulgato, praesente tamen Christo, contra rottenses, qui volunt Spiritum sanctum habere sine verbo. Nein, da

wird Nichts aus. Es muss vor sein: „coeli enarrant"; darnach ist Christus auch da; ist Christus da, so lauft er auch, und gibt Hitz und Wärm.

Lex domini immaculata.

Praecedentia arguunt haec quoque, quae sequuntur, de evangelio invulgato intelligenda esse. Dicuntur autem per comparationem. Quasi dicat: Moses habet quoque legem, aber das ist ein ander Gesetz, immaculata et integra etc. Continet enim hic locus praeconia evangelii. Primum igitur est, quod sit lex immaculata: lex autem Mosi non est sine reprehensione, sicut est ad Hebraeos, non suo vitio, sed propter effectum. Es kann den Leuten nicht helfen, ut sint sine macula, ohne Wandel, non potest ducere ad perfectum, sicut evangelium.

Et refrigerat animas.

Sunt omnia dicta contra legem Mosi. Ea primo non est immaculata, quia non potest facere integros homines, es bleibet Alls sampt corruptum. Secundo non refrigerabat animum, non poterat liberare a molestia; sed potius affligebat. Sed evangelium perficit et reficit, dass einer des schweren Gewissens und Gedanken los werd. Sic immutat hominem, et primo facit ἄδοκιμον, secundo macht es das Herz los von schweren Gedanken.

Testimonium domini fidele.

Tertio est quoque fidele et certum. Dicit autem haec contra leges et legum doctores. Sic supra in 5. psalm.: „In ore eorum nihil certi." Es bleibet immer ungewiss, dass einer nicht weiss, wie er mit unserm Herr Gott daran ist; sicut monachi in tot operibus, semper tamen scrupulosi et dubii incedunt. Hie aber weiss einer, wo er soll bleiben, nämlich, bei Christo, da ist einer gewiss und sicher.

Dat sapientiam parvulis.

Haec est magna gloria evangelii. Operarii legis, monachi etc. ne de uno quidem vitae genere recte possunt judicare. Damnant igitur conjugium, damnant magistratus etc., quia sunt insipientes. Evangelium autem docet rectas opiniones de omnibus rebus.

„Parvulis“ potest dupliciter intelligi, vel sic, quod sapientiam dat his, qui non habent sapientiam, vel per reprehensionem, quod sapientia non intrat nisi in humiles, die Andern macht sie zu Narren.

Mandata domini recta.

Quinta, das ist auch fein. In lege et operibus hominum sunt anfractus et ambages, sicut baptista dicit: „Omnia curva erunt in directum.“ Da sucht man hie ein Weg, und dort einen; semper discentes, nunquam ad scientiam pervenientes. Aber hie gehet es richtig zu, es ist ein feine, lustige, rechtschaffene doctrina, da man darvon kompt: das macht die Leut auch fröhlich, sicut addit, est enim compendium.

Laetificantes corda.

Exhilarat conscientias, dat pacem coram Deo.

Praecepta domini pura.

Es sind die allerfeinsten Wort. Est quoque pura doctrina, da kein Falsch noch Heuchelei innen ist, sed est sincera, sicut Petrus dicit: „Concupiscentes γάλα ἄδολον.“ Significat autem nomen non solum purum, sed electum quoque, das abgefeimet ist, auf das Lauterst, nullis traditionibus hominum contaminatum, wie mans auch heisst das lauter, rein Evangelium.

Illuminantia oculos.

Quando lex est pura, tunc oculi quoque clarius vident. Significat igitur, quod evangelium facit sapientes, die können reden von allen Ständen, et qui possunt discernere inter spiritus, qui omnia possunt diju-

dicare: das heissen erleuchte Herzen.

Timor domini purus.

Hic vocat evangelium cultum Dei, Petro nomen, quod supra „purum" facit, בַּר significat auserlesen, rein, sincerum, merum, impermixtum. Hoc autem, quod hic est, significat elegans, schön und rein, sicut dicimus: ein reinliche Arbeit. Sic hic: Es ist ein reiner cultus, drumb, es ist nit ein falsch Hümpelwerk und verstümpelte Arbeit, wie in lege.

Permanens in saeculum saeculi.

Es ist nicht schon böse, sicut dicitur proverbio. In lege war es bald geschehen, dass einer hie, einer dort ein Stücklein zubrach: hic autem cultus manet.

Judicia domini vera.

Nomen significat jura, secundum quae regitur et vivitur. Quasi dicat: Das ist doch rechtschaffen Ding; hic nulla est hypocrisis. Es ist nit der Schein, es ist der Grund, es gibt, was es geben soll; id quod lex non facit.

Justificata simul.

Nullum eorum est, quin assidue justificet et purget a peccatis, sicut Paul. dicit ad Ephe. 4.: „Crescamus ἀληθεύοντες;" lasst uns immer erescere, dass wir rechtschaffen werden. Hoc verbum simul semper justificat.

Desiderabilia super aurum et obryzum.

Hic concludit. Propter ista omnia, inquit, magnifico evangelium. Sunt enim duodecim fructus ligni vitae in apocalyp.

Auri tres faciunt species, doll Gold, gemein Gold wie rheinisch, und fein Gold, wie ungerisch. Tangit autem hic summum affectum. Nihil enim magis amatur in mundo quam aurum, et semper maximus auri fuit furor. Man suchet Gold, wenn man schon Weis,

Kind, Haus und Hof hat. Quare etiam a Christo mammon deus est dictus. Dennoch spricht er: Es ist Nichts mit dem Mammon, er ist nicht so lieb, als lex tua, sed in cordibus piorum.

Dulciora super mel et favum.

Mel principium dulcoris, in ecclesiastico. Dicit igitur: Es ist nichts Süssers auf Erden denn evangelium et praecepta Dei. Munzerus multa in hoc psalmo speculatus est, sed omnia de spiritu contra verbum externum, et objiciebat nobis, nos non habere verbum, quia non videret in nobis illos fructus, qui hic sunt. Sed hoc nihil est dicere. Evangelium ist darumb nicht unrecht, si ego sum infirmus in vita, nec sequitur me non habere evangelium, darumb, dass ich schwach bin.

Etenim servus tuus cautus est.

Qui sunt, qui habent istos fructus? Ego quoque paucos video. Sie heissen „servus tuus", qui tibi subjiciuntur, tibi serviunt, die dich lassen Meister bleiben. Est autem antithesis, quasi dicat: Alii, qui damnant evangelium, werden gar toll und thöricht. Sed servus tuus fit cautus, servatur, custoditur in omnibus tentationibus per istud verbum, sicut Paulus dicit: „Portamus hunc thesaurum in vasis fictilibus." Qui igitur habet verbum, ille est custoditus, der lässt sich nicht verführen.

Et in custodiendis illis retributio multa.

Manch gut Ding hat man davon. Commoda enim evangelii sunt innumerabilia, quia es dienet zu allen Sachen. Nihil nec boni nec mali potest incidere, quod non prosit, si verbum Dei habeas. „Multa" dicit, man kanns nicht sagen. Supra enim duodecim fructus narravit, qui pertinent ad conscientiam, uber dieselben kann mans brauchen zu allen Sachen.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.

Hic quoque periculum tangit, dass sich der Teufel auch daran hänget. „Delicta" dicit, da liegt ein Schalk, der ein davon führet. Scio naturam verbi esse, servare nos. Aber es sind viel Sünd in mir verborgen, a quibus est metuendum. Wir dürfen uns nicht sicher dünken in uns selbs, ne quidem cum verbum habemus. Instinctus carnis sunt tales nonnunquam, dass einen dünkt, es sei Spiritus sanctus. Rogat igitur Deum, dass ihn unser Herr Gott dabei wölle behalten, sicut Paulus quoque monet 1. Corinth. 10.: „Qui stat, videat ne cadat." Das sein nun die insidiae, dass Keiner sein Herz kann sehen und kennen. Cor nostrum est noster domesticus hostis et nobis inimicissimus. Dicit igitur: Ab occultis meis innocentifica me. Omnis qui habet evangelium, fit securus: sic paulatim pigrescit spiritus, et amittitur fides, non vigilatur ad reliquias peccati exstirpandas. Est autem pulchrum scire, quod justi adhuc sint peccatores. In Sünden stecken est periculosum, nicht darinnen stecken, ist auch periculosum: oremus igitur, sicut hic propheta orat contra reliquias insidiosissimas, ut Deus nolit nobis eas imputare, denn wir werden nimmer rein. Sic ad Hebr. cap. 12. vocatur „pondus et circumstans nobis peccatum," ein anklebische Sünd, et pondus deorsum trahens, et pertinaciter inhaerens.

Et a superbia parce servo tuo, ne dominentur mihi.

Supra contra occultas insidias rogavit, hic orat contra manifestas. Ibi quoque diabolus est varius. Est igitur hic clarus textus, quod omnis doctor extra evangelium est superbus. Es hat einer gnugsam zu schaffen für sich, ut maneat sine praesumtione. Hue

accedunt haeretici, illi vivificant reliquias suas, da findt der Teufel das Bad bereit. Dicit igitur: Behüt mich vor denen, qui quaerunt suam gloriam sub gloria Christi, sicut hodie papistae faciunt. Dicit autem „parce", quasi dicat: Ich kann denken, ich werd unangefochten nit bleiben. Aber lieber Herr Gott, wehre du, dass sie mir nit uber den Kopf wachsen, dass sie nit gewinnen, ne seducant me in suas glorias, so hats kein Noth.

Tunc immaculatus ero.

Quando sic et ab internis et externis insidiis peccati et erroris maneo, tunc ero immaculatus.

Et emendabor a delicto maximo.

Nomen רָב significat gross und viel. Ero absolutus tum coram Deo, et tanquam innocens reputatus. Qui igitur non manserit in Christo, der fället in eitel greulich, schentzliche Laster, Hochmuth, Lügen, Stolz, Lästerung etc. und das heisset er delictum maximum, quasi dicat: Sonst ist des transgrediren kein Maass, es ist sonst eine transgressio uber die ander. Sic autem ero perfectus per reputationem gratiae et donum Spiritus sancti. Quando autem tales sumus, so können wir auch darnach recht predigen, sicut addit:

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei.

Was ich denn predige und lehre, das wird köstlich werden, sicut in evangelio: „Coepit facere et docere." Sic Hieremias quoque jactat de sua praedicatione.

Et meditatio cordis mei in conspectu oris tui semper.

הָגָה est verbum, psalm. 1. Quod tum loquor, das wird dir angenehm sein.

Domine petra mea.

Quia in ipso est fundatus per verbum et novus homo factus.

Erretter meus.

Der du mich erlösest ab insidiis externis et internis peccati, erroris, carnis et diaboli. Sic est hic psalmus de evangelio invulgato, de fructibus ejus et commodis; item de periculis. Es ist Nichts darinnen vergessen, quod potest dici de evangelio.

PSALMUS VIGESIMUS.

a) Est evidens textus pro magistratu, estque hic insignis locus ad confirmandum hoc genus vitae, magistratum scilicet. Continet enim veras ejus laudes. Primo, quod placeat Deo. Secundo, quod defendatur a Deo. Tertio, quod pro eo sit orandum. Quarto, quod sit laboriosissimum vitae genus. Est enim in multis tribulationibus. Ratio est, quia habet adversarium potentissimum, diabolum scilicet, qui non potest ferre pacem, est enim homicida, Joann. 8, wo er kann, richtet er ein Blutvergiessen an; so gehet es denn uber den frommen König. Est autem magnum donum, quod magistratus certus est, quod magis Deo serviat quam ullus Carthusianus. Alii enim homines pace per istos parta fruuntur, ipsi qui pacem pepererunt, ea non fruuntur. Hoc igitur magistratus opus est quaedam aemulatio divinitatis. Largiuntur enim aliis pacem, quam ipsi non habent.

Exaudiat te dominus in die tribulationis.

Primo omnium dicit magistratum habere tribulationes, et versari in afflictionibus. Docet autem simul, unde petendum sit auxilium, et quomodo Deus soleat auxiliari. Orate, inquit, schlächt also hinweg alle con-

---

a) 1. Julii.

lia humana. Denn ein jeglicher magistratus, der fromm ist, der hat den Teufel so stark wider sich, ut absorbeantur et pereant omnia ejus consilia. Darumb spricht er: Es heisst „exaudiat“, es gilt Beten, der hast ein Ampt, das sich nicht will regieren lassen consiliis humanis, sicut nostri quoque queruntur, qui jam Augustae sunt.

Protegat te nomen Dei Jacob.

Der thuts. Haec est armatura nostra et bombardae nostrae. „Turris fortissima nomen domini.“ Est igitur haec definitio auxilii et victoriae regum. Ea autem est nomen domini. Quomodo autem acquiritur? Oratione. Ergo opus est cum humilitate desperare de suis consiliis, et fidere solum in nomen domini. Ubicunque enim scriptum est nomen domini, ibi indicatur fides.

Nomen Dei Jacob.

Hic significat certum locum, ne scilicet sit libertas speculandi et fingendi Dei. Ipse enim se sic vocavit: Deus Jacob. Porro haec non tantum sunt intelligenda, ac si doceant tantum, sed est quoque oratio ecclesiae, sicque ambo conjuncta sunt docere et orare, ut simul et doceat et oret.

Mittat tibi auxilium de sancto.

Hic exponit, quomodo nomen Dei juvet. In arcu et in gladio? Non, de sancto mittit auxilium, ex loco ubi habitat, scilicet occulto modo. Quasi dicat: Mittet tibi Deus auxilium modo, tempore, persona incognita tibi et solum credita: dass ich unserm Herr Gott die Sach so frei heimstelle, dass ich auf den Landgrafen nicht pochs, auf meinen Herrn auch nicht, und fürcht mich gleichwohl auch nit für jenen. Denn er kann ein Person, ein Stündlein, einen modum finden, der es bald unversehens thut. Er kann mit einem

Wort, das irgend mein gnädiger Herr redet, das Herz dem Kaiser gar nahmen. „De sancto“, id est, von ihm her, de se ipso, ubi habitat, id est, incomprehensibili modo. Man kann ihn da in templo nit begreifen, ausgenommen, dass er gesagt hat, er wöll da sein. Sic oportet invisibilia credere. Unser Junker wollt gern, dass die definitio fidei in Hebr. 11. sollt heissen: βλεπομένων. Aber es muss also sein, dass wir nicht wissen, wo aus oder wo ein.

Memor sit omnis sacrificii tui.

Non orat tantum pro auxilio, sed ut omnia Werk, Wort und Anschläg wollt fördern. Sacrificia significant optima opera. „Memor sit etc.“, id est, placeas ei in omnibus tuis operibus, ne sis in peccatis, ignoscat tibi, faveat tibi, ut tu sentias et credas eum tibi favere, gratum ei esse tuum sacrificium. Tum sacrificabant pecudes, nos autem hodie tempore evangelii alia sacrificia habemus, spiritum scilicet contribulatum, et sacrificium laudis, psal. 51., dass er ihms lass gefallen; quod sumus in spiritu contribulato, dass wir heulen und weinen, ut det nobis sensum istum, ut credamus ista placere Deo, ut sciamus per testimonium spiritus, quod respiciat nos, et sit memor istarum lacrymarum, dass wir mögen rühmen: Scio, quod hoc sacrificium placet tibi. Haec sunt christianorum sacrificia.

Et holocaustum tuum pingue fiat.

Hebraismus est „pingue“, id est, jucundum, acceptum. Sic „pingues Israel“, id est, fortunati, ampli, egregii. Sic hic orat, dass es nit sei ein dumm, mager, unwilligen Opfer, da nit ein Tropfen Fetts von fleusst.

Vides prophetam hic usum pulcherrima distributione. Primo rogat, ut velit ei dominus propitius esse, dare remissionem peccatorum, et Spiritum sanctum, ut sit munitus contra peccatum, ne habeat malam con-

scientiam, in summa; ut Deus eum faciat theologum, Jam quoque juristam eum faciet.

Tribuat tibi dominus secundum cor tuum.

Quando Deus placatus est, nosque illo credimus, tunc quidquid cogitamus aut deliberamus, illud procedit, wenn man nur sagt: Lieber Herr, regiere du, gib du Glück dazu. Significat hic quoque omnia consilia vana, et nullius momenti esse, si accedat praesumtio. Sic nunc nostri adversarii nihil faciunt cum timore, non tantum honoris Deo habent, ut dicant: Domine, si non placet tibi hoc, impedi, schlecht dahin definirt; und fragen unsern Herrn Gott nicht einmal darum, ob ers auch haben wölle oder nit. Quando autem aliquis Deum rogat, sicut David hic facit: Gefällt dirs Herr, so thu es, tunc est consilium non humanum, sed Spiritus sancti, qui sic format cor, ut cum humilitate roget. Denn so heissets: „Faciet dominus voluntatem timentium se.“ Wenn ein Fürst sagt: Herr Gott, ego pugnabo, ego hoc mutabo etc., gefällt dirs, so hilf.

Omne consilium tuum impleat.

Dass es reichlich gehe, wie du es hast angeschlagen.

Gloriabimur in salute tua.

Quando hoc fit, quod Deus audit oratores, so hats nicht Noth, tunc erit, ut triumphemus et avemus, quoniam tua est salus. Si nostra salus esset, so würde uns der Teufel bescheissen.

Et in nomine Dei nostri signum erigimus.

דֶּגֶל signum, ein Panier, דָּגַל erigere signum, vexillum. Hic clare apparet, quod loquitur et orat pro rege eunte ad bellum, et puto, quod hunc psalmum composuerit David, ut eum sui orarent, quoties ad bellum prodiret.

Impleat dominus omnes petitiones tuas.

Ordine rogavit, primo pro religione, secundo pro politia, ultimo pro conatu regis.

Nunc cognovi, quod dominus salvat regem suum.

Hactenus orando docuit et exhortatus est, jam addit promissiones. Wenn ein König also stehet, inquit, tunc Deus necessario eum salvat, quia princeps nihil amplius potest addere. Si habet sacrificia, sua, quae dixi, item studium politiae et invocationem, so wacht er unter in דְּגָל אֱלֹהֵי. Tunc sequitur, quod dominus salvum facit eum. Est autem emphasis in „dominus", quasi dicat: Non ipse se ipsum salvat. Mich dünkt, der Psalm hab dem David alle seine victorias ausgerichtet. Er wird seine Büchsen und Harnisch gewest sein, und zwar, wenn mans ihm nachthät, so sollt ihr sehen, der Psalm sollt unter den Türken auch getrost schlagen.

Exaudit illum de coelo sancto suo.

Ante in Zion eum esse dixit, hic in coelo, und macht einen grossen Herrn aus ihm. Dicit de coelis in plurali numero, id est, de universo coelo, sic ut hostium coelum quoque sub Dei nostri coelo sit.

Salus dexterae ejus potens.

Consolatur se contra omnes hostes suos, et dicit: Wenn er hilft, so ists ein gewaltige Hilf. Jam confutabit adversarios, illudet eis, et irridebit eos. Er macht sie so gering, sie konnten nicht geringer sein.

Hi in curribus et in equis.

Fatetur eos habere currus et equos, dass sie uns zu mächtig sein. Aber, was sind die currus und equi gegen dem, der dominus in coelis heisst? Quid sunt illa sine Deo? Sic per comparationem extenuat illa. Was ist denn der Türk? Was hat er denn mehr denn

Spiess und Ross? „Was ist sein Macht mehr denn Ross und Wagen? Si nos habemus dominum pro nobis, sine negotio vincemus.

Nos autem in nomine domini Dei nostri invocabimus.

Nos celebramus nomen domini, da gehen wir daher. Das sind ja zwen abentheurisch exercitus gegen einander. Hie ist gar Nichts secundum oculos mundi, dort ist auch gar Nichts secundum oculos Dei. Quia autem nomen domini manet, ideò nos superiores erimus, sicut jam addit und sagt, was es für einen Ausgang hab.

Ipsi incurvati sunt et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus.

Sie sind stolz und fallen ernieder. Quis facit? Nomen domini. Nos curvati erigimur, illi stant et incurvantur ac prosternuntur. Est promissio consolatoria pro nobis, et simul comminatio contra adversarios, et prophetia.

„Domine salva," est epiphonema. O lieber Herr, hilf jetzt, und immerzu, wenn wirs dürfen.

Rex exaudiat nos, cum invocaverimus eum.

Est mutatio personae, et est oratio pro futuris victoriis. Du hast uns bisher geholfen, hilf uns weiter, du bist der rechte König etc. Est insignis psalmus de et pro magistratu.

PSALMUS VIGESIMUS PRIMUS.

Judaei hunc psalmum simpliciter de rege intelligunt, ut sit ceu ἐπινίκιον superiorum psalmorum. Aber er dünket mich zu stark darzu sein. Puto intelligendum de Christo resuscitato, et glorificato. Est

omnino facilis psalmus, jam regnante Christo.

Domine in virtute tua laetabitur rex.

Primo hoc celebrat, quod Deus suscitavit Christum a morte, et constituit eum regem virtute divina. Est autem haec magna promissio, quod habemus regem, qui regnat in laetitia, victa morte, contra peccatum, infernum et diabolum.

Et super salute tua exsultabit vehementer.

„Salute", id est, victoria, quam dedisti ei in resuscitatione.

Desiderium cordis ejus tribuis ei, et voluntate labiorum ejus non fraudas eum.

Omnia sunt de Christo. Is oravit in die carnis suae, et exauditus est pro reverentia. Ad Hebr. 5. Oravit autem pro glorificatione et resuscitatione a morte.

Quoniam praevenisti eum benedictionibus dulcedinis.

„Praevenisti," id est, obruisti, praevalere enim significat קדם. Significat autem semper obscure hic passum Christum et crucifixum esse. Cum enim dicit obrutum eum benedictionibus, per antithesin significat etiam maledictionibus ante fuisse obrutum; sicut appellatur a propheta „abjectio plebis". Idem significatur per „desideria cordis". Sic quod in primo versu dixit laetari eum in virtute Dei, significat, quod in sua infirmitate et passione doluisset: adeo Deus omnia mutavit. De glorificatione igitur aperte dicit, passionem obscure tantum indicat per antithesin.

Posuisti in capite ejus coronam auream.

Id est, dedisti ei erepto de passione, blasphemia et maledictionibus regnum.

Vitam petiit a te.

Hic significat eum fuisse mortuum.

Dedisti ei longitudinem dierum in saeculum.

Das kann ja nicht David heissen, noch kein ander König.

Magnum est gloria ejus in salutari tuo.

Describit, quod regnum Christi latius sit manaturum per orbem terrarum. Magna est gloria, inquit, in salute tua, non papae, caesaris, hominum, quia propagabitur per orbem terrarum. Das ist sein grosse Herrlichkeit, quod erit gloriosus rex salvando peccatores.

Gloriam et decorem impones super eum.

Schmuck und Zier, laudem et magnificentiam significat, dass einer fein gekleidet und schön darzu mit Geschmeide geputzet ist, dass es ein Pracht hat, ut in exodo de vestitu Aaronis. Dicit igitur: Sicut corona aurea est, sic etiam sunt vestes ejus. Sunt autem allegorica haec. Corona est regnum, potentia per totum orbem, qua salvat populos salute Dei. Vestes autem sunt praedicationes de Christo hinc inde in mundo, quibus ornatur. Sein Schmuck ist die magnificentia, quam exercet in suis, also ist er gekleidet. Ubi igitur est Christus, da gehet der Schmuck mit, quia verbum bringt Alles mit sich, illa dona spiritus, quae sunt apud Paulum.

Quoniam pones eum in benedictionem in saeculum saeculi.

Sumsit hunc locum ex genesi: „In semine tuo benedicentur omnes gentes.“ Christus enim maledictus positus est in benedictionem cunctis gentibus in aeternum, ut ipse benedicat et salvet nos omnes in suo nomine.

Laetificas eum gaudio cum vultu tuo.

Loquitur de gaudio coram Deo. Dicit enim: in vultu tuo. Es ist ein fröhlicher König, non in facie nostra coram mundo, sed coram Deo.

Quoniam rex sperat in domino.

Sic hic rex vixit, et adhuc omnes, qui sunt in regno ejus, fidunt in domino et misericordia. Significat autem potestates contra eum furere. Transit enim hic ad alteram partem.

Et in misericordia altissimi non movebitur.

Nisi sit aliquis in misericordia, non potest non commoveri. Es ist sonst kein Halten denn in misericordia Dei. Operibus non stabimus, es heisst: In misericordia altissimi non est commoveri. Jam transit ad alteram partem.

Inveniet manus tua omnes inimicos tuos.

Hoc pertinet praecipue ad Judaeos, qui cupiebant hunc regem movere, et ejus benedictionem vertere in maledictionem. Significat autem inimicos valde securos, postquam occiderunt Christum, sicut nunc nostri episcopi et principes sunt. Inveniet igitur eos quoque manus domini, praeter ipsorum exspectationem.

Dextera tua inveniet eos, qui te oderunt.

Hi proprie sunt Judaei, deinde generaliter omnes impii.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.

Hoc est, plenos angustiis et terroribus conscientiae. Vocat tempus vultus Dei, cum Deus eos visitabit: quando incipit respicere, sicut respiciebat Aegyptios: da er sich nach ihnen umbsahe, lagen sie schon im rothen Meer. Per „clibanum ignis" significat rubram faciem, ut videantur sicut flamma. Similis figura est apud Esaiam, et apud Sophoniam: „Facies flammarum facies eorum." Vult significare, quod tum cum calamitas veniet, werden sie feurroth. Prima igitur plaga est, quod Deus desperationem eis immittit. Potest quoque de conscientia accipi, sic enim fit, cum

Deus punit, tum statim dicit conscientia: Du hasts verdienet; sine mala conscientia thät einem die Marter nicht wehe. So muss denn facies non oculorum et narium tantum, sed totius corporis verstellet werden.

Dominus in ira sua absorbebit eos, et devorabit eos ignis.

Er drauets alle beide mit einander, das evangelisch und das höllisch Feur. Wenns lang herumb hat gangen, so müssen sie dennoch zuletzt in die Höll hinunter, sed non credunt. Imo hunc versum sic legunt: Dominus refrigerabit nos, et dabit nobis regnum coelorum, quia filium Dei occidimus. Sunt igitur omnia haec spiritualia.

Sicut autem supra antithesis est: Tu maledictum benedixisti, passum vivificasti, ita econtra hic accidit: qui sunt reges, et volunt dominari, eos primo destruet, ut pereant in propria persona. Deinde

Fructum eorum de terra perdes.

Id est, prolem, haeredes eorum. Filii hominum habent imperium in terra, id ipsi non habent, amiserunt enim illud quoque elogium, quod generaliter omnibus hominibus datum est, etiam impiis: „Vos dominamini piscibus maris.“ Ihre posteri sollen auf Erden nit regieren. Est miserum vivere inter filios hominum, et tamen non participium habere cum filiis hominum, quod alii omnes habent. Sic in Zacharia dicit, quod pendent inter coelum et terram. Hanc calamitatem Moses quoque praedixit.

Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quae non poterunt stabilire.

Sie gedachten dich auszurotten, und giengen mit Anschlägen umb, die sie nicht erheben konnten. Das glauben unsere Jüngherlein heutigs Tags auch nicht.

Est autem hoc peccatum irremissibile, Christum crucifigere. „In te", inquit, non peccaverunt in hominem, sed in ipsum dominum.

Quoniam pones eos humeros.

Dicit breviter illam miseriam, calamitatem, indurationem. Sunt positi in humeros, sie kehren den Rucken gegen unserm Herrn Gott, so kehret er seinen Rücken wieder gegen sie. Sunt indurati, et quo magis puniuntur, eo gravius indurantur. Sunt comminationes ex Mose Deut. 28.

Diriges in vultum eorum nervum.

Was sie anschlagen, soll ihnen auch nicht fortgehen. Quia enim quidquid Deus vult, ipsi non volunt, ideo ipse quoque non vult, quae ipsi volunt, und dennoch lassen sie nicht ab. Also gehet H. G. stracks von Gott abgekehret. Daraus folget, dass ihm wiederumb nimmer Nichts für sich gehet. Malo tamen suo non eruditur, non agnoscit peccatum, simpliciter pergit: Es ist recht. Dicit igitur ad eum Deus: Tu es factus tergum, harr, ich will dir auch etwas unter Augen stellen, das du nicht gern wirst sehen.

Videmus idem in Judaeis nostro tempore, quod tot consiliis et spebus frustrantur, dass ihnen die Pfeil allweg sind unter die Nasen gangen: wo sie hinaus wöllen, da schlägt er sie auf die Schnauzen. Est hebraismus, quem nos alia figura reddimus: Wo einer hinaus will, so stehet einer mit der Keule, und schlägt ihn für den Kopf, und verrennet ihm den Weg. Resistunt Deo, et ipse vicissim eis resistit.

Exaltare domine in virtute tua, cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Wöllen sie nicht fort, so fahre du fort, dass dein regnum gehe super omnes coelos: so wöllen wir dir thun, und dir danken, und singen, loben und pre-

digere tuas virtutes, quas nobis praestitisti; scilicet, victoriam mortis, peccati, diaboli, vitam, salutis, resurrectionem etc.

PSALMUS VIGESIMUS SECUNDUS.[a)]

*) Titulus: „Pro susceptione." Augustinus hat sich hart uber diesem Titel zubrochen, sed quoniam non recte sic vertitur, erravit. Hebraice enim sic sonat: De cerva aurorae, von der frühen Hinden. Hoc enim nomen psalmi est et argumentum. Canit enim de cerva aurorae, quae fugatur a canibus. Cerva autem dicit, non cervus, propter foecunditatem et mansuetudinem, quod non est tam saeva ut cervus. Nam in hoc psalmo descripturus est passionem Christi et regnum. Continet quoque duas similitudines, quarum altera plane cum titulo hoc convenit. „Multi, inquit, canes circumdederunt me," es sind viel Hunde umb die Hinde her. Comparat enim Christum cervae, quasi dicat: Volo dicere de Christo passuro, qui velut cerva a canibus fugabitur, und das ist der Hauptpsalm einer de passione Christi. Neque enim alium psalmum invenias, qui sic clare Christi passionem describat. Vocat autem cervam aurorae per epitheton. Distinguit enim hanc cervam a toto sacerdotio et regno Israelitico, quod sit cerva aurorae, id est, in fine legis. Paulus Roman. 13. quoque sic loquitur: „Nox discessit, dies autem apparet." Item: „Ubi erat finis et plenitudo temporis." Ubi enim lex est, ibi non est lux, sed tenebrae. Christus autem apparuit, cum finis legis esset, da gieng die Sonne herfür. Item Christus sollt in der Zeit leiden, da lex in fine war, et principium evangelii jam luceret.

---

a) 10. Septemb.

Clare autem patet ex hoc loco et aliis, quod propheta et Spiritus sanctus voluerunt data opera abscondere hoc mysterium passionis Christi a carnalibus et indignis, quare sic obscurum titulum fecit. In finem, hoch zu singen, sicut supra exposui.

Deus Deus meus, quare me dereliquisti?

Rapit eum in medias res, sicut Horatius inquit, und bringt ihn flugs in epitasin passionis. Christus enim jam moriturus in extrema epitasi clamat: „Deus Deus etc." Deinde facit ipsum Christum narrantem suas passiones, sicut Virgilius Aeneam, et Homerus Ulyssem. Qui enim recitat suam historiam, der kann dem Dinge bass helfen mit den descriptionibus et verbis affectuum. „Deus Deus meus etc." Nemo hominum intelligit, quid sit derelinqui a Deo. Ego in meo psalmo multa de hac re scripsi, aber, was ich erlanget hab, weiss Gott. Cor humanum non potest haec amplecti et intelligere, es ist zu eng darzu. Nam relinqui a Deo, est relinqui ab omnibus, quae est Deus, relinqui a Deo, vita, sapientia etc. In hoc igitur verbo derelinqui ist die summa passio, dass er den Christum lässt stecken in reatu, peccato, stultitia etc., ut sit relictus in manu diaboli. Sic psalm. 8.: „Minuisti eum paulo minus ab angelis." Da hat denn der Teufel zublasen, ut adigeret eum ad desperationem. Den affectum passionis können wir nicht erleiden, er muss mit uns säuberlicher umbgehen. Ipse autem Christus est haec passus pro nobis.

Longe abes a salute mea atque a verbis rugitus mei.

Omnis mora in cruce difficilis est, et facit impatientiam. Pati ist nicht schwer, si quis finem passionis videre potest. Es denket einer: Es ist umb ein böse Stund, einen bösen Tag, ein böse Wochen zu

thun, darnach wirds besser. Aber, wenn man finem nicht siehet, so ist omnis passio intolerabilis, und wenn es gleich nur ein Viertheil Stunde währet. Sic hic dicit: „Longe a salute," da ist kein Heil, nec video finem passionis.

Porro hic primus versus dat lucem toti psalmo, in quo conqueritur se pati extrema, et pati aeternaliter. Summa passio est, dass man Gott verleuret, deinde, dass es nicht will aufhören, das thut denn wehe, dass er sagt: Ich rufe, aber was hilfts? es ist kein Retten da, wer weiss, wenn salus kompt? Sic in omnibus passionibus non apparet finis. Unser Leut itzt zu Augsburg, die habens auch versucht.

„Rugitus" significat vehementem Christi orationem et gemitus inenarrabiles, et tamen frustra.

Deus meus, clamabo per diem, et non respondebis.

Hic exaggerat rem comparatione, und machts noch greulicher. Haec mea passio, inquit, est sine exemplo, dass er keinen Heiligen siehet also leiden. Da hat der Teufel zugeblasen: Quare non desperas, cum nullum sit exemplum tuae passionis? Es ist Keiner nie gewest, der so schändlich gelitten hat, te gravat ira Dei. Est triviale, sed valde bonum proverbium quoad sententiam: Est gaudium miseris socios habere poenarum. Ein armer Sünder kann sich dennoch des trösten: Peccavi, Petrus quoque peccavit, peccavit David, du bist weder der Erst noch der Letzt. Illa exempla consolantur nos. Christi autem passionem omnes hujusmodi circumstantiae aggravant. Das hat er pro nostris peccatis et propter nostra peccata gelitten: das sollten wir lernen, so mussen wir des Teufels Namen den Aristotelem darfür lesen, und die doctrinam darzu auch aufs Aergst verfolgen.

Deus meus, clamabo per diem.

Mea passio est aeterna, et quoque sine exemplo, et ego in mea passione curro per omnes omnium passiones, et video, quod eos eripueris. Ego solus nunc ad te clamo, et non exaudior.

Et nocte, et non silentium mihi.

Silentium heisst, dass einer nicht desperatus und turbatus in corde ist.

Tu autem sanctus, et inhabitas in laudibus Israel.

Est obscurus versus. Ego sic intelligo: Ne videretur blasphemare Deum, addita est haec vox fortitudinis: Tu sanctus, id est, tu es dignus laude, non es blasphemandus, non est tua culpa, quod sic patior, non facis mihi injuriam, si morior, so bleibst du gleichwohl in laudibus Israel sanctus. Non debes ideo blasphemari, sed dico, quod sis laus Israel et laudabilis in Israel populo illo. Sic est quasi correctio vocis illius: „Quare me dereliquisti?" quae blasphemiam videtur sonare. Du hast recht gethan, wie es einem rechten, frommen, treuen Gott wohl anstehet.

In te speraverunt patres nostri.

Sunt comparationes, mir gehets nicht also. Illi quoties clamaverunt, erepti sunt: ego clamo, et tamen non eripior.

Haec comparatio non solum magnitudinem doloris affert, sed est quoque ein halbe consolatio mit zu. Tu illos juvisti, hast sie nicht lassen stecken, du wirst mir auch helfen. Sic comparationem, quae terrere debebat, vincit et invertit eam, et utitur ea ad consolandum. Sic David quoque facit psal. 77.: „Memor ero judiciorum tuorum domine, et consolatus sum. Item: „Memor ero operum domini. Den Gott rufen wir an, qui nos eduxit per mare rubrum." Item alibi:

„Mementote, quomodo salvi facti sunt patres nostri.“ Sic lucfando et lugendo vertit haec in consolationem Christus. Das ist denn eine hohe Kunst.

Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum.

Das sind abentheurliche, seltsame Wort. Christus muss in mundo sein nicht ein Mensch, id est, omnes homines quo magis sunt impii, eo sunt sapientiores, potentiores et justiores. Christus aber und die Seinen müssen nicht Menschen sein, man hält sie schlecht für umbras hominum. Wie man einen Regenwurm zutritt, so zutritt man ihn auch. (Ego vermis.) Also heisst man unsers Herr Gotts Werk, Sohne und Kind, es hat gar kein Ansehen für der Welt.

Opprobrium hominum et abjectio plebis.

Sic wenn man einen schändlich will nennen, so heisset man ihn einen Christen, sicut nunc quoque meum nomen est. Sie stecken mich ans Kreuz, inquit, wie man ein Würmlein an Angel stecket. Nomen quoque non habeo, sed nomen meum heisset opprobrium et contemtus, das ist meine Ehre: so ist er aufs Höhest verachtet. Haec est recitatio passionis, quam sustinuit in suo corde. In sequentibus fährt er herumb, et dicit de externis, tandem de corporalibus passionibus et doloribus, quod omnino fuerit exhaustus.

b) Omnes videntes me subsannant me.

Summam passionem sequitur blasphemia adversariorum. Sic enim dicunt illi: Euge, habe ichs nit zuvor gesagt? Also straft ihn unser Herr Gott. Sic autem augetur crux, et praeterquam quod sentit se derelictum a Deo, etiam adversarii laetificantur.

---

b) 18. Septembris.

Aperiunt labia.

Sperren das Maul auf. Est idem verbum, quod est in Mose: „Omne masculinum aperiens vulvam.“

Movent capita.

Awe ja, bist du der Mann darzu, der alle Welt kannst strafen? Ich mein, du habsts.

Speravit in domino; eripiat eum, salvum faciat eum, si diligit eum.

Das ist so ein bitter σαρκασμὸς und χαριεντισμὸς, dass er nicht bitterer könnte sein. Et sunt proprie voces diaboli, sicut in evangelio: „Confidit in Deo, liberet eum,“ ut sit conjuncta praesumtuosa adversariorum victoria et secura jactantia. Die Stück gehören auf einander: summa passio, deinde contemtus et blasphemia, laetitia adversariorum et triumphus.

Haec est prima pars psalmi, quae continet querelam, was er leiden müsse, derelictionem et solitudinem sine exemplo, blasphemiam et laetitiam hostium. Quod latinus fecit „speravit“ significat volvere, promovere causam apud aliquem principem, fürbringen etc., quasi dicat: Exponat causam suam Deo.

Quoniam tu extrahens me de ventre.

Das gehöret Christo allein, sonst Niemands, nos enim omnes concepti sumus in peccatis. Incipit autem hic se consolari. Nullum externum solatium habet, schlecht muss er in sich selbs schlahen, und ergreifet unsern Herr Gott ein wenig, und spricht: Ich hab mich ja nicht selbs gemacht, weiss ich wohl, es ist ja kein Muthwill, noch mein Getrieb oder Sach, es ist deine Sach. Wenn einer das kann nachsagen, so stehts wohl. Weil es aber meum heisst, so muss desperatio da sein. Quando autem sic cogito: Hoc praecise facio ex mandato Dei, tum sequitur: Igitur Deus me defendet. So haben wir uns jetzt zu Augsburg

auch müssen trösten!

Dicit autem hoc multis verbis: Ist es doch gar deine Sach, was bin ich?

A ventre matris meae fuisti Deus meus.

Nihil gessi in tota vita sine te, a principio meae substantiae habe ich dir gedienet. Nihil est in me, quod possit dici meum, ne ipsa nativitas quidem. Porro hoc quoque significari hic puto, quod Christus non sit natus in peccato. Sum natus ex ventre, inquit, und also zu rechnen, nicht geboren, sondern herausgezogen. Christus enim solus venit ex ventre virginis, et non ex lumbis viri, et ex ventre non operante, sed potius patiente, quia extractus. So bin ich ja sine peccato, inquit, das weiss ich. Sic apprehendit Deum in beneficiis prioribus, et magis in opere et verbo suo.

Fiducia mea ab uberibus matris meae.

Du bist mein Trotz gewesen, id est, mea vita fuit tuum donum, fui tibi gratus, statim cum natus essem. Tum cum sugerem ubera matris, fuisti Deus meus, et ego servus tuus pendebam totus ex te. Hoc non faciunt alii, qui nascuntur ex patre et matre. Die saugen die Brüste in peccatis, und ist Alles Sünde, bis sie getauft werden.

In te projectus sum ex vulva.

Sum receptus in tuam commendationem, tibi dicatus. Niemand ist, der sich mein hat angenommen, denn du. Alii in mundum et in miseriam, ego autem in te sum projectus. Has igitur poenas et blasphemias non merui. Ipsi non sunt sicut ego, sum enim sanctus ab initio vitae meae. Sic opponit haec passioni suae.

Ex utero matris meae Deus meus es tu.

Est exaggeratio, quae inde est nata, dass er

unsern Herr Gott ergriffen hat. Du bist ja mein Gott, und ich dein Diener gewesen. Dicit vulvam de utero matris, quod sit natus ex virgine matre. Est autem hic quoque indicata ratio, wie man sich stellen soll, wenn man beten will, et conscientiam serenare; nam priusquam oret, recolit beneficia, sicut in dominica oratione quoque facimus: Pater noster, du bist ein grosser, mächtiger Vater etc.

Ne longe sis a me.

Rogo te, lass salutem nahe zu mir kommen, jetzt und ist die passio und angustia nahe bei mir. Hae fere sunt preces, quas epistola ad Hebrä. 5. cap. dicit Christum obtulisse patri in die carnis suae, atque haec quidem est petitio.

Porro sicut pulchrum est in oratione captare benevolentiam a persona judicis, sic necesse est conciliare invidiam adversariis, ut provocetur, sit judex et inclinetur ad misericordiam oppressi. Valet autem ad hoc etiam, ut erigatur affectus, sicut nunc cum oramus: Hilf, lieber Herr Gott, denn du siehest, wie sie mit uns umbgehen, und weissest, dass sie verblente Buben sein; so wird denn das Gebet fein stark, et excitantur affectus.

Circumdederunt me tauri multi.

פָּרִים heissen Farren, junge Ochsen, pater armenti. רַבִּים heisst voll, stark, gross.

Obsederunt me tauri pingues.

אַבִּירֵי significat angelos, fortem. Dei quoque nomen est, sicut in psal. 132.: „Juravit לַאֲבִיר יַעֲקֹב.“ Hinc bovem quoque dicunt אַבִּיר a fortitudine. Significat autem inimicos suos cornupetas esse, sie stossen, faciunt injuriam, et vim inferunt. Herodes, Pilatus et Romani sunt hi tauri.

Acuunt igitur adversarios, et sibi favorem conciliant. Tauri, inquit, contra me sunt; ego autem sum vermis. Jene sind fett, viel, gross, stark, et faciunt vim. Sunt me potentiores, et nocentes, mali et iniqui, muthwillige, stossende Ochsen.

Reges et principes tauros vocat, et quasi contumeliose appellat eos nominibus bestialibus. Esset autem contumelia, si ista faceret animo injuriandi, verum facit ad irritandum affectum judicis.

Aperiunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.

Est descriptio terrorum, quos incusserunt ei. Cupidissime invaserunt me, sicut leo rugiens.

Sicut aqua effusus sum.

Est descriptio ipsius tactus, wie sie ihn haben angegriffen. Similis figura, sed paulo alia significatione est in genesi 49. de Ruben. Isthic enim significat levitatem: Du bist ein leichtfertiger Mensch, es sicut aqua effusa. Hic autem dicit: „Sicut aqua sum effusus," id est, sum effusus sicut nihil. Malvasir, sonst Wein oder Bier, schüttet man nicht sehr aus. Ego sicut aqua sum effusus, das man gar nicht achtet, non erat receptaculum, nemo me recipiebat.

Et dispersa sunt omnia ossa mea.

So haben sie mich aus einander gedehnet. Potest tamen intelligi quoque de interna passione, dass die Kraft in den Beinen hinweg gehet, dass einer weder stehen noch gehen kann.

Factum est cor meum sicut cera.

Hoc quid sit, nemo novit nisi expertus. Latini tabescere, cor dixerunt, dass einen dünket, das Herz gehe ihm aus dem Leib hinweg cum maximo dolore. Sunt sublimia haec, wir treffens nicht, es ist uns zu hoch.

Est pulcherrimus psalmus, qui testatur, quod Christum oportuerit pati, et sic transire ad gloriam.

Domine ne elongeris.

Ferne dich nicht so weit von mir, sed adsistas mihi, ut resurgam a mortuis.

Virtus mea in auxilium meum festina.

Haec verba sunt signa animi patientis. Sicut enim supra dixi; in cruce omnis mora impatienter fertur. So streichet ers nu fein mit den Worten aus, wie einem in cruce zu Sinn ist.

Eripe a gladio animam meam.

Clare orat pro liberatione, ut anima sua eripiatur a gladio, id est, de potestate habentium gladium, de tyrannis, qui vitam volunt eripere.

Et de manu canis unicam meam.

Perstat in allegoria de cerva fugata. „De manu canis," id est, canum, vel de canina manu. Quasi dicat: Sum in venatione, et qui me persequuntur, urgent me. Sed ne derelinque me in manibus canum. Er will schlecht wieder herfür.

Unicam meam.

Id est, me solitarium. Sic saepe scriptura loquitur: „Pauper et unicus sum ego," quia omnis, qui patitur, der ist einsam, caret auxilio, hat keine Hülfe und keinen Beistand. Hoc quoque Dei est epitheton, quod est adjutor illorum, qui omni auxilio humano sunt destituti. Valet quoque hoc verbum ad movendum affectum, dass das Gebet fein stark werde. Lieber Herr Gott hilf, du siehest, dass ich sonst gar verlassen bin.

Salva me ex ore leonis.

Sunt ingeminationes et aestus ferventissimi spiritus.

Et a cornibus unicornium responde mihi.

Sunt quatuor similitudines, quibus fatetur se esse in gla-

dio, in manu canum, in ore leonis, inter cornua unicornium.

Dicit autem de multis unicornibus, a quibus invaditur cornibus. Dicunt autem historiographi de unicornibus, quod sit indomita et ferox bestia, quae occidi potest, viva capi non potest. Tales sunt Judaei et omnes persequutores christianorum. Das sind die zornigsten, greulichsten Thier, das Spiritus sanctus nit denn durch solche figuras kann anzeigen. Fures et latrones cum ducuntur ad supplicium, sequitur eos aliqua commiseratio; hoc non fit cum christianis, da werden canes et leones draus, id est, sunt implacabiles et insaturabiles hostes. Haec est oratio in spe resurrectionis. Jam prophetat de resurrectione tanquam exauditus.

Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Quid hoc? mortuus vult narrare, et occisus vult laudare? Ergo includit ille versus resurrectionem. Loquitur enim de persona sua propria, et ipse Christus est, qui nos appellat fratres. Hanc emphasim hujus verbi „fratribus meis" nemo potest animo comprehendere. Das thuts, „meis", qui sum victor mortis, inferni, peccati et omnium malorum. Der grosse Gott, der Himmel und Erden erfüllet, der spricht zu denen, die ihn hören, quod sint fratres.

Qui igitur verbum amat, audit, reveretur, der höret hie wohl, wofür ihn Christus hält. Und das tröstet uns auch wider alle Tyrannen. Was können sie thun? si Christus est frater, quanquam ipsi sint unicornes. Hoc quoque includit nomen „frater", ut nos quoque habeamus, quidquid ipse habet. Er ist aber selig, frei vom Teufel, unschüldig von Sünde etc., das ist alles unser.

Declarat quoque, quale sit regnum Christi, scilicet, fraternitas, et ea ejusmodi, ut habeat vitam

aeternam, salutem, ereptionem a peccato, a diabolo. In summa est regnum coelorum.

Facit quoque ad descriptionem hujus regni verbum „narrabo". Dicit enim, quod sit regnum verbi, das im narrare stehet und gehet, bis an den jüngsten Tag, bis wir auch selig werden. Also ist das regnum kurz und meisterlich gefasset, als kein Cicero noch kein Poet könnte fassen, quod non sit regnum caesaris aut regis Galliae, sed Christi.

Nomen tuum.

Haec evangelii est descriptio, was es denn für ein verbum sei, in quo regnum Christi consistere dixit, ein solches, dass man deinen Namen predige, sicut in 19. psalmo: „Coeli enarrant gloriam Dei," non hominum nomen, non nostrorum operum fiduciam, non nostram sapientiam, sed de opere Dei, de gratia, de vita, salute nobis per Christum largita, dess er sich rühmet. Evangelium igitur est narratio de gloria Dei, ut laudetur solus Deus.

Haec praedicatio gloriae Dei continet praedicationem ignominiae nostrae, denn gloria Dei et nostra können nicht beisammen in einem Bett liegen. Also auch nomen Dei et nostrum nomen können nit in einem Stall stehen mit einander, sicut Daniel quoque dicit 9. cap.: „Tibi domine justitia, nobis confusio."

Qui igitur hanc praedicationem libenter audit, est frater Christi. Und zwar, wir sehen auch, wers gern höret. Der meiste Theil will die Hände auch mit im Rode haben, und Gott nicht allein loben lassen.

In medio ecclesiae laudabo te.

Ich will kein Winkelprediger sein, sicut Paulus quoque dicit ad Ro. 1.: „Non erubesco evangelium," et Christus: „Qui me confessus fuerit coram hominibus." Es soll kein Schleicher sein.

Laudate, significat praedigare et confiteri, quod sumus salvi gratia, non meritis, sicut Paulus ait: Das ist nun das Predigampt, et hoc est regnum Christi, qui est rex, qui regnat per externum et vocale verbum, quod qui admittunt, sunt fratres. Christus igitur ist ein Prediger et rex verbalis, sed in eo verbo est inclusa universa salus. Sunt autem signanda haec loca contra eos, qui rident externum verbum. „Narrabo" dicit, je von externo verbo gesagt, item „in mediis ecclesiae". Man weiss ja wohl, was narrare heisst.

Timentes dominum laudate eum.

Hic simplius describit regnum, quod hoc verbum habebit suos fructus, dass der heilige Geist werde dabei sein. Et exhortatur hic quoque, ut recipiamus hoc verbum, collaudemus Deum, et ei credamus.

Timentes eum habent timorem tantum, sed narrando. Est autem timere, quando urguntur homines ab evangelio (sicut dicit: „Spiritus sanctus arguet") et desperant de suis operibus, et metuunt judicium Dei, dass unser Herr Gott mit unsern Werken nicht will zufrieden sein.

Illum timorem sequitur laudare Deum. Christus enim consolatur et dicit: „Beati qui audiunt verbum Dei, quod vos auditis etc." quasi dicat, Seid guter Ding, vos qui admittitis verbum. [illegible] estis absque operibus bonis, als wollt es uns auch verloren sein, aber es hat die Meinung nicht, es stehet: „Timentes dominum laudate eum." Man soll sich fürchten, aber nicht verzweifeln. Sic conjungit quoque in 2. psalmo: „Servite domino in timore, et exultate ei etc."

Omne semen Jacob glorificate eum.

„Semen Jacob" addit, ut significet, principaliter pertinere promissionem ad semen Abrahae; deinde

haben ja die promissio, dass das Evangelium bei ihn soll aufkommen. Ideo repetit

Et timeant eum omne semen Israel.

Hoc verbum significat revereri, sicut in 2. psal.: Exsultate ei cum tremore. Id est, cum metu et reverentia, ne praesumatis de justitia vestra, sed cum gratitudine et humilitate amplectamur verbum Dei. Non vult habere spem, quae facit praesumtuosos. Die sollt demüthiglich in dem verbo studieren, und es mit reverentia annehmen. Das ist unsers Herrn Jesu Christi sein praedicatio, qua glorificat patrem et facit, ut per ipsum ad patrem veniamus. Ipse enim via est etc.

Quoniam non sprevit nec abominatus est afflictionem pauperis, nec avertit faciem suam ab eo.

Hoc addit ad expositionem regni Christi epitheton, quod regnum Christi est regnum crucis. Das führet er. Wir müssen auch herhalten, wie er. Plus dixit negative quam si affirmative dixisset, quasi dicat: Amate illum Deum, qui consolatur humiles, justificat peccatores, vivificat mortuos, glorificat ignominia affectos, salvos facit miseros. Sehet, wie er mir gethan hat, me non despexit. Es dünkt einen wohl, unser Herr Gott will sein und seines Betens nit. Contra illam desperationem erigit nos, et dicit, quod sit Deus gratiae, quasi dicat: Nolite confidere in vestra studia. Ihr müsst vor miseri sein, filii mortis et filii inferni werden, et tum scitote, dass er ein gnädiger Gott ist, der nit kann verachten calamitosos.

Et cum clamaret ad eum, exaudivit.

Regnum Christi est quoque regnum orationum, sicut Zach. dicit: „Spiritus gratiae et precum." Ubi nun est evangelium, da gehen die zwei: Orare est

secundum opus post praedicationem. Gratia dat remissionem peccatorum, die macht darnach, dass einer beten kann. Ante gratiam non est orare, sed ululare. Sic apud Hieremiam conjunguntur haec duo: „Et qui habet verbum domini, oret pro vasis in templo [illegible]" quasi dicat: Signum habentis verbum est posse orare.

Consolatur igitur nos hoc versu et dicit: Deus non despicit te, sicut putas, sed est Deus gratiae, et „exauditor orationum", sicut alio psal. eum appellat.

Nec avertit faciem suam.

Significat factum carnis, dass der Teufel gern wollt machen, ne oraremus, dass einer denkt: Es hilft nicht. Von einem solchen Gott predige ich euch. Ideo confirmet vos meum exemplum.

De te laus mea in ecclesia magna.

Est simile illi: „Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum." Est regnum solatii et laudis, dass unser Herr Gott, quando nos exaudit, tröst er uns auch, und lässt uns nicht darinnen stecken.

De te laus etc.

Vult dicere, quam habeat latum regnum. Dass du den Leuten hilfst, und sie erhörest, da wird man dir für danken. Sequitur enim liberationem laus, dass man muss sagen: Deus fecit.

In magna ecclesia.

Id est, in toto mundo.

Vota mea reddam coram timentibus eum.

Non dicit de nostrorum monachorum votis, sed de votis gratitudinis, quae fiunt ad testandam et significandam gratitudinem, non in pretium meriti. Haec enim fuit ratio votorum in lege, quod vota non fuerunt operum, id est, meritoria, sed Gott zu Lob und Ehren. Nam illa etiam vota, quae erant opera, vovebantur non ut opera meritoria, sed ut signa gratitudinis.

Vovere igitur Deo, est vovere primum praeceptum, quod velimus eum habere pro Deo, der uns soll helfen und alles Gutes geben. Ergo omne votum est primi praecepti, quia vovetur tantum propter gratitudinem, quod scilicet ideo non bibo vinum, quod Deo sum Nazareus, quia volo testari, quod Deum pro Deo meo habeo. Eadem sacrificiorum quoque est ratio. Quod igitur dicit: „Vota mea reddam," nihil est aliud quam: Ego praedicabo eum. Ich hab ihm gelobet, er soll mein Gott sein, da ich Alles von habe. Wenn er dasselbig also publice predigt und ausschreiet, das heisst denn solvere vota. Eadem ratio est, si voveam opus aliquod: wenn ich ein rothen Rock anziehe, und saget: Das will ich thun zu einem Zeichen, damit ich unserm Herr Gott anzeigen will, dass er mein Gott sei. Nostri monachi faciunt ex votis opera meritoria, id quod est impium.

Nota, quod hoc tantum exemplificative sit dictum. Impium enim esset tale aliquod votum facere, quia esset electitium et statim hanc opinionem secum ferret, quod praestaret alteri operi. Sunt autem omnia opera nostra, quibus laudari Deus potest, jam ante praescripta, et in sacris literis significata. „Quidquid facitis, sive editis, sive bibitis, facite omnia cum gratiarum actione."

Edant pauperes et saturentur.

Est regnum epularum quoque, quasi dicat: Volo instruere convivium, ein Wohlleben. Miseri tum manducabunt, denn es soll ein köstlich Asverisch Mahl sein, id est, verbum debet tam copiosum esse, dass voll aufträgt alles, was man haben will, sicut videmus. Evangelium enim nos docet, quid magistratus, quid subditi, quod patris, quod matris sit officium, wie man Sonne, Mond und Luft soll brauchen: das ist ein köstlich Mahl, aber er hats angericht für die pauperes,

qui sunt quasi recepti, et postea illi extrahuntur.

Laudent dominum inquirentes eum.

Dieselbigen pauperes laudabunt, quoque dominum. Sic evangelium nihil est aliud nisi: „Laudate dominum omnes gentes.“ Item alibi: „Ad te laus mea.“ Item: „Laudabo te Deus meus,“ dass gratitudo da sei, quod dederit verbum. Significanter addidit „quaerentes eum“. Es sind nicht faule Christen, sie nehmen sichs an, quaerunt, sie haben ihn noch nit in visione, sed sunt in inquisitione.

Vivat cor vestrum in aeternum.

Daselb Essen wird euerm Herzen ein ewig Leben geben. Corda vestra, etsi corpus moriatur, habebunt certissime vitam aeternam: das ist doch ja ein tröstlich regnum. Haec de suo semine Jacob dixit, jam veniet et ad gentes.

Reminiscentur et convertentur ad dominum.

d) Haec dicit, dass auch wir gentes sollen gehören ad regnum Christi, quanquam nobis non sit promissum sicut Judaeis; wir haben nicht Macht zu harren noch zu fordern, dennoch hat er uns auch troffen.

„Reminiscentur“ male versum est: Man wird gedenken. Est psal. 116.: „Laudate dominum omnes gentes,“ et psal. 2.: „Postula a me, et dabo tibi gentes.“ „Reminiscentur,“ id est, fiet memoria eorum, verbo vocabuntur, sicut alibi: „Memor eorum Raab et Babylonis, psa. 86., et psal. 16.: „Non memor ero nominis eorum per labia mea.“ Sic hic „reminiscentur,“ id est: Unser Herr Gott wird sie auch ins Register schreiben, er wird ihr nit vergessen. In nostra lingua plenius sonat negative.

„Omnes fines terrae“, id est, non solum terra Canaan. Sic in 2. psal.: „Postula a me gentes.“ Pas-

d) 18. Septemb.

sic Christi tunc fructum faciet, ut congregabit illos ex omnibus regnis.

Et genua flectent coram te universae familiae gentium.

Id est, erunt in cultu Christi universae gentes, id est, ex omnibus familiis aliquae. Sic enim figura haec accipitur, quae faciunt duae personae in domo aliqua, ea dicitur domus facere.

Significatur autem hic quoque abrogatio legis. Si enim omnes gentes debent converti et tamen manebunt gentes, nec vocabuntur ad Judaismum, necesse est, ut lex abrogetur, et ut sit regnum spirituale.

„Adorare“ hebraica figura significat genua flectere, et reverentiam quam exhibemus corpore, sicut solemus principibus. Ista adoratio est signum, quod confitemur Deum esse patrem nostrum, a quo omnia accipimus. In primo praecepto hac voce est usus: „Non adorabis ea,“ de idolis loquitur. Du sollt sie nicht für eine Majestät halten, sollt ihn kein Reverenz thun, et „non servies eis,“ sollt ihn keine opera noch Dienst thun.

Quoniam domini est regnum et ipse dominabitur gentibus.

Der Herr wird selbs König werden. Significat autem se aboliturum universa regna idolorum, er will selbs regiern. Das sind starke Sprüch contra Judaeos, noch stehen die Teufel so hart, et volunt soli esse populus, cum hic manifeste dicat de finibus terrae.

Manducent et genua flectant omnes pingues terrae.

Sicut supra de Judaeis dixit, ita hic dicit, quod in gentibus quoque parabitur convivium. Continet autem hic versus tres partes.

Evangelium erit opulentissimum et epularum convivium.

Genuflectent, venerabuntur, agnoscent eum Deum pingues, alle Gewaltige. Est frequens hebraismus, „Occidit pingues eorum,“ et supra psal. 17.: „Qui clauserunt adipem suum.“ Non quod omnes et singuli pingues dominum adorabunt, sed quod in omnibus pinguibus aliqui auf dem ganzen Erdboden.

Coram ipso incurvabunt omnes descendentes in pulverem.

Generaliter vocat descendentes in pulverem quamlibet humilem conditionem vitae, et est antithesis cum pinguibus. Nam descendere in pulverem significat jacere in situ et squalore alicujus miseriae vitae, dass man nit achtet für der Welt, ein Aschenbrödel. Hoc nomine valde feliciter redditur hebraica figura.

„Omnes“ dicit, non habet respectum personarum. Das ist ein heimlicher Stich auf die Judaeos, qui jactabant: „Promtuaria nostra plena. Deus suo populo benedicit etc.“ Hic autem dicit, quod pauperes quoque velit suscipere, id est, eos qui coram mundo apparent maledicti.

„Et qui animam suam non vivificant.“

Hac figura non solum contemti homines, sed etiam afflicti significantur. Nam animam vivificare, vocat victitare, sicut alibi vocat „lumen viventium“, id est, felicitatis tempus, ubi vivitur, ubi est beata vita. Illi autem non vivificant animam suam, den es ubel gehet, vita eorum est potius mors quam vita. Incarceratos, plagatos, afflictos non despiciet, qui videntur mortis potius, quam vitae homines. Est episcopus pauperum et inopum, non solum divitum. Porro haec figura est inde sumta: נֶפֶשׁ significat animam sensitivam, vel corpus vivum, quod Graeci et Latini

dicunt animal. Hinc חיה verbum significat refrigerare, erquicken, wie man sagt: Ein guter Trunk hilft Leib und Seel wieder zusammen. Hinc dicunt vivificare animam. Das sind nun unsere Herr Gottis Hofleute, reiche, arme und geplagte Leute.

Semen serviet ipsi.

Jam dicit, qualis sit rex futurus, talis scilicet rex, qui habebit posteritatem: non erit sterilis. Item hic rex non morietur, sed habebit semen copiosum. Quale? Serviens ei, ergo so muss er leben, si serviant ei. Hoc est novum regnum. Rex manet rex apud suum semen. All seine Kinder, die er je haben wird, die werden ihm dienen, sicut in psal. „Deus judicium etc.“: „Propagabitur seu filiabitur nomen ejus coram sole et luna,“ sein semen bleibt immerdar. Non sequitur eum; nec est posteritas, sed simul manet cum eo, non moritur.

Narrabitur domino in generatione.

Man wird predigen, sicut alibi: „Filiabitur nomen ejus coram sole etc.“, id est, de filiis ad filios nomen ejus narrabitur.

In generatione.

Für und für, significat hic aetatem et durationem, non posteritatem. Das semen müssen wir stehen lassen „in generatione“, id est, in perpetuum, als lang als generatio hie auf Erden stehet.

Venient et annuntiabunt justitiam ejus.

Venire et intrare significat fungi officio, ut Pomeranus incedit in ecclesia Vittenbergensi, id est, administrat eam. Sic hic: Illi narratores, semen illud, venient, fungentur, mittentur, current, sicut Paulus loquitur, id est, docebunt. Quid? „Justitiam ejus“, id est, Christi, non operum, sed fidei: das wird ein Predig sein. Est insignis antithesis contra justitiam poli-

ticam et legis Mosaicae, sicut in evangelio Joann.: „Non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri etc."

Populo nato.

Hoc praedicabitur populo nato. Est emphasis in vocabulo „nato": es heisst populus natus, non formatus et paratus per legem, sed sicut Christus dicit Joann. 3.: „Nisi quis renatus fuerit." Es gilt in unser Predigt renasci et regenerari, non congregari, formari aut instrui ceremoniis et pompis.

Quoniam fecit.

Est obscura clausula, potest dupliciter intelligi: primo quod fecerit dominus, qui nunc promittit, vel, das wird geschehen, wenn unser Herr Gott wird drein greifen. Sic enim Amos: „Haec dicit dominus, faciens omnia haec." Et Esaias: „Haec dicit dominus in tempora suo: Subito faciam haec." Altera sententia est, quod dominus hoc facit, quod sit opus divinum etc.

PSALMUS VIGESIMUS TERTIUS.

Dominus pastor meus est.

[a]) Est gratiarum actio et promissio de utrisque bonis, temporalibus et spiritualibus, de politia et sacerdotio. Est autem potissimum gratiarum actio privatorum hominum, die erkennen, was sie für Frucht haben ex politia et ministerio verbi.

Est autem allegoria valde pulchra. „Dominus pastor est," est vox plenissima fidei; wer das glaubete, ille esset securus de victu et pace hujus mundi. Ego sum grex ejus, dicit.

---

a) 18 Septemb.

Nihil mihi deerit.

Haec est consequentia fidei: Was soll mir fehlen, ich werde ja zu essen haben, quia ich hab ein Hirten. Ein Schäflein darf sich selbs weder nähren noch wehren. Impiis autem omnia deerunt.

In habitaculis herbosis cubare me facit.

Er möchts so gar sicher, als förchtet er sich nit, fingit se esse ovem, und lässt sich dünken, er hab ein köstlich Haus, et herbosam domum, ubi sine cura et sollicitudine, in sua securitate pascatur. Sunt meras allegoriae. Cubare significat sicut pecora solent.

Ad aquas quietis deducet me.

Vult dicere: Facit me adduci, et cubantem comedere, nec id solum, sed dat quoque aquam tam securam, dass ich mir nit darf förchten. Sic dat utrumque, Essen und Trinken, et ea in quiete et pace.

Animam meam restituet.

נפש quid sit, heri dixi, refrigerare, sicut dicimus: Ein guter Trunk hilft Leib und Seel zusammen. Item: Auf einen vollen Bauch gehört ein fröhliches Haupt. Item sumpto cibo dicimus: Es ist besser worden.

Atque haec est prima hujus psalmi pars, de politia, quod Deus est pastor. Er will uns nicht lassen, etiam in temporalibus et in pace.

Diriget me per semitas justitiae propter nomen suum.

Hoc est alterum beneficium, spirituale, de sacerdatio. Er hat angericht ministerium verbi, das führet mich auf die rechte Bahn in ein anders Leben. Deducit, scilicet per verbum suum, carissimum et pretiosissimum thesaurum, dass er uns recht ordinirt, wie wir leben, gehen und stehen sollen, dass alle Ständ fein geordnet sein. Hoc enim nomen, quo est hic usus, significat externam justitiam.

Necessario autem addidit: „propter nomen suum", in ministerio enim verbi maxime vim patitur gloria Dei, propterea quod ratio humana sibi adscribit, quae verbi beneficio habemus.

Etiam cum ambulavero per vallem tenebrosam, non timebo mala.

Auf das verbum folgen alsbald der Teufel und alle seine Engel, et faciunt tentationes. Nam quod dicit: „Cum ambulavero etc.," confitetur, was unser Herr Gott redet und machet, das muss gepanzerfegt werden, und durchs Feuer gehen. Si esset mihi vivendum in multis adversitatibus, dennoch will ichs verbum haben und dabei bleiben, sicut nostri jam Augustae sunt in valle. Impii autem ambulant in montibus lucis, auf den Wolken, et non timent malum, et habent malum. Nostri autem timent malum, et non habent malum.

Quoniam tu mecum es.

Licet appareat, quod me deserueris, tamen certo scio, quod es mecum. Quomodo? Non visibiliter, non palpabiliter, sed verbaliter, sicut sequitur:

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolabuntur.

Confitetur se sentire malum, quia dicit: „Non timebo," item: „consolabuntur", ergo tristatur, alioqui non sic diceret.

Virga est verbum, quia dirigit.

Baculus quoque est verbum, quia sustentat. Hoc enim verbum כֶּבֶם significat, da sich einer auf lehnet. Virgam hat man uber sich, baculum unter sich.

Haec de ministerio spirituali et administratione verbi. Jam amplificat figuris et rethoricatur.

Instrues in conspectu meo mensam adversus hostes meos.

Das ist ein schöner Schutzherr. Sie sitzen zu Tisch, und streiten also wider ihr Feind. Es sollt heissen: Instrues arma et murum, so sagt er: „mensam". Vult praedicare admirandam virtutem verbi. Nostra victoria simpliciter est comedere et bibere, id est, verbum retinere et ei credere, verbum enim proponitur, sicut proponebantur panes in mensa Mosi. Significat igitur, wie unser munitio zugehe, credendo scilicet. „In silentio et spe fortitudo vestra," et psal. 4.: „Silete."

Impinguas oleo caput meum.

Ich meinet, er sollt mir ein Helm aufgesetzt haben, so salbet er mir den Kopf mit Oele, als sollt ich zum Tanz gehen. Wie kann doch der heilig Geist so hoffärtig reden contra diabolum. Non dicit: unxisti, sed: impinguasti, id est, verbo imbuisti, consolatus es, instruxisti et armasti. Sic armamur unguento. Es soll den Teufel übel verdriessen, wenn er hört, dass man seinen Zorn nit anders aufnimpt, denn als sollt einer zum Tanz gehen.

Et calix meus superabundans.

Hic est dubium, an calix allegorice accipiatur pro verbo, an more scripturae pro portione: mein Theil, sicut supra psal. 11.: „Pars calicis eorum etc.," das wird ihn zu Theil. Sic hic „calix meus", mein Theil, mein Wesen, mein Sach hat nit Noth, sie ist voll, id est, ich bin versorget, ich hab ein Hirten. Sic ego accipio: Wie es mir geht, so gehts mit wohl.

Sunt similitudines ex lege, prima de mensa propositionis et paschatis, secunda ab unctionibus sacerdotum, regum et utensilium est sumta, tertia a calicibus ad sacrificanda libamina sua.

Bonitas et misericordia subsequentur me in omnibus diebus vitae meae.

Est gratiarum actio pro praeteritis et precatio pro futuris bonis. Lieber Gott, lass uns also bei dem verbo und der politia bleiben. Misericordia, Wohlthat, das bleibe bei mir. Oro, ut maneat illa misericordia apud me, omnibus diebus vitae meae. Confirma hoc, quod operatus es in nobis, noli cessare in praeteritis bonis, sed perga in futuris, lass nicht ab, so lang ich hie auf Erden bin.

Et habitem in domo domini.

Dass ich möge bleiben ewiglich. Est petitio pro utroque regno, politico et spirituali: sicut verbum dedisti, so behalt mirs auch. Habitare enim in domo domini, est esse, ubi verbum Dei auditur. Ubi non auditur, ibi non est domus domini.

In eundem Psalmum.

Dominus regit me.

Superba et secura plenaque gaudio et solatio fides hic loquitur, et gratias agit, dicens: Deus est pastor meus, et ego sum ovis ejus. Sed contrarium apparet iis, qui habent mammona, ventrem et alios deos pro pastore. Iis enim pius videtur inter lupos esse, desertus a Deo, et omnia ei deesse, planeque falsum esse quod dicit: Nihil mihi deest.

In habitaculis herbae cubare me facit.

Persistit in allegoria pastoris et ovis. Ovis enim regno sibi frui videtur, si in herboso campo secura pacis cubet, pascens se ubi et quomodo libet. Ita fidelis securus est de promissione corporis tam in oeconomia quam in politia, habet victum et pacem cum gaudio cordis.

Juxta aquas requiei educat me.

Iterum allegoria verborum luxuriat, de ovibus sumta, quae ad aquas secure vagantur, bibentes pro voto. Aquas enim quietis, refrigerii vel recreationis vocat, [illegible]. Haec de temporalibus, sequitur pastura spiritualis.

Animam meam convertit, deducit me in semitis justitiae propter nomen suum.

Animam pascit suis herbis et aquis, id est, verbo Dei, primum convertendo, id est, a peccatorum conscientia liberando, et remissione peccati sblando laetificandoque. Secundo justitia fidei et gratiae per idem verbum, audiendo et servando, itaque non meis meritis aut operibus, sed propter nomen suum, ut ipsius gratia eum glorificet et nomen ejus in me celebret. Hactenus de pastura, sequitur tutela contra adversarios.

Si ambulem in valle umbrae mortis, non timeo malum, quoniam tu mecum es.

Vides ergo pium in specie foris omnibus carere, et in medio malorum versari, nempe in valle tenebrarum, ubi nulla lux, nullum solatium, nulla spes; sed descensus ad inferos patet: et tamen intus re ipsa nihil ei deesse fidit et gloriatur, nec ullum malum timet. Non quia ipse suis hoc praestet viribus et consiliis: imo tu, inquit, mecum es, verbo vitae, scilicet, sustentans me in media morte et omnium malorum valle, ut sequitur:

Virga et baculus tuus solantur me.

Fatetur hic infirmitatem suam. Quid enim opus baculo aut virga valido et firmo? Verbum itaque Christi est virtus nostra, quo non solum sustentamur, sed et solamur quoque. Alii non egent hoc baculo, sed suis tibiis satis firmi, suis brachiis satis validi.

Baculum et virgam pro eodem accipio, pro verbo

scilicet, nisi sic distinguere libeat, quod virga sustentat fessas manus et brachia lassa, baculus vero labentia crura et genua, ut significet utrumque roborari verbo, tam incessum quam operationem, incessum in genibus, operationem in brachiis, id est, fidem et opera suscitari verbo et vegetari.

Paras coram me mensam erga tribulatores meos.

Mira vero munitio, mensam instrui contra hostes; cur non potius murum et arma? Auxesis est tutelae, quasi dicat: Non solum ipse consolor intus verbo et erigor in medio malorum, sed etiam foris omnes hostes supero per verbum solum, idque adeo secure, ut dum illi furunt et saeviunt, ego nihil faciam aliud, quam quod securus epuler et vescar et vescar interno verbo copiose, ac si mensa instructissima foverer.

Ecce hic habes:

Verbum Dei esse victoriam contra { diabolum, mundum, carnem, peccatum, conscientiam, mortem, }

quia a facie verbi omnes fugiunt, nec possunt ipsum sustinere.

Mira et superba fidelium virtus et jactantia, quod vincunt hostes edendo, bibendo, epulando, sedendo, laetando, quiescendo in verbo: non tumultuando, fremendo, resistendo, referiendo, vindicando, studiis et operibus propriisque consiliis.

Impinguas balsamo caput meum. Calix meus irrigans est.

Metaphora est ab ungendis regibus et sacerdotibus. Me, inquit, non solum ungis, sed impinguas etiam,

id est, copiose ungis, reddens me regem, plusquam victoriosissimum et laetissimum contra hostes meos, ungi enim balsamo in regem, opus est summae gloriae et laetitiae, imo et victoriae.

Ita calix meus, portio mea crucis, non est crux, nec me exhaurit et exsiccat, imo me inebriat et perfundit solatio et gaudio, sicut rivus irrigat et inebriat sitientia et arentia prata. Summa verbum tuum est paradisus solatii in omni tribulatione.

Bona et beneficia persequantur me omnibus diebus vitae meae.

Oratione claudit psalmum petens perseverantiam eorum bonorum verbi. „Persequantur, inquit, me,“ id est, pertinaciter apud nos perseverent.

Et habitem in domo domini in longitudine dierum.

Ut verbum Dei (nam ibi est domus Dei, ubi verbum fuerit) semper audiam, ne quando auferatur mihi aut eripiatur per falsos magistros, qui assidue insidiantur: ideo orandum, ideo vigilandum, ideo studendum est, ut verbum maneat.

PSALMUS VIGESIMUS QUARTUS.

a) Argumentum. Est prophetia de gentibus vocandis absque lege, et occulte. Juxta istam vocationem abrogat veterem legem.

Domini est terra.

Ut intelligatur eum loqui de terra universali, addit in sequenti particula:

Orbis terrarum etc.

Dass es muss das ganze Erdreich heissen. Rapit hic auditorem in medias res, et spectat quasi jam invulgatum evangelium, et dat Deo totum regnum in toto orbe.

a) 22. Septemb.

Et plenitudo ejus.

„Plenitudo", alles, was drinnen ist, reges, principes, populos, civitates, agros, pecora, volucres etc.

Orbis terrarum et habitantes in ea.

Sic vocant orbem habitabilem seu οἰκουμένην. Ergo est Deus non solum Judaeorum, sed etiam gentium, sicut ad Romanos Paulus disputat.

Quoniam ipse super maria fundavit eam.

Dass es sein sei, Himmel und Erden, und was drinnen ist, ist gut zu rechnen, es ist keins andern Königs, ipse fundat. Das hat allein die Schrift gelehrt, und sonst Niemand. Philosophi adhuc hodie disputant, in quo subsistat terra. Scriptura dicit, fundatam esse super aquas, et loquitur secundum visionem oculorum. Terra enim quasi in aquis est, sicut in genesi dicit: „Appareat arida," id quod videmus ad oculum.

Et ad flumina stabilivit eam.

Hoc fit ideo, dass man des Wassers nit gerathen kann, darumb sehen wir, dass Städt und Dörfer nit weit vom Wasser liegen. Dicit igitur, quod non homines, sed ipse Deus fundaverit terram ad flumina, dass die Städt so dividirt sein, und an die Wasser gebaut, ist unsers Herr Gotts Ordnung. Est igitur hic textus contra Judaeos, qui putant se solos populum Dei, gentes autem esse populum diaboli: hoc non est verum, dicit hic.

Quis adscendet in montem domini?

Das ist aus der Massen ein starker Text wider die Jüden. Scitis Paulum disputare contra circumcisionem, et externam illam personam, quod Judaei sint semen Abrahae, habent credita oracula, habent promissiones, testamentum etc. Has personas hic quoque propheta in universum detrahit. Gott gebe, es sei

ein Heide oder ein Jüde, Deus nihil curat. Utitur autem interrogatione ad significandam epitasin: Lieber, wer wird auf des Herrn Berg gehen? Da antwort der Jud bald: Ich. Der Papst und die Seinen auch: Ich. Er spricht aber: Es wird nicht so zugehen. Montem domini appellat propter amphibologiam, non solum eum, qui est in Hierusalem, sed ubicunque in orbe verbum Dei docetur.

Quis exsurget in loco sanctitatis ejus?

Id est, wer gehört zu Gottes Volk?

Innocens manibus.

Mit dem stösst er die Jüden für den Kopf, omnes enim hypocritae sunt viri sanguinum. Ihr wollt Jüden und populus Dei sein, aber ihr schlaget die Propheten zu todt, das reimet sich übel zusammen. Sic dico de papa: Vos vultis esse ecclesia, sed occiditis pios, christianos, das heisst nicht Christen sein. „Manus vestrae sanguine plenae sunt,“ Esaiae 1. Sic omnis hypocrita necessario est homicida, quia scriptura haec duo conjungit: „Viri sanguinum et dolosi,“ psalm. 50. Alsbald mendacium ins Herz kömpt, tunc sequuntur caedes, quia tum zelant pro mendacio.

Et mundus corde.

Wo kriegt man das her? Petrus dicit: „Fide purificantur corda.“ Ein Herz, das Gott vertrauet, ist nicht verunreiniget mit einem andern Trauen. Hoc quoque non possunt facere hypocritae.

Data opera autem primo loco opus nominat, deinde cor, dass er sie angreift, da sie am Kläresten anzugreifen sind, in ipso opere homicidii. Porro ubicunque non est fides, necessario est impietas cordis.

Qui non levavit in vano animam suam.

Est obscurus hebraismus, quem haud scio an recte intelligam. Idem verbum est in sequenti psalmo

נָשָׂא: „Ad te domine animam meam levo." Ego accipio animam levare pro stolz sein, extollere animam et inflare.

Sequuntur haec se recto ordine, hypocrisis mendacio et homicidio involuta: post gloriatur, sicut psalmo 10.: „Impius secundum altitudinem irae suae non quaeret: laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis," sicut nunc Augustae sophistae faciunt.

Secundo levare animam, potest accipi pro spectare, cupere, studere rebus vanissimis et inanibus. Sic est in Hieremia: „Terram, ad quam levant animas suas, non invenient," id est, dazu sie Lust haben. Esset igitur haec sententia: Ipsi student rebus vanissimis, et sunt iis intenti, dies et noctes urgent sua studia. Ego tamen primam sententiam sequor.

Nec jurat in fraude.

Id est, qui non invocat nomen domini mendaciter. Jurare est vox falsorum prophetarum, quia iste est mos eorum, sub nomine domini docere et vendere sua mendacia: das heist denn vana jurare. Ergo occidere, idololatram esse, superbire, male docere, die muss man weg thun, wenn es im Weg ist, so bleibt verum nomen Dei, vera invocatio, humilitas et caritas. Habet autem haec neque Judaeus, neque papa, sed pius. Ergo so liegts darnieder allhie judaismus et papatus, nur dass man hab puram fidem et humilitatem veram, das Ander gilt alles nichts.

Hic accipiat benedictionem a domino.

„Hic" est epitasis, id est, quicunque fecerit, den wird Gott segnen sine respectu, sive sit Judaeus sive non. Aufert igitur benedictionem simpliciter ab omnibus personatis.

Est magna promissio, quod qui vitam et manus innocentes habet, certus sit se habere Deum, item,

dass er soll genug haben hie und dort. Das gehört aber dabei: qui benedicitur a domino, feret maledictionem a mundo et hominibus. Steht gleichwohl hie „a domino", die benedictio ist wohl so stark, als jene maledictio."

Et justitiam a Deo salutis suae.

Er soll den heiligen Geist et gratiam Dei darzu haben. צְדָקָה hic est: „Volo misericordiam, et non sacrificium." Ea est justitia, quae non est juris nec officii publici, sed quam nos invicem alter alteri privatim debemus. Est enim beneficium collatum in proximum, quod ei debemus.

Dicit igitur: „Justitiam", id est, accipiet beneficia et misericordiam a Deo salutis. Hic confitetur quoque, quod homines malefaciant et maledicant ei. Sunt valde fortes promissiones, sed tempore tentationis wöllen sie sich nicht sehen lassen.

Haec est generatio quaerentium eum.

„Generatio" significat hic populum durantem per aetatem. Dicit igitur: So muss man nach Gott fragen, ut habeamus verum verbum, et fidem, et innocentes manus. Esse semen Abrahae, esse circumcisum, esse papam, episcopum, nihil est.

Quaerentium faciem tuam Jacob.

„Jacob" accipio pro Christo, ut inclinaret totum populum in ipsum Christum, quem appellat Jacob, quia est semen Jacob. Est tamen ambiguum. Itaque sic potes exponere: Das sind Leut, qui quaerunt faciem tuam, id est, ipsam apparitionem Dei, sicut in Mose: „Facies tuae praecedant nos," quia necesse est, ut Deus se nobis in aliquo visibili signo ostendat, sicut fecit in columna et alibi: das heissen facies Dei, id est, res apparentes, quibus Deus significat, quod adsit et faveat nobis.

Jacob tu habes facies divinas. Eas quis quaerit? Nemo nisi illi, qui habent innocentes manus etc. Sic in evangelio sunt tres facies: baptismus, in quo significat se Deus praesentem esse, item verbum visibile, et sacramentum altaris.

Attollite portae capita vestra.

Post prophetiam de invulgando imperio Christi sequitur exhortatio: Ihr lieben Herrn, weil es an dem ist, dass der König herein kompt, so thut auf Fenster, Thür und Thor, und lasst ihn herein.

„Portae", inquit, id est, ubicunque sunt portae in omnibus civitatibus omnium regnorum. Sunt autem portae administrationes publicae. Ubicunque igitur sunt portae, inquit, levate capita, thuts weit auf, macht Raum. Vult autem significare magnitudinem regni hujus, quod nulla porta sit tam ampla, quae eum possit capere. Et monet, ut parent introitum, et sciant venire maximum regem, qui major sit omnibus regnis mundi, dass ihre portae viel zu klein sind.

Elevamini portae mundi.

Id est, ubicunque sunt portae in toto orbe.

Et introibit rex gloriae.

Aweja, die gloria ist verborgen. Quare portae potius clauduntur, et nemo vult eum intromittere: Magistratus, der sperret sich auch darwider, aber es hilft sie nichts. Est potens rex crucis, et tamen in cruce est abscondita gloria.

Quis est iste rex gloriae?

So wirds ihm gehen. Wer? sprechen sie, der Ketzer, der Aufrührer? So heissen sie den König. „Quis est iste rex gloriae?" Est contemtissime dictum, et significat securissimum contemtum hujus regis, sicut nunc Augustae contemnitur. Es ist ihn ein lächerlich Ding, quod vocatur rex gloriae. Ideo addit:

Dominus fortis et potens, potens in proelio.

Es ist ein mächtiger und gewaltiger Herr, habet magnum et robustum imperium. Non dicit de bello corporali, sed loquitur in figura: potestas pacis est fulcita legibus, potestas autem belli armis. Apud hunc regem utraque sunt, et luctatur cum spiritibus in coelestibus.

Attollite portae.

Semel repudiatus non ideo desinit, sed repetit versum hunc nur zum Trotz. Je weiter sie sich sperren, je mehr hält er an, quia vult dominari in medio inimicorum.

Dominus virtutis, ipse est rex gloriae.

Christus est dominus zebaoth, est enim in quotidiano belli usu. Opus est autem ista sic dici, quia non videntur.

PSALMUS VIGESIMUS QUINTUS.

Der Psalm ist gar privatus et de privatis causis. Nihil enim additur de publico ministerio verbi vel de administratione politica. Est enim simpliciter oratio privatae conscientiae, qua orat, dass ihm Gott wöll gnädig sein, Sünd vergeben, und ihn fromm machen, leiten und führen. Est igitur confessio peccati, et queritur de adversariis suis, und bittet umb Weisheit und Gerechtigkeit.

Ad te domine levavi animam meam.

Levare animam, das ist vera vis orationis. Oratio enim non est battologia et multiloquium. Et non recte dixerunt, qui dixerunt orationem esse adscensionem mentis ad Deum, sed sicut psalmus dicit, est levatio animae. Anima autem est ipsum desiderium et suspirium cordis, quod laborat in desiderio. Dicit:

„Animam meam, etc.," id est: Mein Seel seufzet nach dir, und begehret etwas.

Emphaticum est „ad te", quasi dicat: Ich kann sonst nirgend hin. Videtur fuisse oppressus peccatis et sensu irae Dei, et tamen vertit orationem contra iratum Deum. Wenn einer nun das „ad te" singen kann, cum sentit iram, und kann etwas begehren contra Deum, id est, contra quam sentitur Deus, das ist eine Kunst.

Vel peccata vel terrores, die plagen uns, es sei nun, welches wölle, non sentitur Deus alius quam iratus. Hinc fit, quod alii huc alii illuc confugiant. Hic Mariam, ille Petrum invocat, aber es hilft alles nichts; das ist der beste Rath, ut illas nubes irae Dei perrumpas, et cogites Deum esse in abscondito, et tamen favere tibi, sicut hic dicit: Gott, ich verlasse mich auf dich, Deus meus, in te confido,

Non confundar, ne exsultent inimici.

Da sehen wir, was seine causa ist, quod premitur terroribus et conscientia. Sunt autem ambae facies irati Dei, sicut nunc Augustae premunt nos privatim nostra peccata, et adversarii. Oramus autem pro ambobus, et ut nobis ignoscat, et illos confundat et perdat.

„Ne exsultent," all ihr Ding ist triumphare et nos confundere, dass wir mit Schanden müssen unterliegen. Fatetur quidem adesse, et se sentire confusionem, sed optat, ne perseveret confusio, et ne derelinquatur in confusione: Lieber Herr, lass mich nicht darinnen stecken, sentit quoque exsultantes adversarios.

Etenim omnes, qui te exspectant, non confundentur.

Consolatur se promissione insigni, quae fluit ex

primo praecepto: „Sum Deus faciens misericordiam in millibus." Emphaticum est, „qui te exspectant," der dein harret, ja, das thuts auch. Spes autem, quae differtur, affligit animam. Nostri, qui Augustae sunt, libenter vellent non confundi, sed est exspectandum. Promissio enim fidelis et certa est." Gott verläst nicht, Wen?, der sein harret. Er schlägt nit flugs mit der Keulen drein, dat enim spatium poenitentiae, est natura clemens, patiens, et tolerans malos. Hoc opus est scire et nosse, darumb müssen wir auch harren. Tandem malos impunitos non dimittet, et exspectantes non relinquet.

„Omnes", universi. Es ist noch nie Keiner auf Erden gewest, dem es gefehlet hätte, darumb wird es uns auch nicht fehlen.

„Non confundentur": patiuntur quidem, sed non confundentur. Jam addit quoque comminationem, sicut in primo praecepto conjungit comminationem cum promissione.

Confundentur omnes, qui contemnunt te frustra.

בָּגַד significat contemnere, et non solum id, sed secure contemnere, dass sie an den contemtum nicht gedenken, sicut D. Eccius me contemnit, et alios, quos non dignatur nominare, die so sicher dahin gehen, und sind so certi, dass sie nichts darnach fragen. Dieselbigen qui sunt securissimi de triumpho, die sichs nicht versehen, qui nihil minus timent quam se falli, confundentur. Quare? Quia primum praeceptum sic dicit, et tamen hoc ipsi non credunt, sed rident haec.

„Frustra", sine causa. Imo habent magnas causas, sed dicit: sine causa, ad conciliandam eis invidiam.

Quare enim sic inflantur Eccius et alii? Quia habent causas, quas Usingius scribit: Habemus caesarem totum nostrum, vincimus potentia, multitudine etc. Hae sunt praegnantissimae causae contemtus, et tamen dicit: sine causa, quia deest una causa, Deus et verbum, et opus Dei. Wenn das nit da ist, so lass die Sach so gross sein, als sie will, so ists dennoch nichts. Quid enim caesar? quid mundus adversus Deum? Haec dicit contra eos, qui terrent eum.

Jam vertit se ad Deum, befielcht sich in seinen Schutz, ut deducat eum in via recta. Est autem hac oratione opus et privatim et publice, quod adversarii nostri, die wöllen drauen und trotzen, volunt nos simpliciter cogere ad impietatem. Orat igitur et dicit:

Vias tuas domine notas fac mihi, et semitas tuas doce me.

Videt in eorum vias, et dicit: Behüt lieber Herr, es sind ja schändliche Wege. Ostende mihi „vias tuas". Hoc pronomen semper est antitheticum et exclusivum. Ja lieber Herr Gott, lass mich in kein andern Weg gerathen. Sumus enim infirmi, et portamus hunc thesaurum in vasis fictilibus, et luctamur cum potestatibus aëris. Der Teufel kann ein Menschen, wenn er allein ist, bald uberpochen. Rogat igitur: Zeig mir deine Weg.

Dirige me in veritate tua.

Non solum cupio semitas tuas, id est, verbum, sed etiam habito verbo peto, ut tu ipse sis magister, ut in ipsa doctrina inspires, des cognitionem et intellectum, dass ich rein dabei bleib.

„In veritate", non in fuco. Behüte mich, dass ichs nicht fasse, sicut hypocritae. Papistae decretum papae habent de coelibatu sacerdotum, deinde ha-

bent quoque scripturam, qua probant, sed non in veritate, male enim citant.

Et doce me.

Inwendig in corde.

Quia tu es salvator meus, te exspecto quotidie. Reminiscere miserationum tuarum et misericordiarum tuarum, quae a saeculo perpetuae sunt.

Ich weiss sonst kein Helfer nit, nisi tu me serves in verbo. Igitur rufe ich dich an, und harre, ob du gleich verzeuhest, und lässt mich im Leimen stecken. Haec est una petitio, dass es ihn fromm mache. Jam secunda petitio sequitur de conscientia.

Peccata juventutis meae et transgressiones meas ne memineris.

Man soll der vorgethanen Sünde nicht vergessen, sicut ecclesiasticus dicit: „De propitiato peccato noli esse sine metu," et psal. quinquagesimo primo: „Peccatum meum contra me est semper," et Moses: „Mementote, quod dominum irritastis a die, qua eduxi vos," deinde recitat, ubi eum irritaverint. Sic, was einer Böses gethan hat, soll er nit vergessen. Ratio est, quia quando obliviscimur peccatorum, vilescit gratia, sicut Petrus quoque inquit 2. Pet. 1.: „Oblivio peccatorum purgatorum," et quando peccatorum obliviscimur, non agimus gratias Deo: quando non agimus gratias, sumus securi, et instructi etiam ad majora flagitia. Meminerimus igitur factorum peccatorum, et dicamus: So und so hab ich gelebt, das und das hab ich gethan. Darnach preise Gott, dass er dirs alles vergeben hat. Sic fit gratia pretiosa, und bleibt einer fein in der Andacht.

„Peccata juventutis etc." Gedenke nicht meiner Sünde, sondern gedenke an deine misericordia und Wohlthat, die du nit mir allein, sondern Jedermann sonst bewiesen hast.

Miseratio est, quod condonavit peccata, misericordia, quod multa alia bona dedit, da ist kein meritum. Gedenk Herr, dass du mir so viel geben, und meine Sünde vergeben hast. Quando aliquis recordatur suorum peccatorum, tunc Deus recordatur suae misericordiae.

Delicta juventutis meae et praevaricationes meas ne memineris.

Est petitio pro peccatis. Exponit praecedentem versum, was er mit meine, mit der miseratio. Ich bitt dich, du wöllest darauf bleiben, auf der misericordia.

Significanter dicit: „Delicta juventutis". Juventus enim simpliciter non est idonea ad virtutem, das Blut ist noch zu jung und zu frisch, nec potest se regere, denkt auch nicht, was ihm noth sei und gut. Confitetur se peccasse in juventute. Einer huret, der Ander sauft etc. Denn das Blut ist noch zu wild und frisch, darumb wenn man ein Jungen lässt aufwachsen in seinem Sode, so wird ein lauter Teufel aus ihm. Ehe einer erfähret, was er thut, so ists schon geschehen.

Ideo autem pro peccatis juventutis orat, dass er weiss, unser Herr Gott könne alte Schuld rechen, darfür soll man ihn bitten: wenn man priorum peccatorum und seiner gratiae vergessen will, so kann er das Register herfür ziehen, und sagen: Scis, quid feceris. Es soll vergeben sein, doch sofern, dass dus nicht vergessest, quia, si oblivisceris peccatorum, oblivisceris quoque gratiae. Idem monet Christus: „Hoc facite in meam commemorationem. Wenn man unsers Herr Gottes gedenket, muss man an unser Sünde auch denken. Sic in oratione dominica quoque oramus pro peccatis.

Secundum misericordiam tuam memento mei, domine, propter bonitatem tuam.

Non secundum iram, gedenk, dass du ein gütiger Gott bist, es valde bonus: er weiss Nichts zu allegiren, quam quod Deus est freundlich und gütig, beneficus et χρηστός. Also soll man beten, ut provocemus Deum, nicht auf unser Werk, sed ad gratiam. Ne respicias o Deus, quae ego habeam opera, sed siehe das an, dass du fromm und freundlich bist, nicht, dass ich böse bin. Wenn man unserm Herr Gott Nichts aufrücken kann, denn misericordiam, das hört er gerne. Jam prophetat et promittit.

Bonus et rectus dominus.

Est promissio exauditae orationis. „Bonus dominus", id est, χρηστός, gütig und richtig. Nomen „rectus" videtur scriptura ponere contra hypocrisin, sicut nomen veritas. Ideo dicit: „Dominus est bonus," sed tamen non est acceptor personarum, nullius enim justitiam, nullius sapientiam et potentiam respicit. Es ist ein aufrichtiger, redlicher Mann und doch gütig, est bonus, er thut viel Guts, aber nicht denen, die es ihm abverdienen wöllen.

Propterea docet peccatores in via.

Haec est necessaria additio, quae est apud omnes impios damnata sententia, quod Deus peccatores docet aut salvos facit. Ideo offensus est hic translator, et fecit: legem imponit, pro „docet". Est autem haec causa, quod universum genus humanum non potest discernere peccatores. Odit quidem Deus peccatores, sed eos, qui non volunt esse peccatores. Omnes enim sumus peccatores, sed non omnes volumus esse. Qui enim se agnoscunt peccatores esse, illorum est Deus. Contra illorum hostis est, qui non volunt peccatores esse. Sic Christus dicit Matth. 21.: „Amen dico vo-

bis: Meretrices et publicani praecedent vos etc." Item Joann. 9.: „Si caeci essetis, peccatum non haberetis etc."

Dominus est rectus, er heuchelt nicht, est justus. Vos autem dicitis, quod non est justus, propterea quod peccatores accipit. Sic in Malachia cap. 2. disputant: „Laborare fecistis dominum in sermonibus vestris, et dixistis: In quo, etc."

„Peccatores," id est, agnoscentes peccatum. Dicit autem in specie pro se et pro aliis. Er wird lehren, die sich lehren wöllen lassen.

Dirigit humiles in judicio.

Altera petitio, quod, sicut exaudita est oratio de docendo, sic etiam exaudiatur oratio de juvando.

„Humiles", interpres fecit: mites, offensus scilicet hac quoque voce.

„In judicio", non in furore, sicut in Hierem.: „Domine, castiga me non in furore, sed in judicio, ne ad nihilum redigas me." Et Esaias vocat „Deum judicii." Er straft also, dass er ein Maass hält, er machts bescheiden. Et sicut Paulus dicit 1. Corinth. 10.: „Facit cum tentatione eventum," Et usus est dirigendi verbo, quasi dicat: Affligit sic ut dirigat, dass sie hinaus kommen können, et habeant directam viam evadendi: non facit sicut homines aut diabolus, ille funditus eradicat.

Docet humiles viam suam.

Verbum docendi, quo semper usus est, est magistri. Hec autem est discentium, quasi dicat: discipulat, facit, dass sie es erfahren, und also lernen, exercet eos. Crux enim erudit et discere facit, et crux est flagellum judicii, seu discretum flagellum. Sic Augustae jam affligit nos, sed faciet tamen, ne sit furor. Sic per crucem docet. Da werden Leute darnach aus, die davon können reden.

dass er soll genug haben hie und dort. Das gehört aber dabei: qui benedicitur a domino, feret maledictionem a mundo et hominibus. Steht gleichwohl hie „a domino", die benedictio ist wohl so stark, als jene maledictio."

Et justitiam a Deo salutis suae.

Er soll den heiligen Geist et gratiam Dei dazu haben. צְדָקָה hic est: „Volo misericordiam, et non sacrificium." Ea est justitia, quae non est juris nec officii publici, sed quam nos invicem alter alteri privatim debemus. Est enim beneficium collatum in proximum, quod ei debemus.

Dicit igitur: „Justitiam", id est, accipiet beneficia et misericordiam a Deo salutis. Hic confitetur quoque, quod homines malefaciant et maledicant ei. Sunt valde fortes promissiones, sed tempore tentationis wöllen sie sich nicht sehen lassen.

Haec est generatio quaerentium eum.

„Generatio" significat hic populum durantem per aetatem. Dicit igitur: So müss man nach Gott fragen, ut habeamus verum verbum, et fidem, et innocentes manus. Esse semen Abrahae, esse circumcisum, esse papam, episcopum, nihil est.

Quaerentium faciem tuam Jacob.

„Jacob" accipio pro Christo, ut inclinaret totum populum in ipsum Christum, quem appellat Jacob, quia est semen Jacob. Est tamen ambiguum. Itaque sic potes exponere: Das sind Leut, qui quaerant faciem tuam, id est, ipsam apparitionem Dei, sicut in Mose: „Facies tuae praecedant nos," quia necesse est, ut Deus se nobis in aliquo visibili signo ostendat, sicut fecit in columna et alibi: das heissen facies Dei, id est, res apparentes, quibus Deus significat, quod adsit et faveat nobis.

rogavit: auxilium contra adversarios, item lehrt und unterricht, et tandem remissionem peccatorum. Jam dicit de aliis peccatis.

Propter nomen tuum domine, propitius esto peccato meo.

Hic dicit non de peccatis juventutis, er will noch ein Sünder bleiben, et dicit se habere plura peccata quam juventutis, quia delicta quis intelligit? Wir stecken stets in Sünden. Sophistae hoc non possunt intelligere, quod christianus simul sit justus et peccata habeat. Propheta autem dicit: In juventute fui peccator; et docuisti me. Nu bin ich ein alter Narr, und bin gelehrt worden, et tamen non facio sicut debeo. Sic Paulus dicit, quod peccatum residet in carne. Quando hoc Paulus dicit, so werden wirs freilich auch sagen müssen. Quantum enim carnis, tantum habemus peccati, ad Roma. 7., sicut de se dicit Paulus, dass er halb ein Heilig, halb ein Sünder sei. Ro. 7.

Hoc igitur peccatum est peccatum originis, de quo queritur. Haec enim vox, quae hic est, semper fere significat peccatum radicale et capitale, significat simul hominem malum et malum peccatum, sicut dicimus: Das ist ein Untugend von einem Menschen. Superiora enim peccata sunt operum, hic autem dicit de delicto, von der Hauptsünde, der wir nicht entbehren können, weil wir leben, non enim recedit a nobis, nisi per mortem. Et Hebr. 12. dicitur „peccatum circumstans", id est, adhaerens, es klebt an als Dreck am Rade.

Contra hoc peccatum non est aliud remedium quam quod vivimus sub gratia. Quanquam enim peccatum sit ibi, tamen non sumus sub peccato, et peccatum non dominatur nobis. Hoc igitur discamus, quod nostra vita est militia contra innatum peccatum,

quidquid enim scientiae et justitiae habemus, ist alles zu wenig.

„Propter nomen tuum". Dem peccato hat man ein propitiatorium geschafft, dass unser Herr Gott schlechts die Augen muss zuthun, et dicere, sicut est in psalmo 31.: „Beatus vir, qui dominus non imputat peccatum," et apud Hierem. 8.: „Peccatorum ejus non recordabor amplius." Das imputare nun behält ihm unser Herr Gott zuvor, ut discamus, dass er uns schenkt remissionem peccatorum, et non imputat peccata, ut, quando non volumus agnoscere, quod habemus peccatum, ipse imputet. Haec est theologia nostra, sicut oramus: „Dimitte nobis debita nostra," ut sciamus, quod vivamus tantum in gratia. Gratia autem non solum tollit peccatum, sed et tolerat: das heisst propitiatorium.

„Propitius esto." Verbum סָלַח significat non levare vel non imputare: sed pertinet proprie ad peccatum originis, quod propitiatur, ac si princeps habeat in aula sua hominem, qui caedem fecerit, und hielt ihn darumb gefangen. Darnach saget er: Wohlan, ich will dir den Todtschlag so lang nicht zurechen, bis du es bekennen willt, dass du es gethan hast, und dass ich dirs nit zurechne allein aus Gnaden, und nicht vel ex merito vel debito, als müsst ich dich frei lassen. Das ist nu unser propitiatorium, Christus, sicut Paulus dicit.

Multum est enim.

Multum vel magnum in speciebus et generibus. Das fühlen wir wohl, und sonderlich ein starker Mensch, ille facile ira, avaritia, libidine vincitur. Die monstra alle, caedes, libidines, stupra, fühlen wir in uns. Papistae vocant infirmitatem, sed hic dicit, quod sit peccatum, et magnum peccatum, sicut Pau-

nae quoque assaliat pugnantem et captivantem legem. Caro enim fugit, et concupiscit, spiritus autem resistit et dicit: Sih dich mal an, da gehört dein propitiatorium an, sicut dicit: „Propitiaberis peccato meo.“

Jam sequunt promissiones pro pugnantibus et luctantibus cum peccatis. Da muss unser Herr Gott Buben uber uns schicken, und wir mussen beten, und so thun, bis wir unter die Erden kommen.

Propter nomen.

a) Est brevis oratio, sed valde magna, qua petit recipi in regnum gratiae, quia peccata sunt magna et multa. Totus enim homo dimidius peccatum est. Jam insurgit maximo affectu et vehementissimo, Ach dass einer den die Leute könnt lehren, ut agnoscerent peccatum suum, hoc enim est timere dominum. Aber darumb müssen wir uns beissen. Non enim volunt esse peccatores, et contemnunt Deum. Nos quidem vellemus omnes homines hoc scire, quod essent peccatores. Et sicut propheta dicit:

Quis est, qui timet dominum?

Quasi dicat: Utinam haec scirent homines et agnoscerent peccata sua, wie wenig sind ihr. Sed illi qui timent, illi primo hoc habent: Docet eum viam quam elegerit, hoc est primum privilegium et donum agnoscentium peccata, et eorum qui dant gloriam Deo, et quaerunt gratiam, quod docet eos viam, quam elegit, scilicet Deus, et quae maxime placet Deo. Est autem haec magna benedictio, quod aliquis potest securus esse, quod via et vita sua sit electa coram Deo, quod placet quicquid facit, etc.

Impiorum securitas monstrosa est. Faciunt aliquid, sed si interrogas: Credis hoc placere Deo? respon-

---

a) 25. Septemb.

dent. Nescio. Aber wer sich ein Sünder fühlet, und dass er in seinem Wesen Nichts sey, der soll die Gedanken haben, quod Deus velit eum docere viam suam, id est, quam velit placere Deo. Summum autem beneficium, quod Deus dat, hoc est, quod conscientia est certa.

Anima ejus in bonis morabitur.

Multa dona illam doctrinam sequuntur, sicut Salomon dicit de sapientia: „Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.“ Sic qui habet delicias et opes spirituales, der wird freilich sonst auch ganz haben: das bringt das Wort mit sich.

Et semen ejus possidebit terram.

Impiis praedictum est, quod peribunt: piis autem promissum, quod manebunt in aeternum. „Impii non radicabuntur,“ dicit textus. Potest autem intelligi vel de spirituali vel corporali semine. Deus enim utraque benedicit. Sic Augustino datum est semen spirituale pro corporali, sicut est in psalmo primo: „Folium ejus non defluet.“ Ihr Wort muss nicht fallen, sie müssen discipulos haben.

Arcana domini timentes eum cognoscent.

Id est, sein heimlich Gespräch. Verbum enim Dei est in duplici usu. Primo in manifesta apparentia, sic omnes impii habent verbum Dei: sed sunt tantum die Schalen, den Kern haben sie nicht, hoc est, locum gratiae, fructum passionis Christi etc. Wiewohl sie historiam an alle Wände gemalet haben, fructum tamen passionis nemo novit, es bleibt immer mysterium. Ratio est, quod nolunt esse peccatores, Christus autem pro peccatoribus est passus. Hinc fit, quod multa de passione Christi dicunt, et non intelligunt. Cum dicimus: Christus pro te est passus, ergo tu es peccator: da wöllen sie nicht hinan.

Secundo, pii non habent verbum in manifesta apparentia tantum, sed intelligunt quoque, revelatur enim eis mysterium, sicut dicit Christus Joann. 14: „Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus." Aperit enim eis scripturam, dass sie müssen wissen alle Heimlichkeit in der Schrift.

Et pactum ejus.

Pactum, quod promisit se esse Deum. Hoc Eccius et sophistae non intelligunt, quia scriptum est: „Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus." Wenns zum Treffen kompt, tunc dicunt: „Non est Deus." Igitur hoc pactum impiis est absconditum, et apertum solis piis. Hic facit exclamationem de cognitione peccati. Ach, dass doch die Leut ihr Sünd nit erkennen wöllen, und wöllen nicht Sünder sein.

Oculi mei semper ad dominum, qui eripiet de laqueo pedes meos.

Hactenus disputavit contra hypocritas et justitiam operum; sidunt nos quoque. Wir müssen uns auch darumb mit ihn schlahen. Nos vellemus, ut cognoscerent sua peccata: ipsi vellent, ut ipsorum mendacia acciperemus. Praeter hanc pugnam habemus alios hostes. Orat igitur jam usque ad finem contra tribulationes. Quia eum timorem docemus, et ducimus homines in cognitionem peccati, müssen wir darüber leiden. Es heisst: patientia! Jtem: „Mihi vindictam et ego retribuam." Wir wöllen nit mehr dazu thun, quam invocare et dicere: „Scio, quod eripies pedes meos dei laqueo." Insidiantur sanguini nostro, was wöllen wir machen? Unser Herr Gott wird uns einmal herausziehen.

Respice in me et miserere mei.

Miserere, id est, fac mihi bene, sei mir gnädig.

Quia unicus et afflictus sum.

Ego unicus, id est, solitarius, desolatus sum.

Tribulationes cordis mei multae sunt, ex angustiis meis eripe me.

Es thut mir in meinem Herzen weh. Hoc faciunt terrores. Ich meine, Philippicha wisse auch wohl, was das heisse, denn das ist das Aergeste, quod in omni tentatione kompt afflictio et terror cordis darzu. Haec est inevitabilis consequentia. Cor semper cogitat: Du hast dich irgend vergriffen gegen unsern Herr Gott. Sic luctantur semper conscientia et fides contra terrores et iram Dei.

Respice afflictionem meam et laborem meum.

Siehe lieber Herr, wie ich geplaget bin, wie ich mich arbeit und suhle.

Et remitte peccatum meum.

Hoc verbum נשא significat levare peccatum, quod in psal. 32. „Beatus vir, cujus transgressio remittitur.“ Non loquitur de propitiatione peccati, sed: Ob ich mich etwan vergriffen hätte, lass mich doch ein gut Conscienz überkommen; darnach hilf mir auch von meinen Feinden.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio inique oderunt me.

Sum solus, und sie haben kein Recht zu mir. Dicit se peccasse, et petit veniam, et tamen dicit: „Inique odio oderunt me.“ Gegen Gott bin ich ein Sünder, ihn hab ich kein Leid gethan, accusat eos tanquam innocens. Respice me propter justitiam. Cujus? Peccatoris. Sic si inciderem in latrones, dicerem: Gegen Gott hab ichs verdienet, sed gegen

dulden nicht. Justitia coram mundo est confitenda. Wenn mich H. J. angreift, darf ich wohl sagen, er thue mir Unrecht, denn H. J. sitzt nicht in dem Richterstuhl, da Gott inne sitzt. Gott kann sagen zu mir: Du bist ein Bub, H. J. und die ganze Welt kann es nicht sagen.

„Inique oderunt", quia doceo veritatem; adjuvo eos doctrina mea, sie sollten mir danken, et oderunt me. Sic nos defendimus papistas, so geben sie uns das Gefär, quod multiplicant se adversus me.

Custodi animam meam et eripe me. Non erubescam, quoniam spero in te.

Hic accedit ad finem. Ich befiehle dir mein Seel, lass mich nicht zu Schanden werden. Tu es longanimis und musst mit der Straf harren, es tardus puniendo, indess behüte mich. Sic nos exhibuimus confessionem, was gilts, er wird sich auch wiederumb beweisen, quod sit noster Deus, dass mir nicht zu Schanden werden mit unserm Glauben.

Integritas et rectitudo servent me.

Male citarunt de sanctis. „Integritas et rectitudo", dass ich integer bin et perfectus in vita, et rectitudo est ἀνυπόκρισις, die es heraus sagen, wie es ihnen umbs Herz ist, gehen frei hindurch mit Leben und Reden. Non incurvantur ad personam, favorem, delectum.

Sic orat: Bewahr mich, dass ich ein reines und richtiges Leben habe.

Quoniam te exspecto.

Es gilt Harrens. Est conclusio orationis.

Redimet dominus Israel ex omnibus tribulationibus suis.

Hoc addit pro toto populo. So thu dem ganzen

regno meo, sacerdotali et politico populo. Hic videmus, quod hoc regnum semper fuit in tribulationibus.

PSALMUS VIGESIMUS NONUS.

Est psalmus plane propheticus de praedicatione evangelii, et continet reprobationem justitiae omnium sanctorum et philosophorum, et probationem justitiae fidei.

Adferte domino gloriam et fortitudinem.

Praedicate, dass er allein Ehre ist und Stärk.

Adferte domino gloriam nominis ejus, adorate dominum in ornatu sancto.

Schmucket euch, putzet euch heraus praeparatione evangelii et pacis, dass ihr schön seid, wenn ihr ihn loben wollt.

Vox domini super aquas.

Est vox evangelii, das Evangelium pranget herrlich. Aquae sunt populi et regna.

Deus gloriae intonuit, dominus super aquas multas.

Roman. 1.: „Revelatur ira Dei de coelo."

Vox domini in virtute, vox domini in magnificentia.

Man legt sich dawider, aber es gehet durch et semper triumphat. 2. Corin. 10.: „Arma militiae nostrae etc."

Vox domini confringit cedros, dominus confringit cedros Libani.

Er zubricht den Teufel gar in Judaea. Cedri Libani sind die grossen Hansen, sacerdotes, pontifices.

Et exsilire eas facit ut vitulum, Libanon et Sirion, ut pullos unicornium.

Das Evangelium macht ein fröhlich Herz, facit

audaces, humiles; et econtra superbos conterit." „Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium." 114. psal.

Vox domini intercidit flammas.

Potest esse sententia: Fertur magna efficacia sicut flammas, quasi essent ignita instrumenta. Es scherzt nicht das Feur, wenns an ein Thurn kompt. Vox domini ist ein Steinmetz, secat sicut flamma. Alludit ad gladium flammeum et ancipitem. Zuhäuet, scilicet persequutores. Loquitur de lege.

Vox domini contremiscere facit desertum, vox domini concutit desertum Cades.

Richtet grossen Lärmen an, sicut Christus met ait: „Non veni mittere pacem." Item: „Veni ignem mittere." Item psal. 68.: „Dominus regnavit, irascantur populi." Arguit mundum de peccato, facit eos pavere et agnoscere peccatum, urget die Wüsten. De verbo terrente.

Vox domini concutit cervas, et detegit silvas.

Hic versus varie exponi potest. Postquam movet cervas, entblösset er die Wäld, dass die bestiae weg sind, und eins das ander nicht fresse, dass es sicher sei im Walde vor den Thieren.

Vel sic: „Detegit silvas," entblösset die Wälde, detrahit justitiam et sapientiam, hauet sie umb. Verbum חָשַׂף significat abblatten. Haec expositio mihi bene placet, quasi dicat: Ihr müsset den Rock, die Blätter ausziehen, quia non fertis fructus. Potest etiam accipi de abrogatione veteris testamenti, decutit folia, et aufert ornatum, juxta illud: „Auferetur regnum, et dabitur genti etc." Cervas liberat a servitute legis, ut exerceantur scripturis.

Et in templo ejus omnes ipsi dicent gloriam.

Id est, omnes laudabunt eum. Psal. 115.: „Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam." Regnum Christi est regnum gloriae.

Dominus sedet ad faciendum diluvium, et sedet dominus rex in aeternum.

Ego libenter intelligerem de baptismo, quanquam est ambiguum; id est, faciet novum diluvium, sed diluvium salutis. Er wird ein neues Wasser, ein neuen Geist geben. Baptismus est diluvium, plures autem baptisati sunt, quam in diluvio perierunt, viginti enim saecula transacta sunt. Vel si mavis intelligere in malam partem, sic accipito: Dominus tamen manebit rex, deletis et perditis omnibus impiis.

Dominus virtutem populo suo dabit.

Diversum apparet, quasi sit infirmissimus, ideo maxime opus habet domini robore.

Dominus benedicet populo suo in pace.

Vehementer opus habet, quia blasphematur ac maledicitur.

PSALMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS. a)

Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Deum sitit anima mea, Deum viventem: quando veniam et videbo faciem Dei?

Summa psalmi est: Credens tentatur, tentatus

a) Hunc psalmum exposuit in castello Pretsch mane sub venationem.

invocat, invocans exauditur et consolatur. Neque enim proprie continet doctrinam, sed vel exemplum ejus, qui tentatus invocat, et se consolatur exauditus.

Hic quaeri potest, cum in omni tentatione accidat, ut fugiamus Deum, et omnis tentatio afferat desperationem, odium Dei et murmur contra Deum, quomodo propheta hic dicat se in tribulatione desiderare ad Deum?

Hic divisione utendum est. Est enim duplex Deus. Deus est alias absconditus et tectus, cum scilicet conscientia tentata sentit peccatum, sentit alia incommoda, sive spiritualia sive corporalia, in quae defixa, non potest sibi promittere misericordem et clementem Deum. Qui secundum hanc Dei imaginem, absconditam videlicet, judicant, ruunt praecipites in desperationem et damnationem.

Alia autem imago Dei est aperta, sive Deus apertus, non absconditus, vera scilicet imago Dei clementis, propitii, misericordis, placati etc.

Sicut duplex sol est, cum revera tantum unus sit, sicut Deus unus est. Alius enim dici potest, cum est tectus nubibus, et alius cum sereno coelo lucet. Hic si quis secundum praesentem imaginem solis, cum nubibus septus est, judicare velit, ille statuet nunquam futurum diem, sed perpetuam noctem timebit. Hoc autem artis est, et revera est ars aurea, sentire, cum sol nubibus et nebulis tectus latet, fore ut superet nubes et nebulam, et illuminet orbem. Ita hic propheta in tentatione positus erigit se, et optat videre solem evolutum nubibus, concipit animo aliam imaginem, quam quae praesens obversatur oculis, et cum conscientia terreat, male minetur, et desperabunda fere succumbat; tamen fide erectus non abjicit spem, promittit sibi fore, ut Deus liberet, restituat eum, ut

possit videre cultum Dei in eo loco, quem Deus constituerat solum in toto orbe etc.

Lacrimae meae sunt mihi panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Irasci Deum, derelinqui a Deo, carere verbo, das thut wehe.

Haec cum recordor, effundo in me animam meam.

Quando istas voces audio, so geht mirs durchs Herz. Effundere animam ist herzlich sich sehen, puto esse petere, orare. Wenn ich das hör, so heb ich allererst recht ernst an zu beten, so bricht das Herz heraus. „In me", apud me, allein bei mir, kanns Niemand klagen, denn mir selb. Effundo in conspectu ejus animam meam, quasi velim cor gemendo effundere.

Quoniam cupio transire, et cum comitatu incedere usque ad domum Dei in voce exsultationis et laudis in turba festum agente.

Er wollt gern in die Kirchen, haec est ejus sententia; sentit se longe positum a Deo, so wollt er gern sein bei dem Haufen, da man Gottes Wort predigt. Sonus epulantis, latinus habet, id est, festorum, da man rühmet, prediget.

Quare tristis es anima mea et quare conturbas me?

Consolatio est. Er hat nun ausgeschüttet.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, quod facie sua me salvat.

Facies praesentiam divinam significat, ubicunque est Deus, sive in fide sive in specie; sed hic de fide,

Salus mea est, dass er mir hilft mit seinem lieben Wort. Sic nos diceremus: Facies est notitia, notitia est fides et verbum.

Deus meus, anima mea conturbata est in me, propterea memor sum tui in terra Jordanis et Hermonim, in monte modico.

Alludit ad regnum et Zion.

Abyssus advocat abyssum, cum sonitu catarractarum tuarum, omnes fluctus tui et undae super me transeunt.

Abyssus significat vim et molem aquarum: occurrunt sibi invicem, inquit, es kompt ein fluctus uber den andern, wenn eine auf hat gehöret, so schreiet ein andere. Addit vero de sonitu, ut significet sensum conscientiae. Fluth est primum confusio aquarum, darnach wird ein See daraus, der brauset. Sunt correlativa, dass hie ein Sumpf und dort ein Sumpf wird, und sauset. Es geht mir schier wie dem Pharao im rothen Meer, so alludit. Confluentiam aquarum in mari dicit catarractas.

In die mandat dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus apud me, et oratio ad Deum vitae meae.

Der Herr will haben, dass man sein misericordiam preise, vel ut sentiamus eum misericordem esse, qui velit juvare. Quando est tempus gratiae, so ist er barmherzig. Sed wenns Nacht ist, in tentatione est orandum. Des Tags will er helfen, so soll ichs Nachts sagen. Wenns Tag ist, so verheisset er seine Güte, est tempus gratiae, dess soll man des Nachts auch nicht vergessen.

Dico ad Deum petram meam: Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum adfligit me inimicus? Quasi cum gladio concidunt ossa mea, dum probris me afficiunt adversarii mei, dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, qui est salus vultus mei et Deus meus.

Prosopopoeia, jetzt singet und betet er.

PSALMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

Eructavit cor meum verbum bonum, psallam de rege, lingua mea, calamus scribae expediti. Speciosus forma.

I. More rhetorum primum reddit attentos auditores, quia de re utili, imo jucunda et certa se canturum promittit.

II. Non solum certa promittit, sed optimo et facili modo canturum, quemadmodum solet optimus orator aut scriba facere, id est, verbis ornatis, certis et e spiritu procedentibus locuturum.

III. Ergo non vi aut armis, sed forma vincit, regnat, valet iste rex. Deinde non gladio, sed labiis, id est, verbo regnat, benedictis, id est, verbo gratiae, quod praedicat formam Christi, qua allicit et attrahit omnes, sicut Moses terrore et deformitate irae legis omnes absterruit et fugavit, vel odio saltem invitos fecit.

Forma Christi est gratia, quam exhibet et omnia,

quae facit, nobis affert. Quid enim Christo dulcius, si forma ejus cognoscatur? Et nota antithesin: Moses dorso et aversa facie terribilis tyrannus est, Christus non modo facie, sed etiam formosa facie amabilis, salvator et susceptor est. Hac ipse regnat.

Prae filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedicit tibi Deus in aeternum. Accingere gladio super femur tuum potentissime.

I. Filii hominum habent etiam formam, sed hypocrisis est pulchra in speciem operum, sed falso corde, quia vi legis extorta vel elicita. Verum haec est sub maledicto, quia sine gratia cor aversum est.

II. Hic etiam labiis gratiae benedicitur a Deo, quia benedictus, qui credit in Christum per verbum. Iterum hic vides labia hujus regis laudari, non arcum aut arma, quia verbo Christus regnat, remissionem peccatorum afferente.

III. b) Benedictio non operibus, sed labiis gratiae conceditur, id est, non nostris studiis, sed fidei in verbum Christi, quia dicit „tuis", Christi scilicet, verbum, et nullum aliud, affert gratiam et benedictionem. „Tuis", quasi dicat: non labiis Mosi aut hominum.

IV. Verbo gratiae non solum sanantur, eriguntur, benedicuntur miseri et peccatores, qui gratia egent, quin etiam sicut pro piis est suavissimum labium gratiae et benedictionis, sic etiam contra impios et adversarios gladius potens contradicentes arguere c), et fidem tueri contra omnes portas inferi, ut sic a dextris et sinistris regnet victor et salvator Christus. Rhetorica est, gladium super femur cingi, sumta a bellatoribus, Tit. 1.: „Oportet episcopum esse poten-

b) Usus sapientiae. c) Arma.

tem in doctrina sana et accinctum gladio super femore." Appellat autem גִּבּוֹר potentem, id est, victorem, quia non possunt resistere omnes adversarii, semper triumphat nos in Christo Deus.

Coram mundo haec omnia contraria sunt, quia ibi nec gladius, sed culmus, imo pulvis: nec labia gratiae sed maledictio: nec forma, sed monstrum et abominatio: nec bonum aut utile, sed pestiferum verbum.

Ornatus laude et gloria.

Gladium bellatoris jungit decoris et pulchris vestibus, quibus induitur Christus, ut scias gladium spiritus non in destructionem, sed in aedificationem accingi, scilicet ut impii conversi, Christo pulchritudine gratiae moti adhaereant.

Specie et pulchritudine tua.

d) Haec hebraice significant vestes et ornatum laudabilem et gloriosum, qualis est regum in pace. Pugnat ergo gladius bellatoris cum pompa pacifici regis, quia omne bellum ejus est, ut in pace regnet. Verbum occidit, ut vivificet. Hoc est gladio accingi, et tamen cum veste pomposa in pace ornari.

Consolatio.

Quod impii et haeretici non vincent (licet ita appareat), quia gladius hic est bellatoris accincti. Contra ipsorum gladius est stipula, licet videatur esse gladius plusquam Goliath; ita triumphant securi. Sed hic sequitur:

Prospere procede.

e) Contra apparet nos retro ire et illos procedere semper: sed fide illud cognoscitur.

Hic versus in ebraeo proprie sic reddetur ad verbum:

---

d) Usus gladii. e) Victoria. 5.

Sic felix incedas ornatu tuo. Equita propter veritatem et afflictam justitiam, docebit enim te mirabilia dextera tua.

Prophetat itaque simul, dum optat Christum fore felicem, successuque ejus regnum promovendum, sed magis ipse ornatu quam viribus, id est, verbo ostendente ejus beneficia nobis pulcherrima in ipso proposita, quia propitiatorium nostrum ipse est, in quo omnia nostra sunt, quia vi legis nihil efficiebatur. Beneficiis in Christo opulentis et speciosissimis trahimur et sequimur feliciter obsequente spiritus voluntate, contra omnia adversa et mala resistentia. Sic jam non pedester in mundo equitat, ut regem decet in regno spiritus, et vehitur immortali gloria, sed „propter veritatem", quia omnes aliae viae sunt hypocrisis et mendacium, quod tandem deseret et evanescet, licet nunc videantur eo vehi, non ut equo, sed ut in nubibus coeli, qui fidunt in mendacio.

Justitiam Christi vocat עַנְוָה, afflictionem, miserum, oppressum, quod scilicet fidei justitia nihil sit despectius, miserius, afflictius, damnatius et perditius, et tamen hoc ipsum, quia עַנָוָה est, Deus eam respicit et cogit eam regnare contra omnes superbissimas justitias. Etiamsi sunt regnatrices, imperatrices, victrices, so müssen sie tandem weichen und herunter.

Hoc autem quia carni est mirabile et incredibile, ideo subdit, quod dextera Christi haec mirabilia docet. Fides enim haec credit, docet et intelligit, deinde suo tempore impleri videbit. Sinistra, id est, ratio, quae mundum videt, haec mirabilia non videt, nec capit, nec intelligit.

f) Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corde inimicorum regis.

Verbum Christi efficax est et penetrans, non sicut Mosi sterile et hebes verbum, quia nihil ad perfectum duxit lex. Deinde καρποφόρον est evangelium, non frustra praedicatur, quia populi submittent sese tibi, audient, suscipient te, credent, colent, adorabunt, servient, Mosen vero lapidabunt. Quin tam efficax et fructuosum, ut inimicos convertat, inter inimicos regnet, quia „in corde inimicorum regis", id est, in medio frustra contra ipsum furentibus, latrantibus, damnantibus hostibus.

Potest emphasis vel epitasis esse in dictione „corde", dass Christus der Welt das Beste nimpt, vel eo loco regnat, ubi quam minime vellent; quanquam ibidem non nisi infirma eligat.

Haec omnia contraria mundo apparent, scilicet sagittae Christi sunt stipulae impotentissimae, populi potius contra eum insaniunt, psal. 2. Medium inimicorum Christum excludit et pellit.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga rectitudinis virga regni tui.

g) Hoc insultando dicitur contra persecutores, quibus nec ad horam Christus regnaturus creditur. Deinde consolando dicitur pro fidelibus, ut certi sint suum regem sedere in aeternum, utcunque aliud caro dictet. Simul Christus

hic { Deus / immortalis } significatur,

Quia aeterna sedes uni non convenit nisi Deo soli. Rex autem esse non potest, nisi homo fuerit,

f) 6. Victoria. g) Administratio juris. 7.

ex praedictis, ubi filiis hominum comparatur forma et labia et vestem laudat. Ergo Deus et homo Christus est.

Non solum aeterna sedes, sed rectum sceptrum, quia regnat in justitia, peccatum destruens, mortem evacuans.

Sceptra regum sunt recta, non curva, quia non debet rex personarum respectum, aut suum commodum curare, sed omnibus aequus et rectus esse. Verum hanc rectitudinem arrogat hic soli Christo, quia in regno ejus non est προσωποληψία, nec est hic

{ servus, mas,
{ liber, foemina,

summa, nullum meritum privatum, sed communis omnium gratia eadem. Non respicit (sicut homo solet) opes potentum, genus, sanguinem, sapientiam, alta etc.

Reprobat igitur hoc verbo omnes sectas, haereses, studia et modos vivendi extra fidem, quam unicam facit viam salutis.

[8.] Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Justitiam, id est, fidem in Christum, iniquitatem, id est, hypocrisin operum. Nam extra fidem non est coram Deo justitia, ut late patet in Paulo. Habes hic, a Christo justitiam operum odio haberi; tantum abest, ut approbet aut exigat. Et pereunt hic monasteria cum votis suis. Non solum Christus haec non probat, sed et Deus pater. Nam ob hanc rem unxit eum oleo, oleo laetitiae prae consortibus suis, ut justitiam fidei sibi placere et justitiam operum displicere significet. Hoc ideo, ut certi simus id placere Deo patri, quod Christus amat, et odit, hoc est,

quidquid ipse docet, esse dilectum, et reprobum, ne fingas Deum alium, cui placere credas opera tua, quibus justitiam quaeris.

1. Unxit,
2. Oleo.
3. Laetitiae.
4. Prae consortibus.
5. Deus, Deus tuus.

Oleum laetitiae est ipsa laetitia christiana. Sacrificia justitiae, id est, justitia. Unxit igitur oleo laetitiae, id est, facit te regem laetissimum, regem laetitiae et securitatis et pacis, non servum et captivum justitiae, et sitis, et famis, sicut Moses et lex.

Consortes habet hic (Deus, rex, sacerdos,) hoc est, fratres et cohaeredes, nisi hoc magis velit, quod prae Judaeis (quorum consortio et sanguine natus est) manentibus in servitute legis ipse rex libertatis et laetitiae unctus est, ut iterum hic abrogatio legis significetur. Et hoc placet.

Deus, Deus tuus.

Hic epistola Ebraeorum divinitatem Christi probat satis. Eam vide.

Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, in quibus delectaverunt te in domibus eburneis.

h) Virtutes, caritas, patientia, doctrinae fidelitas, quibus sunt odor bonus vitae ad vitam iis, qui credunt. Nota est similitudo a vestibus odoratis sumta. Es reucht wohl umb dich, quia fama clementiae,

---

h) Schmuck. 9.

opera caritatis, quae praestitit et praebet afflictis, valde allicit et trahit. Vestes enim hujusmodi sunt regum, Matth. 11., quia reges etiam describit.

Delectantur et palatiis eburneis, id est, regali luxu et pompa. Arces et palatia Christi depingit. Haec palatia sunt conventus et fidelium collectio in verbo haerentium, coram mundo contemtior vili alga, sicut et vestes sunt eis odor mortis ad mortem, sed coram Deo sunt candida, pretiosa, durabilia, sicut ebur.

10. **Filiae regum in honore tuo incedunt.**

[1]) Verbum etiam ad gentes pervenit, ita ut regum quoque filiae credant, nisi filias regum hic allegorice accipias pro fidelibus, hoc sensu: Omnes credentes (scilicet ex Judaeis) sunt filiae regum.

Regina vero adstat a dextris tuis ornata auro optimo.

Quasi dicat: Filiae regum sunt quidem in ornatu tuo, sed regina stat a dextris tuis, et dominatur, ut una caro. Sic enim fit in domibus regum, non solum in ornatu tuo, sed etiam in toto auro pretioso.

Regina est coetus fidelium perfectorum, sicut apostolorum, ministrorum, qui apti sunt docere et gignere fideles. Sed filiae regum et aulicae sunt imperfectiores, veluti virgines nubiles, qui discunt et crescunt in perfectam aetatem, virilem et nubilem, ut ipsi quoque tandem doceant et generent. Illi ergo toti sunt sicut aurum, puri et probati verbo, hi vero in ornatu simplicis fidei: omnes tamen una ecclesia. Collige nunc singula usque huc dicta. Nam de rege quodam se cantaturum dixit. Regem autem oportet habere multa:

Primo formam seu potionem, quae scribitur in tertio versu: Pulchra prae filiis hominum!

---

1) Hofgesind.

Secundo sapientiam et exsecutionem et usum sapientiae. Hoc versu eodem dicitur, quod labiis gratiae et benedictione efficaciae sit donatus;

III. Arma seu potentiam, quae versu 4. gladius gigantis et equitatus speciosus significat.

IV. Usum et executionem armorum, qui versu 5. dicitur: „Prospere procede."

V. Felicitatem, fortunam et victoriam, quae versu 6. sagittis populos subjicientibus describitur.

VI. Officium juris dicendi. Hoc versu 7. per sedem et thronum ejus significatur.

VII. Usum seu exsecutionem successumque juris. Hoc habet versus 8. „dilexisti".

VIII. Domesticum ornatum et splendorem pompae. Hoc versu 9. in vestibus et palatiis habes.

IX. Familiam, maxime gynaeceum et reginam. Has exhibet versus 10.

11. Audi filia, et vide, inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui.

Absoluto regis carmine et descriptione exhortatur ad suscipiendum, colendum, honorandum eum regem. Hic abrogat legem et paternas traditiones, Roma. 7.: „Mulier sub lege etc.", ut uni Christo sinceriter et fideliter adhaereant una carne, uno spiritu etc., manete in gratia, nec revertimini ad vomitum, vel in Aegyptum justitiae legalis.

12. Et concupiscet rex decorem tuum.

Promissio, quod tum certa sit esse gratam, esse, si relictis justitiis, gratiae justitia fidere volet. Nihil tum erit, quod non placeat Christo, omnia erunt formosa.

Sicut ad literam nupta, fidens patri et matri, molesta est marito, sic synagoga, fidens patriarcharum nomine, difficulter Christo adhaesit, et pauci conversi

sunt. Ideo opus fuit magna exhortatione, quia res magna est, tantam auctoritatem et consuetudinem relinquere.

Quoniam ipse est dominus Deus tuus.

Cogita, quamvis sit maritus tuus, patribus et familiis tuis collatus. Quid sunt omnes sancti collati uni Christo? Deum habes sponsum vice patrum tuorum.

Et adora eum.

Darum denk und halt ihn in Ehren, als deinen Gott, wie er dann werth ist, der so gross ist uber deine Vorfahren.

13. Filia Tyri cum muneribus aderit, divites in populo eorum te deprecabuntur.

Dixit de commodo domestico, nunc de externo. Non solum habebis maritum talem, tantum et faventem, amantem, quin etiam omnia alia favebunt: hält dich sponsus in Ehren, so musst du vor aller Welt in Ehren gehn. Er ist wohl so mächtig,

Nominat Tyrum per antonymiam, et divites similiter, quasi dicat: Was gross ist, muss dich ehren, wo nicht, so musst du in aller Schand und Unglück bleiben, sicut synagogae et justitiariis contingit, quia maledicta eris tanto viro contemto. Hactenus et promissio et exhortatio ad Christum suscipiendum, colendum.

Canon generalis repetendus: Ne obliviscaris omnia in spiritu geri. Coram mundo contraria apparent, ut maledictus sit, qui Christo adhaeret, ac non quam acerbissime blasphemet, patribus adhaereat.

14. Filia regis tota gloriosa est intus.

Hic de filia, supra de regina uxore. Vult dicere: Si synagoga nolit, erunt gentes filia ejus ex synagoga nata. Ad hanc transfertur omnis gloria regni, quia post apostolos gentium ecclesia crevit. Verum-

tamen intus est talis, scilicet in spiritu. Hic etiam sunt illa ornamenta, quae sequuntur.

Induta fimbriis aureis.

Hoc est, verbo Dei vestita in fide.

15. In varietatibus adducetur regi.

Hoc est, in variis donis servit Christo, Rom. 12. 1. Corinth. 12.

Virgines post eam.

Quia habet audientes fideles animas, in fide eam imitantes.

Proximae ejus adducentur ad te.

Id est, sociae ecclesiae in diversis locis, idem docentes et credentes, sicut in aulis regum et principum.

16. Adducentur in laetitia et exsultatione.

Man muss tanzen und springen zu Hof. Vult dicere: Adducentur non terrore legis nec tristitia peccati, sed gratia evangelii conscientias laetificantes, saltare, laudare, gratias agere facient.

Transibunt in palatium regis.

Hoc est, videbunt Christum, et coram eo sic laetabuntur, quia Christi facies lux et salus nostra est, quia coram principe libentius saltant aulicae, et majore laetitia, scientes illum favere huic laetitiae.

17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, quos constitues principes super omnem terram.

Expositio totius psalmi. Quia Judaei patres noluerunt, accepit Christus apostolos et gentes filios suos, et hos loco illorum constituit principes in orbe terrarum.

18. Memor ero nominis tui domine in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi.

Id est, meum carmen cantabitur perpetuo, et inter gentes laudaberis, si synagoga non volet.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

Argumentum.

a) Argumentum est, quod remissio peccatorum non contingit per opera, sed per solam gratiam, vel quod opera non justificant, sed sola fides. Ergo nulla est alia satisfactio pro peccatis, quam gratuita peccatorum remissio. Aliae satisfactiones sunt figmenta. In summa omnia hujus psalmi verba eo tendunt, quod nullo opere possumus placare iram Dei et mereri gratiam.

Divisio psalmi.

Prima pars est oratio pro remissione peccatorum, Postea declarat veram naturam peccati, Postremo sunt additae promissiones: „Sacrificium Deo etc."

Miserere mei Deus.

Non dicit: Respice officium, jejunium, sacrificium meum.

Secundum magnam misericordiam tuam.

Non secundum meam satisfactionem.

Amplius lava me ab iniquitate mea.

Ach, wenn ich doch der Sünden rein los wär! Hilf mir doch lieber Herr Gott rein davon.

---

a) Hunc psalmum Torgae exposuit, cum princeps aegrotaret.

Et a peccato meo munda me.

Complectitur simul originale et actuale peccatum. „Lava me,“ inquit, non solum a peccato adulterii, blasphemiae nominis Dei etc., sed etiam humorem et radices, unde ista actualia peccata proveniunt, ea exstirpa. Non solum obliviscere adulterii hujus mei, sed omnino me munda, ut nunquam tale quidquam committam, quia, nisi me mundaveris, possem cras in idem periculum relabi. In summa non solum vult remissionem peccatorum, sed puritatem cordis. Dupliciter enim peccatum absolvitur, uno modo per remissionem peccatorum, secundo per purgationem. Hic fatetur sibi quidem peccatum esse remissum, sed nondum purgatum: Ideo dicit: „munda“, mache mich gar rein, quia video me quotidie peccare.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum coram me est semper.

Id est, video et agnosco, quod nihil boni in me sit.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.

Etiamsi coram mundo sim justus (fromm), tamen coram te sum peccator, et quidem maximus, denn du bist der rechte Mann, der Sünde in mir findet. Etiamsi non essem adulter, ut sum, coram te tamen cor est immundum, plenum infidelitate, concupiscentia, vacuum timore Dei, fiducia erga Deum. Darumb wollt ich gern rein gewaschen sein, et non solum peto remissionem peccatorum, sed etiam purgationem perfectam.

Tibi.

Non ergo tantum loquitur de peccato adulterii, sed etiam de fonte peccati, et de arbore cum fructibus. Adulterium est fructus, quem feci, unde? Antequam voluissem facere peccatum, curavi, ut Urias prius occideretur, et Deus sic blasphemaretur. Steckt ein

solch Bosheit in mir, so kann ich merken, was ich für ein Kräutichen bin, heut oder morgen könnt ich wieder so fallen.

Et justificeris in sermonibus tuis et vincas, cum judicaris.

Es will Niemand bekennen, dass Gott nicht genug thun haben will, dass einer ein Carthäuser ist, dass er opfere etc., sed ubi Deus dicit nos peccatores, arguunt et judicant Deum, quasi injustum, qui bona opera non velit respicere. Ich aber wills bekennen, darumb begehre ich, lieber Gott, dass du mich reinigest. Hic vides experientiam Davidis, quam est expertus, nempe quod multos habuit, cum quibus rixatus est, qui docuerunt Deum placandum esse sacrificiis et operibus legis, ut hodie etc. Hoc vere est confiteri: Quid tecum contenderem Deus, cum nihil boni in me sit ab utero matris meae? Arbor cum fructibus est corrupta. Hoc fateor, quod tu dicis, ut justificeris etc.

Ecce in iniquitatibus conceptus sum.

Non est potentior textus in veteri testamento de peccato originis.

Et in peccato concepit me mater mea.

Etiam in utero matris est ignorantia Dei, oblivio Dei, ingratitudo, contemtus.

Ecce enim veritatem diligis, quae in occulto est. Occultam sapientiam tuam manifestas mihi.

Epitheton est. Omnia contra hypocrisin. Eorum justitia, cultus, religio est fucus, äusserlich scheinets fein, sed veritas in occulto, id est, in corde docet, quid sit peccatum. Ea vera est cognitio peccati, quando aliquis paene desperat propter peccatum. Hoc vere est cor contritum, quod mundus non novit, et haec est veritas in occulto, quae Deo placet. Papa

docet etiam veritatem, sed externam justitiam, non in occulto, ut jejunare, non vesci carnibus, confiteri peccata; sed accedente morte desperatio sequitur. In summa vera cognitio peccati est sentire vim legis et aculeum mortis. Haec est sapientia in abscondito posita; scire cognitionem peccati et remissionem peccatorum, est scientia timoris et fidei. Adversarii nostri loquuntur quidem vere, dicunt Christum pro peccatis mundi mortuum, sed non in abscondito, quia non possunt corripere, nec recte consolari.

Expiabis me hysopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.

Hic apprehendit justitiariorum fucum. Video quidem sacerdotes adspergere hysopo, sanguine: sed vellim tu me adspergeres. Mose et Aaron sua adspersione nihil proficiunt, sed tua adspersio faciet. Er wär der Sünd gern rein los. Remitte, inquit, et purga. Er wollt gern gar kein Sünd fühlen, sondern ganz und gar fröhlich sein. Wer hie ein guten Hysopen hätt, der da besprengen könnt, dass das ganz Herz rein wär. Wer nu Labung hätt, wie jener sprach, den man ersäufen wollt, für böses Getränk. Libenter haberet pacem conscientiae.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exsultabunt ossa humiliata.

Da ist kein Bein so stark, das halten könnt. Davon wissen gar nichts etiam ii, qui jactant evangelion, et alios docent. Das ist per cognitionem peccati geschehen, da Nathan mit ihm redet; „Tu es ille etc." „Peccavi etc." „Non morieris."

Absconde faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Memoriam peccati non potest ferre, id est, non

est gaudium, nisi Deus avertat faciem a peccatis meis.

Dele.

Mit einem nassen Lappen. Er hält fast an, repetit et inculcat, wär gern gar rein.

Crea in me cor mundum Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Vult ut dominus peccatum non respiciat. Sunt mera tonitrua contra satisfactiones, und gehet jetzt noch tiefer. Loquitur enim de purgatione peccati. Remittere peccatum est credere. Remissionem peccatorum wollt er gern mit einem starken Glauben fassen im Herzen. Verum est, est remissum peccatum: wer kanns aber glauben? Nemo, nisi Deus ei dederit: pro hac recta et certa fide orat hic.

Cor.

Si tantum posset inspicere Deum, qui est favens et remittens, non qui peccata punit.

A facie tua ne projicias me.

Primum donum est donare spiritum, qui purgare facit peccatum et agnoscere gratiam, id est, da mihi donum fidei, et sic ut credam firmiter, da fidem plerophoriae, dass mich die Sünde nimmermehr anfechte, ut in hac fide consistere possim contra impugnantem diabolum, ut fides non dubitet nec fluctuet. Ipse fuit in luctis, ideo expertus talia loquitur. Postea da perseverantiam, ut sic perseverem, ne avertas faciem Christi tui. Thu mich nimmermehr hinweg.

Et spiritum sanctificantem ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Qui expurget reliquias peccati, ut vivam in certa fide, Zucht und Ehre. 1. Spiritus plerophoriae,

qui certum facit, ut sit fides indubitata. 2. Qui purget et sanctificet corpus et animam. 3. Spiritus παῤῥησίας, qui libere praedicet, et cum fiducia, et non timeat. Es gehört ein fröhlicher und kühner Mann dazu, dem geholfen ist, id est: Gib mir einen freien, trotzigen spiritum, qui dicat: Ihr verzweifelten Buben Aaronis etc., ders wagt, etiamsi occidatur, ut sequitur. Er soll die Gottlosen strafen: sed est res periculosissima, principes et reges mundi arguere. Es muss einer darüber wagen. 1. Spiritus est justus in corde, 2. in corpore. 3. Doctor in opere. Ergo est omnino perfectus.

Docebo peccatores vias tuas, et impii ad te convertentur.

Sind nicht hie Knecht und Magd, sed qui in speciem sunt sanctissimi, qui nolunt se fateri esse in peccatis. Darumb gehört ein muthiger Geist dazu, qui nihil curet, quando irascuntur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

Er hat den Tod verdienet, ubi voluit praedicare. Dixit diabolus: Tu es homicida, et insuper seducis homines, willt sie auf die Gnad führen.

Domine labia mea aperies, et cantabit lingua mea laudem tuam.

Aber man leidets nicht, dass man Gottes Gerechtigkeit rühme, id est, dass ihm Gott heraus helfe: quando justitiarii volunt me tradere morti, ut tum lingua mea praedicet gratiam.

Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Mach mich keck. Ad Corin.: „Ut detur mihi in apertione etc.“ Wenn sie einen angriffen, möcht einer

wohl erstummen, sed tamen necesse est, ut Deus os aperiat. Aperi os tuum, et ego implebo illud, id est, audacter tantum praedica.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.

Id est, Predigen willt du lieber, denn Opfer. Gehe hin und predige das zu Jerusalem und dem Papst, dass die Mess Nichts sei.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Suavissima et pulcherrima promissio. Si quis posset credere, quod nostrae afflictiones sint sacrificia acceptissima Deo. 1. Praedicare, 2, pati, et conturbari, die gefallen unserm Herr Gott, et sunt summa sacrificia. Non loquitur hic de sacrificio laudis. Humiliatio est maximum sacrificium, quia occidit veterem hominem. Ibi mactatores sunt lex, omnes legis doctores, terror peccati etc. Cum praedico, so thu ichs unserm Herr Gott zu Lob, ut habeam sacrificium matutinum et vespertinum, denn er hats gern, dass man von ihm predige. Omnis praedicatio est summum sacrificium. Sic Paulus Roma. 15.: „sacrificans evangelion", id est, sacrificium praedicationis. Philippus saepe mihi dixit, quando invitus praedico: Gehet hin und lobt unsern Herr Gott. Quia quando recte praedicatur, so muss man unsern Herr Gott loben. Wird einer drüber in Kerker geworfen, so thut er auch das ander sacrificium. Sic afflictiones nostrae Deo placent, ut una sint mille sacrificia coram Deo. Spiritus contribulatus est majus sacrificium, quam totum sacrificium Leviticum. Ja, si quis credere posset:

Hac de re dicam nostro principi: Accipe omnia sacrificia legis, omnes ceremonias papae et processionem Augustae in die corporis Christi: una afflictio pii plus valet.

Benefac domine Zion, ut aedificentur muri Jerusalem.

Halts im Bau. Sic melius redditur. Hactenus oravit pro se, jam dilatat et amplificat pro toto populo. Vidit sacerdotes et pontifices justitiam operum vehementer urgere, quod veritas in abscondito obscurata sit: ideo tam diligenter oravit.

Benefac domine.

Lass das regnum und sacerdotium bleiben in vera cognitione, und erhalte und bewahre sie drinnen. Sunt omnia contra hypocrisin.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta. Tunc imponent super altare vitulos.

Denn werden die rechten Opfer kommen, instantes orationi et ministerio verbi. Haec sunt summa. Sed virtutes morales wirft unser Herr Gott hin in Kauf, wie Wein, Brod etc.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

Miserere mei Deus, quoniam demergunt me filii hominum, quotidie tribulantes coarctant me.

Unser Herr Gott hat noch nie Keinen todt geschlagen, aber er kann wohl die Hand abziehen, et permittere diabolo potestatem, quia est Deus vitae et vivorum. Quae ego loquor, sunt diabolica. Contra,

quae Faber, H. G. M. Bu. loquuntur et faciunt, sunt omnia recte dicta et facta.

Filii hominum.

Id est, filii diaboli. Est odiosus casus, dass David den König aushebet, und selb König will werden, ist ein verdriesslicher Handel.

Absorbuerunt me inimici mei per singulos dies.

Metaphora, sie wöllen mich nicht stäupen, sed neun Elln unter die Erden stossen, dass sie gar nichts von mir wissen.

Quoniam multi sunt superbe belligerantes adversum me.

Indicat multitudinem hostium: rex, proceres, totus populus. „Canem mortuum persequeris," dicit David 1. Regum 24., et Saul: „Quid ei superest nisi solum regnum," 1. Reg. 18.

Excelse.

Summa securitas.

Quando timor invadit me, in te sperabo.

Si quis hoc sciret et sentiret, quod Deus sit suus Deus, ex primo praecepto, ille haberet auream scientiam. Wenn einer für unserm Herr Gott fleucht, qui solus adjuvat: wer will ihm denn helfen? Ego in te spero, tu me non insectaris o Deus, sed diabolus et homines, ideo in te spero.

In te laudabo verbum, in Deo sperabo, non timebo. Quid faciat mihi caro?

Sunt promissiones. Videtis, quod stet in lucta. Er kann die gülden Kunst noch nicht gar, es gehet noch schwächlichen zu.

Caro.

Ist unsers Herr Gotts Heu, Esaiae 40. Quis pot-

est credere, quod papa, Turca sint caro, gramen domini. Aegyptus homo, non Deus. Equi ejus caro, non spiritus. Respiciunt omnia in primum praeceptum.

Assidue verba mea impugnant, omnes cogitationes eorum sunt, ut faciant mihi malum.

Adversarii nostri non credunt, quod hic versus contra eos sit. Dostrina nostra est, quod sit fidendum Deo, quod episcopi debent praedicare evangelion. Sed quia ipsi hoc ferre nequeunt, ideo non est mirum, etiamsi cogitationes eorum sint malae.

Conspirant et insidiantur, et calcaneum meum observant, ut comprehendant animam meam.

Id est, vitam meam. Quando edimus sexta feria carnes, et quidquid agimus, male interpretantur, ut habeant et arripiant sibi calumniandi occasionem. Quidquid ipsi faciunt; probant, quod si idem et nos facimus, damnant. Impugnant doctrinam, communicant consilia etc. Vide textum. Captant omnem occasionem.

Jam indicat propheta, quomodo acturus sit Deus cum persecutoribus, secundum alteram partem primi praecepti.

In ira populos confringes. Et numera fugas meas, repone lacrymas meas in utre tuo.

Magna est consolatio. Qui hoc credere posset, dass ein gemitus, lacryma für ihm nicht soll vergessen werden.

Discursus meos numerasti.

Instabilitatem. Ich bin nirgends sicher gewest.

Ut ambulem coram Deo in lumine vitae.

Felicitate, consolatione. Das heisst proprie ein Predigt, verbum Dei tractare, unserm Herr Gott gelobt und gedankt.

PSALMUS OCTUAGESIMUS PRIMUS.

Gratiarum actio est pro frugibus.

Exsultate Deo.

Oportuit dici: Ululate idolo infirmitatis, quod deserit suos, relinquit nos omni generi cruciatuum et calamitatum: et tamen Deus adjutorii, sed in fide.

Adjutori nostro.

Qui omnia abunde largitur ad fruendum, servat, tuetur, erigit, sanat.

Jubilate Deo Jacob.

Quem totus mundus videt, non solum ut infirmum, sed etiam ut stultum.

Sumite psalmos, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestrae.

Significat praedicationem verbi, ut sacerdotes et Levitae populum ad pietatem et agnitionem donorum, quae quotidie largitur, traducant.

Quoniam hoc est statutum in Israel.

Quasi dicat: Nihil novi praecipio, non affero novum cultum, fecerunt hoc majores nostri, quos imitari hac in parte debemus.

Et judicium Dei Jacob.

Hoc valde est notabile, quod ejusmodi morem suo populo commendat, qui habet verbum Dei. Tacite igitur dehortatur ab aliis cultibus, moribus, ritibus, qui non sunt approbati divina voce.

Testimonium in Joseph posuit, cum exirent de terra Aegypti.

Mirum est, tantam esse in animis nostris ignaviam, securitatem, oscitantiam, ut etiam extremorum malorum obliviscamur, et ea nobis in memoriam redigere necesse sit. Populus judaicus gravissime erat oppressus servitute in Aegypto, ea tamen adeo cito animis posterum effluxit, ut bonus propheta coactus sit eam publico carmine celebrare, quod alioqui omnino erat abitura ejus memoria. Sic nos jam obliti sumus calamitatum, quas sub papatu et conscientiae et corpora et fortunae nostrae sustinuerunt. Non autem est mirum oblivisci nos beneficiorum divinorum, cum tam cito e memoria abeant calamitates et pericula. Ut igitur magis commendet eis hoc carmen, quo gratias Deo pro donis suis agant, addit hoc quoque: Placet gratitudo vestra Deo, et praecipit sibi gratias agi, cum majores nostros ex Aegypto ex illa misera servitute eriperet.

Ubi linguam, quam non noverant, audiverunt.

Auget hoc quoque calamitatem, esse sic afflictum et oppressum ab eo populo, cujus linguam non teneas.

Divertit ab oneribus dorsum ejus, et manus ejus liberatae sunt a cacabis.

Proprie utitur hac hypallage. Nam populum alio transtulit relictis illis oneribus in Aegypto. Quasi dicat: Onera manebant in populo, sed populus liberabatur.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis.

Noli esse ingratus, et cum premeris calamitate

aliqua, noli a me deficere, soleo enim eripere ex tribulatione. Meminit aquae contradictionis, ut etiam admoneat eos peccatorum. Sic nos non debemus oblivisci gratiae, quae nobis per evangelium contigit, cum omnes gravissimis peccatis in papatu oppressi laboraremus.

Audi populus meus,

Beneficia libenter accipis, sed non vis nosse eum, a quo accipis. Es populus meus, quem servavi, fovi, liberavi, audi igitur me. Sed sicut principium psalmi est imperativum, ita manet imperativum: nunquam vel apud paucissimos fit indicativus. Sic quoque hic versus. Es bleibt bei dem „audi". Qui dicant: Audio, nulli vel paucissimi sunt.

Israel si me audieris.

Verte:

Israel me audias.

Est haereticus textus, et qui secum pugnat. Vocat populum Dei, et post accusat, quod non audiant Deum, quasi dicat: Vis esse populus meus, sed tu sequeris et audis idola in Gilgal, Bethel et aliis locis: illis acceptum refers, cum bene proveniunt fruges, ab iis petis auxilium, cum aliquid mali accidit. Ne facias, sed audi me.

Ne sit in te deus alienus, neque adorabis deum alienum.

Tangitur et plusquam haeretica est haec accusatio, quod dicit eos habere inter se deos alienos, deficere a Deo vero. Quid potuit dici atrocius?

Ego enim sum dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti.

Tu non es, dixerunt, tu es haereticus, et Deus tuus est idolum. Nos sequimur et adoramus Deum verum in Bethel etc.

Dilata os tuum, et implebo illud.

Laus mea sit semper in ore tuo, me praedica, me doce, me planta in animis aliorum; nihil sonet quam me et verbum meum. Sed manet oratio imperativa, quae in indicativam non potest reduci in practica. Sic videmus sub papatu mille libros scriptos pro cultu sanctorum, meritis operum, regulis monachorum, dignitate coelibatus et aliis impietatibus, cum interim nulla syllaba scriberetur de merito Christi et redemtione nostra etc., sicut sequitur.

Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi.

Idola magis placent. Sic enim est animus humanus, quod omnibus aliis nugis et vanitatibus facilius credere et fidere potest, quam vero Deo. Sic cucullo sumus fisi; Deo vero promittenti gratuitam remissionem fidere non potuimus, et ne nunc quidem plene possumus; cum tot scripturae testimoniis obruimur. Hoc autem gravius est, quod dicit: „Populus meus“ et „Israel“. Si essent alieni, nullis singularibus beneficiis a me affecti, non ex aliqua singulari calamitate a me erepti etc.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ut irent in adinventionibus suis.

Qui noluerunt credere Christo promittenti, imo offerenti gratiam gratuitam, crediderunt confictis intercessionibus sanctorum, imo monachorum etiam, non orationibus tantum, sed meritis, jejuniis, vigiliis, missis. Sed gravissimum est dimitti ab hoc gubernatore, et relinqui solum, et expositum omni vento erroris, omni fraudi Satanae.

Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.

Haec est solutio argumentorum, quae impii vero

Deo et prophetis objiciunt: Sic enim dicunt: Quid adhaereamus Deo, quem tu praedicas, cum sinat nos tot calamitatibus immergi? Gehet es doch Niemand ubler, sicut ille dixit, denn wer Christo und dem Kaiser dienet. Quare confugiamus ad Bethel, ad Astharoth et ad alios gentium deos. Videmus enim gentibus bene esse, habere successum contra nos, vincere nos. Respondet igitur: Ne mihi adscribas tuas calamitates. Tua culpa est, tu in causa es, tua idololatria, et falsa tua fiducia, quod sic affligeris: redi ad me, resipisce, et senties me adfuturum tibi, sei nur in fide rechtschaffen, und lass mich darnach trachten, wie ich dich errette contra inimicos tuos: alioqui nullum senties auxilium, sicut est in deuteronomio.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.

Nunc cum id nolis, et pergas in idololatria tua, humilia te coram inimicis tuis. So willt du es haben, du machst mich eben so mehr zum Freunde als zum Feinde haben.

Inimici domini mentiti sunt ei.

Non debes cogitare, quod ego faveam eis, sed sunt mei quoque inimici. Ideo autem praevalent tibi, quod tu me deserueris. Sie sollten es sunst wohl lassen. Non sunt inimici, qui te affligunt: ego sum. Mea manus premit te, cum adversarii tui te premunt.

Erit tempus eorum in saecula.

Defenderem, servarem, custodirem te semper.

Et cibarem eos adipe frumenti, et melle de petra saturarem eos.

Duo [illegible] sunt, quibus opus habemus, [illegible] Promittit igitur Deus, si convertantur, se eorum fore non solum militem, qui pro his [illegible]

net, sed etiam agricolam, ut nihil ad hanc vitam piis desit. Est autem promissio, quare fide intelligitur, accipitur, impletur. Et ut maxime non uberrime piis suppeditet omnia, tamen non pereunt fame.

PSALMUS CXXVIII.

Beati omnes, qui timent dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum manducabis, beatus es et bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae; et filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominum. Benedicat tibi dominus ex Zion, ut videas bona Hierusalem omnibus diebus vitae tuae, et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

1. Qui oeconomiam incepturus est aut conjugium initurus, non sit sollicitus, nec metuat mammona. Audeat in timore Dei, et salvus, felix, beatus, dives erit.

2. Verum otio nihil fit. Aliquid proponendum est operis et artificii, cui benedicet dominus absque dubio, quia dicit: „Labores manuum tuarum etc.," ut in proverb. Salomonis etc. Tunc sequitur promissio consolatoria.

3. „Beatus es," hoc habebis, hoc est, abunde domus, ager, substantia, pecus etc., pro oeconomia dabitur affluenter.

Argumentum contrarium Abraham, Israel, Jacob. Nam de impiis haec veriora sunt. Respondeo: Fide et patientia opus est. Tandem veniet ista copia, ut impiis auferatur, psalm. 90. [illegible]

Summa. Psalmus iste est promissio felicitatis in oeconomia et prole.

Antithesis. Comminatio contraria impiis, etiamsi ad tempus aliud apparet.

IDEM PSALMUS,

Carmine phalecio redditus a D. Martino Luthero, anno 1543. et oppositus Martialis epigrammati: Vitam quae faciunt beatiorem etc.

Vitam quae faciant beatiorem,
O castissime christiane, sunt haec,
Aeternum dominum Deum timere,
Mandatique sui vias amare.
Sit victus manuum labore partus,
Sic vivis bene, sic eris beatus.
Uxor prole tuam domum beabit,
Laetis ut generosa vitis uvis.
Ad mensam tibi filii sedebunt,
Ut pinguis tenerae novella olivae.
Sic fidus benedicitur maritus
In casto domini timore vivens.
Donet te benedictione semper
Ex Zion dominus Jerusalemque,
Florentem faciat bonis vigere,
Ut natos videas et inde natos,
Et pacem super Israel per aevum.
Hic dicat pius omnis amen, amen.

Sarcasmus in Epicurum eodem auctore.

Vitam quae faciant suis beatam
Porcis, haec Epicurus ille tradit,
Ne spectes hominum Deive mentem,

Non est, qui regat atque curet orbem.
Spem vitae bene rideas futurae,
Quamvis mens ratioque sana monstrent.
Te soli tibi finge procreatum,
Certus cuncta tuo esse nata ventri,
Silenus placeat, nihilque malis.
Vivas ut tua sus tuusque porcus,
Et tandem moriare porcus et sus.
Sic sic itur ad insulas beatas,
Aeterno quibus igne carcer ardet,
Et tales coquit ustulatque porcos.
Tunc malles Epicure non fuisse:
Sed serae venient eae querelae.
Et disces aliud fuisse quiddam
Quam quod riseris hic inane numen.

PSALMUS CXXXII.

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

Laus concordiae spiritualis, quam utilis et jucunda res ipsa sit, maxime vero qua ratione constet, et quid praestet.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.

Sicut unguentum sacrum non modo suavissimum est, sed etiam late manat, ita verbum et spiritus fidei jucundissimus est, idem in omnibus sentiens, sese omnibus aperiens et communicans. Unguentum est quidem capitis, descendens in barbam usque ad oram vestium: ita verbum [illegible] in omnes manat, non quaerit quae sua sunt, sed quae aliorum.

Descensus igitur est ratio, vis, radix, nervus, forma, modus concordiae, et in verbo „descendit" est emphasis, sicut econtra adscensus et superbia, dominari et praevalere aliis, supereminere cunctis velle, haec est ratio, vis, radix, forma universae discordiae, seditionis et desolationis.

Unguentum autem in barbam descendens, et signanter in barbam Aaron, id est, sinum sacerdotis, significat primum omnium concordiam esse eam, quae inter spirituales et ministros verbi est, ut idem sapiant, doceant, agant, consulant et ordinent, ut sit concordia in verbo, fide et ceremoniis, omnibusque aliis spiritualibus rebus, quae concordia non stabit, nisi descendant, qui sunt in capite, et serviant barbae et vestibus, id est, sua communicent iis, qui non habent, nec fastidiant stultos, infirmos, fragiles. Non est quidem unguentum barbae et vestium, imo capitis, sed descensu id, quod capitis est, fit barbae et vestium, hoc est, quod alit concordiam et infirmorum affectum nutrit benevolum erga eos, qui majores sunt.

Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Zion.

Ros autem Hermon, qui sacer non est, significat concordiam magistratuum et principum, qui sunt montes mundi, ut concordibus legibus, judiciis, moribus regant, nec se mutuo impugnent. Hoc autem fit, si majores serviant minoribus, et officio suo utantur non ad libidinem, sed ad commodum reipublicae, praecipue miserorum.

Quaeritur hic, cur in barbam potius quam in aures, oculos, frontem, nasum descendere unguentum laudet, cum verisimile sit, et in has quoque partes defluere unguentum.

Et adipe frumenti satiat te.

Benedictio agrorum. Dat panem quotidianum cum abundantia, hoc enim significat, quod dicit adipem, vollauf. Et nota, „satiat", q. d. quod Deus nos omni genere beneficiorum cumulet. Sed quid nos contra facimus? Fruimur quidem donis Dei, sed primum hujus psalmi verbum non addimus, sumus ingrati, non laudamus Deum in tot et tantis beneficiis. Mira res, dat pacem, defendit ab hostibus, benedicit agris, oeconomiae, politiae, omni carni dat escam, et tamen nos pleni infidelitate, neque grati pro his sumus, neque credimus Deum hoc facere. Si levis tentatio quaedam nos premat, desperabundi lugemus, non credimus Deum, qui tot annis servavit, defendit, aluit nos, porro nos defensurum et aliturum. Sic cum eripuit ex tentatione, quam primum sensus mali abit, abit simul memoria. Nos jam vivimus perinde, ac si nulla unquam pestis, nulla annonae caritas fuisset, ac si nullus Turca obsedisset Viennam, nullus sudor anglicus fuisset etc.

Majora autem sunt haec in spiritualibus. Habemus evangelium, vivimus igitur perinde atque si nullus unquam papa, nullae indulgentiae, nullum unquam purgatorium, nulla confessio, nulla satisfactio fuisset: adeo prava et corrupta est natura nostra, quae maximorum beneficiorum obliviscitur. Sic David hic postquam recitavit multa beneficia, taxat nostram ingratitudinem, quod tantum dicit: „Lauda". Non dicit: Laudamus, vel: Homines laudant Deum.

Mittit eloquium suum terrae.

Hic docet, quomodo det fructum per vicem tempestatum, scilicet quas tempestates verbo suo creat. „Mittit eloquium suum terrae," id est, mandat terrae, dicit: Terra ferat fructus.

vitate composuisse. Habuerunt alias consolationes in Ezechia et Hieremia.

PSALMUS CXLVII.

Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum Zion.

Argumentum psalmi est in primo verbo: „Lauda". Quid est laudare? Praedicare primum praeceptum, hoc est, beneficia Dei. Est igitur hic psalmus gratiarum actio pro beneficiis, quae Deus in populum suum contulit.

Quoniam confirmavit seras portarum tuarum.

Primo gratias agit de politia et politico regno. Confirmasti seras portarum tuarum. Ferrum, quod fabri afferunt, non confirmat, non tutam facit civitatem. Tuum, oportet aliud majus adesse. Ideo dicit „confirmasti". Humano consilio respublicae servari non possunt, divina vis est, quae imperia conservat. Quemadmodum autem solum ferrum seu serae non confirmant, nisi dominus custodiat, ita etiam neque sine seris confirmat dominus. Vult adesse seras, laborem, consilia nostra requirit, non vult nos esse otiosos, quanquam sine eo nihil proficiamus.

Benedicit filiis tuis in te.

Quando politia confirmata est pace, tunc educatio liberorum et institutio in verbo Dei et bonis moribus sequitur, quae belli temporibus negliguntur.

Dat finibus tuis pacem.

Hactenus de republica domi: nunc de republica foris fortunanda et benedicenda dicit. Unser Herr Gott muss auch auf die Grenzen reiten, defendere a vi hostium.

Et adipe frumenti satiat te.

Benedictio agrorum. Dat panem quotidianum cum abundantia, hoc enim significat, quod dicit adipem, vollauf. Et nota, „satiat“, q. d. quod Deus nos omni genere beneficiorum cumulet. Sed quid nos contra facimus? Fruimur quidem donis Dei, sed primum hujus psalmi verbum non addimus, sumus ingrati, non laudamus Deum in tot et tantis beneficiis. Mira res, dat pacem, defendit ab hostibus, benedicit agris, oeconomiae, politiae, omni carni dat escam; et tamen nos pleni infidelitate, neque grati pro his sumus, neque credimus Deum hoc facere. Si levis tentatio quaedam nos premat, desperabundi lugemus, non credimus Deum, qui tot annis servavit, defendit, aluit nos, porro nos defensurum et aliturum. Sic cum eripuit ex tentatione, quam primum sensus mali abit, abit simul memoria. Nos jam vivimus perinde, ac si nulla unquam pestis, nulla annonae caritas fuisset, ac si nullus Turca obsedisset Viennam, nullus sudor anglicus fuisset etc.

Majora autem sunt haec in spiritualibus. Habemus evangelium, vivimus igitur perinde atque si nullus unquam papa, nullae indulgentiae, nullum unquam purgatorium, nulla confessio, nulla satisfactio fuisset: adeo prava et corrupta est natura nostra, quae maximorum beneficiorum obliviscitur. Sic David hic postquam recitavit multa beneficia, taxat nostram ingratitudinem, quod tantum dicit: „Lauda“. Non dicit: Laudamus, vel: Homines laudant Deum.

Mittit eloquium suum terrae.

Hic docet, quomodo det fructum per vicem tempestatum, scilicet quas tempestates verbo suo creat. „Mittit eloquium suum terrae,“ id est, mandat terrae, dicit: Terra ferat fructus.

Velociter currit sermo ejus.

Sicut in Mose: „Dixit et facta sunt." Wenn ers saget, so stehet es schon da für ihm. Hic videmus studium, quo sancti patres primum Mosi caput legerunt, unde omnis sapientia divina manavit. David valde frequenter hac Mosis phrasi utitur: „Dixit dominus," sicut in psalmo 106.: „Misit verbum suum et sanavit eos." Sanavit eos; quomodo? Uno verbo, dicit et fit. Verbum igitur דָּבָר diligenter debemus observare. Nostri sacramentarii volunt confundere, et ex illo Joannis 1. דָּבָר fingunt. Assaph semel tantum hac figura utitur in loco, quem citavi, proprie enim Davidicum est sic loqui.

Dat nivem sicut lanam; spargit pruinas sicut cinerem, et grandinem sicut buccellam.

Haec omnia verbo, inquit, fiunt, has vices tempestatum, sine quibus terra non potest dare fructum suum, verbo creat, dicit: Ningat, et ningit etc.

Sed hic est theologica quaestio, quae sit ratio harum collationum, quod nivem lanae comparat, sunt enim res diversissimae, lana vestit et calefacit nos, sic cinis quoque. Nix et pruina diversum faciunt. Buccellae alunt nos, grando non alit. Videtur mihi David subindicasse tentationes hac collatione, ut tum cum ningit, cum pruinat, cum grandinat, non desperemus, aut spem victus abjiciamus, sed credamus Deum in ista nive, grandine et pruina habere et dare buccellas et lanam et cinerem, quanquam diversum appareat. Spiritus sanctus enim in collationibus non speciem solum, sed usum maximarum rerum, quae conferuntur, considerat.

A facie frigoris ejus quis sustinebit.

Mutat tempestates. Reddit post hiemem aesta-

tem, alioqui si perpetua esset hiems, moreremur frigore. Quomodo reddit aestatem?

Dicit et liquefacit ea.

Verbo creat omnia. Er darf nit mehr denn ein Wort darzu. Das mag ein Herr sein. Wenn der Fürst von Sachsen etwas heisst, nulli sunt, qui faciunt.

Mittit ventum suum et fluunt aquae.

Mira transmutatio, ex vento facit aquam. Der Meister kann machen, was und waraus er will.

Ostendit verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.

Hic etiam recitat beneficia spiritualia, verbum et cultum, et promissiones Jacob et Israel per tantologiam repetit. Dicit autem de privilegio illius populi, de quo Roma. 9.

PSALMUS CXLVIII.

Laudate dominum vos coeli, laudate eum in excelsis.

Est generalis gratiarum actio pro omnibus divinis beneficiis.

Laudate.

Gratias agite Deo, quod vos creaverit. Quomodo laudabunt eum, cum os et linguam non habeant? Ostendunt eum laudabilem, Rom. 1. Bonitas Dei cernitur ex immenso usu coeli. Quis autem unquam pro eo gratias egit praeter psalmum?

Laudate eum omnes angeli ejus.

Das ist sein Hofgesind, et illi laudant: diaboli

blasphemant. Impossibile est credentem habere pacem in mundo, vel secundum carnem, quia statim mundus, caro, diabolus eum persequitur: et tamen vera pax sine fide non possidetur.

Laudate eum omnes exercitus ejus.

Qui scilicet conditi sunt ad tempora pacis et belli.

Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellae lucentes.

Sol, cujus usus est infinitus, si uno die non luceret etc. Gott ist ja zu loben, weil er so viel gibt.

Laudate eum coeli coelorum.

Omnes horizontes. Theologi posuerunt multos coelos, empyreum, crystallinum, aqueum, glaciale, lucidum vel igneum etc. Horum nihil credo, sed sicut una terra est ornata variis creaturis, aquis, silvis, piscibus, pecoribus, arboribus, montibus, vallibus, sic unum coelum ornatum suo vestitu et luminaribus majoribus et minoribus, stellis et planetis, quorum aliud altius stat in coelo, aliud profundius: ut in nemoribus alia arbor altior est alia, cum alia in monte, alia in valle stet etc.

Et aquae supra coelos laudent nomen domini.

Id est, aër qui est aqua, sed differt a terrestri aqua, est enim subtilior. Aliquando fit nix, glacies, aqua, ut gladius in aestuario calido statim ex frigore incipit sudare, et secundum quod Deus emittit angelum bonum vel malum, anhelitum vel ventum calidum vel frigidum, sequitur calor vel frigus, aut nix etc. Super coelos, oben am Himmel, id est aër.

Quia ipse dixit et facta sunt, ipse conservat ea in saeculum saeculi, ordinat ea, ne aliter eant.

Ratio. Sequitur altera pars regni.

EXPLICATIO TRIUM SEQUENTIUM PSALMORUM,

de autographo D. Lutheri expressa est.

PSALMUS VIGESIMUS SECUNDUS.

Laudat ecclesia Christum, pastorem suum, pro eruditione, directione et refectione sacramenti.

Titulus: Psalmus David.

Dominus regit me.

Melius hebraice: Dominus pastor meus, seu pascit me, hoc est, Jesus Christus verus Deus, et ipse solus est pastor meus, non alio cibo me pascens, quam se ipso, sicut ait: „Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet," de quo Ezech. 34.: „Suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eos, servum meum David, ipse pascet eos. Et ipse erit eis in pastorem." Est ergo sensus: Abeant, qui de suo loquuntur, et in quibus Christus non loquitur, quales multi tunc et nunc, et semper abundant, quoniam hi sub specie veritatis et nomine Christi depascunt potius ut pharisaei, haeretici, superstitiosi. Si enim in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, fit necessario, ut extra Christum nulla sit scientia et sapientia, nec ullus ovium pastor: Christus autem unus et solus ovium pastor est.

Et nihil mihi deerit.

Id est, non deficiam, eodem sensu, quo psalm. 33.: „Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem dominum non minuentur omni bono." Non enim de carnis

stehet etc. Das ist ihr laus et gratiarum actio pro istis divinis beneficiis. Huc pertinet etiam politia, quae conservat pacem, qua conceditur usus istorum omnium.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen domini.

Educatio prolis.

Quia exaltatum est nomen ejus solius, laus ejus super coelum et terram, et ipse exaltat cornu populi sui: laudent omnes sancti ejus, filii Israel, populus serviens ipsi.

Hoc nemo credit.

Animam meam convertit.

Hic allegoriam terminat, et explicat, ut non de pastu corporis (ut Judaei errant) sed animae intelligatur supra locutus. Porro tota est oratio emphatica et epitatica, siquidem animam converti est, non ficte et dolose, tantum specie et lingua (ut multi), sed intimo affectu converti atque mutari in alium hominem, etiamsi caro et exterior homo non cesset contra verti et concupiscere. Nullo enim alio remedio anima sic mutatur et in spiritum convertitur, ut odiat se et sua, quaerat ac sitiat Deum et quae Dei sunt, prae dulcibus verbis evangelii, quae sunt verba gratiae, et sagittae potentis acutae, vulnerantes caritate, ut fiant hilares et liberi, quos lex et concupiscentia prius fecerat invitos et servos, ac ideo vere hypocritas et simulate conversos. Igitur opus evangelii et fructus verbi est mutatio et conversio animarum sincera.

Deduxit me super semitas justitiae.

Methaphora est in verbo „deduxit" a ductu ovium, id est, faciet me proficere de fide in fidem, de virtute in virtutem, de claritate in claritatem. Ideo melius heb. secundum Hieronymum: Ducet me in semitis seu per semitas justitiae, quam: super semitas seu ad semitas. Nam omnia fere verba hic in praeterito posita in heb. sunt futuri temporis. Sed hoc nihil efficit. Justitia autem ista non est ea, de qua Aristoteles 5. ethicorum vel jurisperiti agunt, sed fides seu gratia Christi justificans, in cujus semitis ii deducuntur, qui sunt ductiles et mites, hoc est (ut ajunt) dirigibiles et suasibiles, minimeque suo sensu et opinione pertinaces. Nam voluntarium oportet esse eum, qui ducitur, et nulli rei sic adhaerere, quin paratus sit eam omni momento dimittere. Contra quod nimis

agunt, qui sua bona intentione sunt obstinati, sibi ipsis in suo sensu magis placentes, quam in voluntate Christi. Ideo fide opus est, id est, gratia justificante, ut homo discat sua semper caedere, et abnegare se ipsum, et odisse animam suam. Quae sane est angusta via et semita compendiosa. Ideo dicit, quod non ipse; sed dominus per gratiam suam ducet eum; natura enim resistit huic ductioni, ut potius sit ipse materia, quam actor, patiens quam agens. Hoc autem facilius fiet, ubi anima conversa et dulciter affecta verbo gratiae, promta fit in omnem voluntatem Dei, et invita in omnem voluntatem suam. Contra hoc nunc surgunt doctissimi et christianissimi (ut sibi videntur), qui datis naturae et voluntati propriae habenis id demum appellant liberam servitutem Dei, si fecerint id, quod sibi rectum et bonum visum fuerit, prope deridentes subjectiones et obedientias religionum, securi videlicet, quia mala non agunt, et bona, nullo imperante et ducente, sed sua ratione dictante libere agunt. Haec est sapientia digna nostro saeculo, cum hoc sit potius salutare, nihil sibi fidere, dolere se non habere ductorem, cujus verbis credat, et dirigatur potius, quam sua sancta intentione. Hic enim ducitur per semitas justitiae.

Propter nomen suum.

Scilicet, ut laudetur, glorificetur, non propter meritum meum. Gratis enim datur gratia, id est, fides et justitia, ita ut gratis augetur et deducitur, ut non superbiat homo, sed glorificetur Deus.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis.

Id est, si etiam mori et in morte esse me oporteat. Placet enim mihi hoc loco magis Ambrosii quam Augustini expositio. Ait enim: Et licet nos in re-

solutione corporis mortis umbra circumdet, tamen gressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias inferni leges incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Unde ait sanctus propheta: „Nam si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es." Quod manifestius dominus de fideli ait: „Qui credit in me, non morietur in aeternum, et licet moriatur, vivet." Haec Ambrosius. Augustinus intelligit umbram mortis haac vitam, velut imaginem et similitudinem mortis, sicut umbra est similitudo seu imago corporis. Sed melius umbra pro tenebris et obscuro accipitur, ut sit illud in umbra, quod nobis incognitum est et latens. Sic umbra mortis vocatur, quia mors habet umbram et tenebras, quia qui mortem subeunt, nesciunt, quo vadunt. Abeunt enim in locum eis prorsus incognitum, sicut eis disposuerit Deus.

Est itaque sensus: Si etiam nesciam, quo aut qua veniam per mortem (quod unicum facit mortem quam maxime horribilem), adhuc non timebo malum, quia fide ambulabo. Quod autem ait „in medio", beatus Hieronymus habet: in valle umbrae mortis, id est, in profundo tenebrosae et incognitae mortis, unde et alibi infernus et profundum vocatur mors. Quibus allegoriis et metaphoris, ut dixi, exprimit ignorantiam morientium, et incertitudinem loci, quo proficiscuntur et hac causa credo hunc psalmum potissimum pro defunctis ab ecclesia cantari.

Non hic itaque „in medio" intelligitur, quasi aliquid sit extremum umbrae mortis, sed absolute dicitur. Sicut ibi: „Intra medium montium pertransibunt aquae," id est, in valle; ita: „in medio umbrae mortis", id est,

in umbroso medio, seu umbrosa valle, seu umbroso et tenebroso profundo, quod est in morte, quia nulli homini cognitum. Obscuram autem facit hanc locutionem idioma et schema hebraici sermonis, cujus generis sunt: Carbones ignis, clibanum ignis, benedictio dulcedinis, pro: carbones ardentes, clibanum ardentem vel ignitum, benedictio dulcis. Ita hic medium umbrae, id est, umbrosum seu tenebrosum. Vallis umbrae, id est, umbrosa, et iterum, umbra mortis, id est, umbra mortitia, seu tenebrae, quae sunt in morte.

Non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Ingens fiducia, non solum non pati, sed nec timere malum, id est, poenas in morte, per virtutem fidei.

Non frustra verbosus fui in hoc versu. Quin addo amplius, pulcherrime nos hic erudiri, quo animo, qua cogitatione mors sit subeunda, nempe praeter dominum Jesum nihil prorsus cogitandum. Ait enim: „Quoniam tu mecum es," id est, te cogito, tui fide ago, et sic nihil aliud meditor, quia umbra est et profundum in morte. Nihil video, quo aut qua venio. Hi vero, qui in agone constituti, omisso Christo solliciti sunt, ne in poenas eant, atque ut in coelum veniant, apertis oculis mentis optant sibi diem fieri, et apparere locum, in quem transmigrent. Sed vehementer horrebunt et torquebuntur, quia non apparebit prorsus ulla mansio, quae eos excipiat, sed horribilissimae tenebrae et incertitudo undique. Beati autem, qui tunc oculis omnino clausis nolunt apparere sibi locum, sed plena fide et memoria Christi sese tradunt in medias tenebras mortis. Hi enim in domino moriuntur. Igitur hic nobilissimus versus non est nisi perfectae gratiae vox. Natura autem sic potius dicit: Nam etsi ambulem in summo lucis vitae, adhuc timebo ma-

lum, quoniam ego solus sum, et tu non es mecum. Nam impiis etiam vita ipsa certissima horrore malorum plena est, cum piis mors incertissima securitate plena sit. Mira oppositio et controversia. Terret vivos impios sonitus folii volantis: et non terret mortuos pios horror aeternarum tenebrarum. Unde vulgo pulchre dicitur: Ich lebe und weiss nit, wie lang. Ich sterbe und weiss nit, wann. Ich fahr und weiss nicht, wohin. Mich wundert, dass ich fröhlich bin. Hoc solum cavendum, ne his verbis seductus studere incipiat in morte, ut sciat et sentiat, quo sibi migrandum sit; sed contra potius, ut dictum est, debet libens velle nescire, quo migret, sicut Abraham exivit terram suae nativitatis, nesciens quo iret. Nam si in vita ista praesentibus tentationibus in umbra alarum Christi sperandum est, quanto magis sub pennis ejus in morte et novissima tentatione sperandum est? Fixum est et ratum omnino, quod non est salus nisi in nomine Jesu, et in pennis ejus, qui est sol justitiae. Qui et ipse cum esset in cruce exemplar nostrum, non ait: O pater, quo vadam? quo migrabit spiritus meus? quis locus excipiet eum? utinam in poenas non iret! Utinam in quietem eum collocares! sed his omnibus tacitis vadit in tenebras medias mortis, dicens: „Pater in manus tuas commendo spiritum meum.“ Christus it in tenebras, et christianus optat in lucem statim transilire? Sanctus Stephanus, primus aemulator Christi, nec ipse dixit: Heu me miserum, quo quo ibo? vita ista recedit, alia nusquam apparet; sed ait: „Domine Jesu, accipe spiritum meum.“ Viderat quidem Jesum stantem a dextris virtutis Dei, sed tunc sane nihil vidit nequam, nisi Christum in corde, quando dixit: „Accipe spiritum meum,“ sed ambulavit in medias umbras mortis.

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Si quaereres et opponeres: Quomodo Christus tecum est David, cum nusquam appareat in morte et tentationibus? respondet: Non quidem secundum carnem et experimento meum est, sed verbo et sacramento suo. Verbum enim evangelii virtus Dei est, in salutem omni credenti, Rom. 1., per quod verbum fidei Christus in corde habitat. Ideo dicit: Tu mecum es, scilicet, quia virga tua, id est, verbum tuum me consolabitur, ut non timeam malum etiam in morte, sicut et psalmo 118.: „Lucerna pedibus meis verbum tuum." Et: „Sustinuit anima mea in verbo ejus." Virgam esse verbum satis ex psalmo 2. recognoscetur, quia dirigit animam in mediis tenebris mortis, ut 1 Pet. 1.: „Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui attendentes benefacitis, quasi lucernae lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris." Deinde idem verbum et baculus atque sustentaculum est, ne deficiat in ambulando. Nihil enim praeter verbum habemus et promissionem de Deo, donec ad eum perducamur. Quare qui nihil nisi Christum in morte cogitandum didicit, intelligit hoc ipsum verbum et promissum Christi esse.

Parasti in conspectu meo mensam.

Id est, ordinabis, praeparabis, ante faciem meam, in oculis meis, mensam, scilicet sacramenti corporis et sanguinis tui. Prope alludit ad figuram legis, ubi panes propositionis seu facierum (ut Hebraeus habet) significant memoriale passionis Christi in sacramento. Quid enim aliud est panis facierum seu propositionis, quam quod sunt in conspectu et in facie nostra, atque coram oculis propositi, ut assiduum memoriale et me-

numentum Christi, quod nunquam ex oculis nostris dimitti, nunquam oblivisci oporteat. Hic enim accipitur robur et consolatio, ac refectio mentis copiosissima. Neque enim aliud aliquid clarius mentem illuminat, cor fortius accendit, tristes consolatur suavius, quam memoria passionis Christi, quam utique in sacramento suo fieri praecepit. Quis enim mortem metuat, si in mentem ei venerit, quod dominus pro eo, ne mors praevaleret ei, mortuus est?

Adversus eos, qui tribulant me.

Cur timebo etiam in morte, cum tu contra omnem tribulationem et persecutiones mihi paraveris mensam? Pulchre et hic versus nos erudit, quid respondendum sit tribulantibus et accusantibus daemonibus, nempe solum Christum eis objiciendum, quia ille est paratus e regione tribulantium nos, ut non in nos, sed in Christum impingant et vincantur, sicut ait: „Confidite, quia ego vici mundum." Et iterum: „Venit princeps mundi, et in me non invenit quidquam." Igitur si tu trepidas conscientia malorum, oppone eis Christum, et plena fide dic: Si ego peccator, Christus meus bonus est, in quo omnia peccata mea mortua sunt, quia super lignum ille portavit et mortificavit.

Impinguasti in oleo caput meum.

Latine sic: Impinguasti caput meum oleo. Allegoria est per totum, pro eo quod est: Abundante gratia laetificasti spiritum meum, siquidem caput homini est mens seu potius spiritus, et id quo proximat Deo et coelo. Oleum seu unguentum est gratia Spiritus sancti. Impinguare vero non tantum ungere et oblinere, sed copiose et effuse incrassare laetitia significavit, ut sit plenum gaudium et pinguis laetitia cor-

dis. Eadem sententia psal. 4. dixit, sine allegoria: „Dedisti laetitiam in corde meo," quia et ibidem dixit de sacramento et fructu ejus, et quod in spe securus esset dormiturus seu moriturus.

Et calix meus inebrians, quam praeclarus est.

Repetitio ejusdem, quia fructus sacramenti est impinguare, non carne et sanguine, sed oleo gratiae et serenitate conscientiae, et inebriare non vino et sicera, sed eadem gratia et virtute. Exprimit autem duplicem speciem sacramenti, scilicet, mensam et panem, quae impinguant, et calicem ac vinum, quae inebriant, id est, utrumque eandem gratiam adauget fidelibus. Quod etiam psalmus quartus fecit, sine tropo dicens: „A fructu frumenti et vini sui." Hic pro frumento mensam, et pro vino calicem dixit, continens pro contento, per metonymiam. Veruntamen ista impinguatio et inebriatio non fit, nisi vacuis et esurientibus et sitientibus; ut Hierem. 31.: „Quia inebriavi seu irrigavi animam lassam," fastidiosos autem divites dimittit inanes. Verum illud: „Quam praeclarus est," ignoscendum est interpreti, quia non solum in hebraeo non est ita, sed etiam alius versus ibidem incipit et desinit, ut in hebraeo sunt: sed quoniam id huc usque nihil obstitit intelligentiae, non magni referre visum est. Igitur interpretis mens fuit: Calix meus quam praeclarus, id est, quam pulcher, amabilis, decorus, bonus est, ut illud sapientiae 16.: „O quam suavis est spiritus tuus domine etc." Sed hebr. sic incipit versus: „Etiam bonitas et misericordia persequetur seu subsequetur me."

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae.

„Tua" non est Hebraeis. Est absolutus sensus ta-

lis: Perseverabit mecum et perficiet me gratia et pax usque in finem. Quasi dicat: Peccatum et mala me prius premebant, at nunc refectus et sanatus, manebo in gratia et pace. Sic enim et vulgo dicitur: Ille est in gratia, seu permanet in gratia, sine additione Dei, licet subintelligatur. Sic psalmus 4.: „Quoniam tu domine singulariter in spe securum habitare fecisti me." Unde bonitas hoc loco est ipsa securitas. Securitas, pax, quies conscientiae, qua suavitate nulla est major, maximum scilicet donum Dei. Misericordia vero similiter hic creatum donum est, quod vulgo vocant gratiam justificantem seu gratum facientem, quod aliquoties sancta, sanctum, sanctus transfertur, ut actor. 15.: „Dabo vobis sancta David fidelia," pro: Dabo vobis misericordias David fideles, id est, gratiam in Christo justificantem David promissam et veram. Unde et apostolus in epistolis suis haec duo praemittit in salutationibus suis, dicens: „Gratia et pax," quod hic dicit: „Bonitas et misericordia." Igitur sensus est: Non tantum praesenter impinguatus et inebriatus sum, sed etiam perseverabit mecum pax et gratia in finem.

Et ut inhabitem in domo domini in longitudine dierum.

Id est, in aeternum, quoniam de ista vita dicitur: Breves dies hominis sunt. Beatus Hieronymus sic: Et inhabitabo in domo domini in longitudinem dierum. Et est medietas versus praecedentis, quoniam apud nos in duos dividitur. Non tantum omnibus diebus vitae hujus erit mihi pax et gratia, quibus peccatum expellitur, et conscientia securatur, sed etiam post hanc vitam in aeterna domo habitabo civis non hospes sed domesticus.

Ex versu sexto.

Magna fiducia nobis datur ad altare accedendi, si modo sumus esurientes et sitientes, et tribulati, quia parata est nobis mensa, non utique contra nos, sed pro nobis, contra eos autem, qui tribulant nos. Tribulant autem nos caro, mundus, daemones, magis autem peccata et misera conscientia. Caro, mundus, daemon tribulat ad peccatum contra gratiam. Conscientia vero daemonesque simul de peccato contra pacem cordis. Cum ergo gratia et pax in ista mensa nobis parata sit, quid est quod trepidas accedere? Si mordet conscientia de praeteritis peccatis, nusquam pacem invenies, nisi in hac mensa, sicut dicit: „In mundo pressuram habebitis, in me vero pacem." Si autem caro titillat libidine, mundus blanditur gula, avaritia, invidia, diabolus superbia et accidia, quo ibis nisi ad mensam gratiae? quae contra istos tribulantes tibi parata est. Sufficit si te invenias cupidum gratiae, et odientem carnis, mundi, diaboli blandissimas tribulationes. Unde Matth. 11.: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos."

PSALMUS VIGESIMUS TERTIUS.

Quae sit vera justitia, et quis verus populus Dei, contra superbiam justitiae ceremonialis, praecipue Judaeorum.

Titulus.: Canticum David.

Domini est terra et plenitudo ejus.

Id est, quidquid in ea est. Statim hoc verbo percutit Epicuraeos, quorum nunc magnus est numerus, qui non credunt res humanas, praesertim minutiores providentiae Dei subjacere. Unde in suis egesta-

tibus et infirmitatibus omnia, etiam diabolica quaerunt potius quam ipsum Deum, cum nec folium arboris cadat in terram sine voluntate ejus. Sed praecipue superbos percutit, qui se solos curae esse praesumunt Deo, omnes alios velut perditionis massam arbitrantes abjectam a Deo. Sic enim Judaei sese cunctis gentibus praeferebant, quasi aliarum gentium nulla ei cura esset.

Orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

Hic vel est tautologia, id est, ejusdem repetitio, vel quod prius de omnibus rebus terrae in genere dixit, hic in specie de hominibus dicit, quoniam ii sunt nobilior pars rerum in terra. Quod si de domino incarnato loquitur, ut beatus Augustinus intelligit, certe totum pondus verborum contra praesumtionem Judaeorum vertitur, quasi dicat: Non vos soli populus ejus, ecce dominatur in universo mundo Christus Deus, sicut figuravit Joseph in Aegypto. Ipse enim constitutus est super omnia, et omnia subjecta sub pedibus ejus. Non ergo in vestris ceremoniis artatur regnum ejus.

Quia ipse super maria fundavit eum.

Id est, ad vel juxta maria. Maxima et potior hominum pars in littoribus marium et fluminum habitat, propter aquam.

Et super flumina praeparavit eum.

Hebr.: Stabilivit eum, quia virtute Dei fit, ut maria et flumina non subvertant urbes in littoribus sitas. Qui autem hunc versum intelligunt physice magis quam cosmographice, scilicet, quod tota terra sit cir-

confluat mari, et natet in aqua, ut in fundamento mirabili, debent nobis dicere, quae tunc sint flumina, super quae fundatus sit orbis, ut illud omittam, quod pluraliter dicit „maria“, ut non oceanum ipsum, sed stagna et lacus more hebraico significet, ut manifestum sit, quod terram et orbem potissimum habitabilem in littoribus intelligat. Allegoria vero beati Augustini haec est: Quod Christus incarnatus, Deus super maria et flumina, id est, super fluctus et instabiles saeculi motus, et persecutiones populorum ecclesiam suam posuit, et in mediis illis conservat. Verum non sequor nunc illum sensum.

Quis adscendet in montem domini?

Id est, in ecclesiam Dei. Haec enim in prophetis vocatur mons domini. Isaiae 2. Mich. 4. etc.

Et quis stabit in loco sancto ejus?

Ejusdem repetitio, nisi quod statio illa servitutem significat, ac si dicat: Qui putas sunt, qui vere serviant Deo in ecclesia ejus sancta? Ad hanc autem quaestionem cito respondent superbi: Nos, nos, scilicet, praesertim Judaei. Nam ab initio mundi fuit duplex generatio quaerentium Deum, et durat etiam nunc usque in finem mundi. Prima quae sine corde, sine gratia, sine spiritu, tantummodo externis operibus, ritibus, sacrificiis, ceremoniis Deo serviebant et serviunt, ut olim Cain, obtulit quidem munera, sed subtraxit cor et personam. Ita de Judaeis dicitur psalmo 11. [78.]: „Cor autem eorum non erat rectum cum Deo, et lingua mentiti sunt ei“. Ita nunc quoque in ecclesia, plena sunt omnia superstitionibus ceremoniarum, adeo ut sacerdotes et religiosi populorum rectores, qui eas debuerant minuere, prae ceteris omnibus

augent et multiplicant. Non quod preces, cantus, organa, ornamenta, imagines, lumina, vestes, et gestus corporum, rasurae, et alia, quae passim cernuntur, mala sint, sed quod non ex illis nec propter illa quisquam populus vel membrum Christi sit, quia sine illis esse possit et sit, ut infra docebit spiritus, qui sic respondet quaestioni.

Innocens manibus.

Qui mundus, purus, sine peccato fuerit.

Et mundo corde.

Id est, etiam purus a voluntate et concupiscentia mali. Non ait: episcopus, papa, doctor, apostolus, princeps, rex. Non ait: sacerdos, religiosus, monachus. Non ait: vir, mulier, puer, senex, virgo, vidua. Non ait: Graecus, Latinus, doctus, sapiens, potens, dives, quia apud Deum nullius est talium et similium personarum respectus, sed nec contrariarum personarum contemtus, quia haec omnia sunt damnata, si sola sint. Imo quod magis movet, nec ille, qui tot vel tot psalmos orat, cantat, nec qui tot dies jejunat, nec qui tot noctes vigilat, nec qui sua erogat pauperibus, nec qui alios docet, nec qui mitis, humanus, affabilis est, breviter, nec ille, qui omnes scientias, omnes linguas, omnes virtutes, omnia opera habuerit, quae unquam et usquam scripta dictaque sunt, tam in profanis quam sacris literis: sed ille solum, qui hoc unicum habuerit, ut sit mundus intus et extra in spiritu et carne, etiamsi omnibus illis praedictis vacuus sit (si possibile esset). Nonne sunt haec mirabilia? Sed audi mirabiliora. Quis ergo est ille sic mundus et purus? Respondetur: Nonnisi unus Jesus Christus. Ceteri omnes immundi, nec

prorsus mundabiles ex suis viribus, sed sola gratia infusa illis per Christum. Nam nullus est, qui mundum se manibus et corde audeat gloriari, nec etiam apostoli et prophetae. Igitur christianus mundus est manibus et corde, id est, incipit mundari, sed adhuc in multis immundus est. Unde Christus: „Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit, ut fructum plus afferat.“ Non enim ferret fructum, nisi mundus esset, et tamen purgatur mundus utique ab immunditiis.

Qui non accepit in vano animam suam.

Hebraice: Qui non exaltavit frustra animam suam, id est, qui non sibi placuit et praesumsit superbus, sed potius qui humiliat animam suam, et odit, secundum verbum Christi, vilescens ipse sibi in omnibus. Porro nostra translatio non inepte hanc superborum pestem expressit, quia accipiunt scilicet in vano animas suas, id est, eligunt, ceteris despectis, acceptant se ipsos, et in oculis suis sibi justi, sancti, mundi videntur. Ideo extra ipsos nihil est eis mundum, omnia sordent, quaecunque alii fecerint dixerintque. Quo vitio impossibile est carere eos, qui aliquam praedictarum personarum habent sine gratia Dei, praecipue eos, qui in eruditione sacrarum literarum, et bona vita praestant. Horum superbia ut est incognitissima, ita curatu difficillima. Ideo pulchre dicit: „In vano“, imo ad vanum, quia cum id, in quo se ipsos acceptant, et sibi placent, non sit Deus, sed creatura, vanum eis sit necesse est. Etenim „qui gloriatur, in domino glorietur,“ et: „In domino laudatur anima mea,“ id est, vituperabitur in memet ipso, et confundetur in se ipsa, ac sic depressa et humiliata, Deo digna efficitur.

Puto autem, quod hanc partem versus potissimum

adjecerit, quia solent temerarii illi hypocritae etiam de se ipsis pronuntiare mundos se esse manibus et corde, sine omni timore. Et sane eruditissimos et exercitatissimos video et audio, qui nihil verentur asserere sese habere piam et bonam intentionem, item non sese quaerere gloriam et famam, non se cupere aurum, non concupiscere carnem. Qui si se ipsos agnoscerent, et gratiam Dei sentirent, vehementer puderent, quod non contraria de se pronuntiassent, et mentiti fuerint sibi ipsis. Igitur hoc argumento quam maxime deprehendes mundos ab immundis: quia mundi humiliant animam suam, et immunditiam suam et vident et confitentur, munditiam vero prorsus ignorant. Immundi vero contra immunditiam ignorant, et munditiam et vident et profitentur, ac sic etiam per munditiam suam sese polluunt pejus.

Nec juravit in dolo proximo suo.

Jurationem lex vetus laudat, sed dolosam, et perjurium duntaxat arguit. Praecipit enim, ut in nomine domini juretur, et laudabuntur omnes, qui jurant in eo. Sic hic dolosam jurationem taxat. At Christus Matth. 6. videtur omnino jurationem prohibuisse, dicens: „Ego autem dico vobis, non jurare omnino,“ id est, nullo modo jurandum esse, sed intelligitur Christus quoad animi voluntatem et praeparationem, quod christianus, quantum in eo est, non juret omnino, nisi cogatur obsequi alienae tarditati vel infirmitati, sicut et praebere maxillam alteram jubet etc. Tunc jam nec jurare quidem dicendus est, sed ex caritate alteri obsequi. Ac sic oportet jurare in hac vita, sicut oportet habere divitias, vitam, sanitatem, amicos, honores, et reliqua hujus mundi bona: et tamen oportet ea non habere,

sed omnia relinquere et abnegare, id est, affectu carere illorum, et effectu possidere illa. Nihil habentes, et omnia possidentes, et qui habent tanquam non habentes, sic necessitate vitae sumus divites, sani, gloriosi, et tamen voluntate spiritus pauperes, infirmi, despecti. Sic necessitate vitae omnino jurandum est, et tamen voluntate cordis non est jurandum omnino, et ita dum juramus, non juramus, et dum divites sumus, pauperes sumus. Christus enim spiritualis magister est, spiritum et cor erudit, externa autem lex erudit, et hominum traditiones, sunt enim qui voluntate cordis divites sunt, et habent omnia bona mundi, licet necessitate foris sint pauperrimi et miseri. Ita sunt, quibus major est libido jurandi in corde, quam necessitas foris in opere. Hos Christus taxat et arguit, cujus verba spiritus sunt, et spiritum ponderant ac judicant.

Itaque hoc versu exprimit habitum justi viri erga proximum suum, qui praecipuus est in fide: nam sine fide non stant mutua commercia et conversationes. Sed tamen in hebraeo non habetur „proximo suo", sed tantum: Nec juravit dolose.

Hic accipiet benedictionem a domino.

Quasi dicat: Talis quicunque fuerit, sive Judaeus, sive gentilis, sine differentia personarum. Et solum talis benedicetur a domino, id est, gratiam consequetur, quae est spiritualis benedictio.

Et misericordiam a Deo salutari suo.

Id est, a Christo, qui est Deus verus salutare Dei. Sed hebraeus textus meo judicio aliud quid habet, scilicet, ut et hic versus pertineat ad catalogum virtutum, quas in justo viro in praecedentibus

descripsit. Dicit enim sic: „Accipiet benedictionem a domino, et justitiam a Deo salutari suo,“ ut sit sensus: Hic adscendet in montem domini, qui praeter jam dicta etiam hoc habet, quod a solo Deo accipit justitiam et benedictionem, hoc est, qui non se ipsum justificat, nec suis meritis justitiam sibi arrogat, sed ex misericordia et benedictione Dei justificatur. Non enim sunt ulli justi, nisi qui gratuita misericordia justificantur, ante omnia merita sua. Sic psalmus 4.: „Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in domino.“ Sperare in domino, et omnia de manu ejus exspectare, et suum nihil manifestare coram Deo, hoc est veritatem facere, et justitiae sacrificium sacrificare. Igitur sensus omnium istorum versuum est: Beatus qui mundus est, id est, pauper et peccator, et fidelis proximo suo, in solius Dei misericordia confidens. Haec est, ut sequitur:

Haec est generatio quaerentium faciem Dei[a]) Jacob. Sela.

Hic finit quaestionem, et concludit, quis adscendat in montem domini, quis sit justus, quis populus Christi. Nam et alii fortiter credunt sese quaerere dominum, sed nesciunt, quod quaerunt se ipsos et sua etiam apud dominum, quae est horrenda immunditia. Proinde nostrae quoque aetati condolendum est, qua tanta caecitas etiam in iis, qui sunt optimi, ut omnia alia tentent, quibus ad Deum veniant, praeter ea quae in hoc psalmo quotidie legunt, orant, docent. Tot decretis pontificum, tot ritibus, tot orationibus, tot indulgentiis, tot ceremoniis premitur christianitas, ut legem Mosi bis rediisse suspicandum sit. Ad puritatem cordis et mortificationem veteris hominis, quae sola lex

a) Hebraeus habet tuam pro „Dei“, ubi manifeste Christum Deum et hominem signat.

Christi requirit, adeo per illas superstitiones non perveniunt, ut nullis rebus magis impuritatem cordis gignant, nullaque via veterem hominem magis confortent, quam ea ipsa, qua ad dominum siti videntur. Siquidem non invenies instabiles, pertinaciores, iracundiores, superiores, amariores, qui alios facilius judicent, damnent, despiciant, sua vero jactent et sibi placeant, et ut uno verbo comprehendam, pejores, et a christiana humilitate et caritate remotiores, quam eos qui toto die orant, celebrant, jejunant, habitu sacerdotali vel religioso et rasura eminent, qui ecclesias aedificant, et vigilias atque alia officia, futuras scilicet abominationes, et maxima taedia Dei et hominum instituunt. His autem, qui peculiaribus praeter haec studiis incedunt, suis a se electis rosariis, coronis, septenis et incredibilis numeri superstitiosis orationibus, ut sunt sanctae brigittae, ut omittam orationes indulgentiarum maximarum, his inquam nescio an inter homines quid superbius et deterius inveniri potest. De iis enim Micheas inquit: „Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est, et qui optimus in eis, est sicut paliurus. Et qui rectus in eis, quasi spina de sepe." Nam ii sua studia non modo licita aut innoxia, sed extremae sanctitatis miracula habent, ut idem propheta ait: „Malum manuum suarum dicunt bonum." Sed sisto hic, quia sedet leo in insidiis, et pighardus haereticus proximus est, qui quidquid sic loquimur, pro se dictum accipit. Adeo difficile et periculosum tempus nunc est, ut aut haereticis placendum sit, si christianos reprehendimus, aut christianos seducere oporteat, si haereticis resistimus. Ridet enim etiam haereticus pighardus superstitiosas ceremonias catholicorum. Verum ita ridet, ut despiciat superbus, non autem ut compatiatur misericors. Non

enim diffugeret, et errantes deserendo sectam propriam erigeret, sed accederet manumque, quam errantibus porrigeret, onera aliorum portaret, et communi caritate juvaret. Ita fit, si magnificamus ceremonias nostras, ut pighardos confutemus, credent simplices catholici totum pietatis pretium in illis consistere, quod jam diu satis nimis credunt, ut non credere potius docendi sint. Rursum si hoc facimus, triumphat haereticus, et insultat victor pighardus, cum illius sermones et nostri quantum sunt sono et syllabis simillimi, tantum sunt sensu dissimillimi. Nam et pighardus et asinus sunt simillimi, si utrumque tantum ut animal inspicis: at non ideo pighardus velit asinus esse. „Penna struthionis, ait dominus ad Job, similis est pennae accipitris." Loquitur enim de haereticis, qui quanto sunt veris catholicis similiores, tanto sunt utique pestilentiores, quia optima specie fallunt. Sed ad psalmum redeamus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, hoc est, quod quaerunt faciem Dei Jacob, id est, visionem. Quaerunt autem non nisi per puritatem cordis, sine qua nemo Deum videbit, ait apostolus, adeo ut eam vocet sanctimoniam, velut sanctam munditiam.

Attollite portas principes vestras.

Id est, sacerdotes et seniores populi, levate mentes vestras. Sed quae ratio consequentiae? quod decus transitionis? Non satis legi super hos versus, quae me quietum facerent, et praestaret etiam meo silentio fortasse honorem Spiritui sancto cedere magisterii, nisi quod etiam errore quandoque occasionem damus et accipimus invicem vera cognoscendi, imo quod errare non possit, qui Christum ubique videt, etiamsi sensum literalem non ubique videt. Sensus itaque esto, quod

proceres Judaeorum, et universi magistri populorum, usque in finem mundi, utique primi debent esse ii, qui veram justitiam cognoscant, cum populi non nisi per ipsos cognoscant, totaque salus ecclesiae et in bonis pastoribus, et fructus vineae in operariis illius. „Si enim sal infatuatum fuerit, in quo salietur terra?“ Et: „Si caecus caecum ducit, nonne ambo cadunt in foveam?“ Quare primum et potissimum principes jubet spiritus, ut elevent portas suas, et mentes in sublime erigant, ut non sint viri gravi corde, qui depressis in tempora mentibus non nisi terrena sapiunt, quomodo et poeta Persius ait: O curvae in terras animae coelestium inanes, sed potius coelestia discant sapere et intelligere, fide enim opus est. At fides non est, nisi Christus per verbum suum intret in corda eorum, sed nec intrare potest, nisi sint dociles, et sese sinant elevari, et sursum duci ad coelestia et spiritualia, hoc est, nisi in obsequium verbi sensum captivent, et solitum gustum terrenorum avertant. Proinde si ex praedictis quaereres: Quomodo ergo efficiemur mundi manibus et corde, et generatio quaerentium Deum? respondet sicut Moses: „Prope est verbum,“ non est opus mare trajicere. Id tantum cura, ut cor eleves, et sinas intrare verbum Christi, ut docibilem te praebeas. Qua sententia et 4. psal. dixit: „Leva super nos lumen vultus tui.“ Arduum est enim lumen fidei, nec nisi elevatis mentibus a terra lucet, quippe cum non nisi coelestia ostendat, et terrestria abscondat.

Et elevamini portae aeternales.

Ταυτολογικῶς repetit idem. Vocat autem portas aeternas, quia mens hominis immortalis est, in aeternum erit porta intranti Deo. Non enim semel intrabit cor et cessabit, sed aeterno introitu, sicut sol perpetuo radio domum intrabit.

Et introibit rex gloriae.

Id est, Christus per verbum et credulitatem cordis. Hoc autem verbum est petra scandali et lapis offensionis. Fecit enim, ut minor pars principum levaret portas suas et intromitteret Christum, sicut et hodie paucissimi intromittunt. Apostoli quidem et eorum similes successores intromiserunt, sed ceteri offensi sunt et clauserunt portas suas. Judaeis enim et gentibus stultissimum erat audire maximum hunc titulum de eo, quem crucifixum et mortuum ac penitus hominem ignominiae noverant, ideo magna elevatione opus fuit, hunc credere regem gloriae et dominum omnium, qui factus fuit novissimus virorum. Sed et nunc quoque Christus venit in minimis suis ad maximos suos, venit in ignominiosis suis ad gloriosos suos, venit in stultis suis ad sapientes suos, quem in iis omnibus non solum non intromittunt apertis portis, sed etiam persequuntur ac detrahunt. Siquidem nusquam veritas evangelii est invisior quam apud ecclesiae magnates et eos, qui videntur regere populum. Statim enim ut audiunt verbum regis gloriae sonans in humilitate praedicantis, cum Judaeis dicunt: Num iste rex gloriae? Ista sunt vera? Christus haec mandat? etc.

Quis est iste rex gloriae?

Hoc potius contemtum quam admirationem habet. Quasi dicat: Imo crucifixus ille, quem tu praedicas, vermis est ignominiae. Sic psalmus 4.: „Multi dicunt: quis ostendet nobis bona?" quasi dicat: Quae Christus plenus malorum nobis potest bona ostendere? Et dicunt ei Lucae 4.: „Medice cura te ipsum."

Dominus fortis et potens, dominus potens in proelio.

Responsio spiritus per os depraedicantium Christum.

Nescio, si mihi liceat differentiam dare inter fortis et potens, cum tanta confusione interpretes ista vocabula transtulerint, et pro synonymis ea fuisse ab illis habita non possit negari. Quantum autem ego consequi possum, primum, fortis, significat substantialem ipsam fortitudinem seu potentiam, secundum autem, potens, ipsam vim ac violentiam, velut usum et impetum fortitudinis, ut sit fortis, qui potest, et vires faciendi habet, sed potens, qui rem vi et potenter conficit. Sic beata virgo: „Fecit mihi magna, qui potens est," id est, ille potens operator omnium. Isaiae 28.: „Ecce fortis et validus dominus, sicut impetus grandinis, sicut turbo confringens, sic impetus aquarum multarum inundantium." Sed ad sensum Christum esse fortem et potentem, et quod maximum est, potentem in proelio, nec in ejus nec in omnium suorum persona apparuit, sed contrarium, impotentia, oppressio, et occubitus in bello. Ideo stultis haec sunt stulta, nec nisi fide et auditu capiuntur. Ideo solum praedicantur, non ostenduntur. Fuit autem fortis in occulto, et potens praecipue in bello passionis, suae et omnium suorum, quia per vim vicit vincitque mundum et diabolum, ut Johannes ait: „Haec est victoria vestra, quae vincit mundum, fides vestra."

Attollite portas principes vestras etc.

Repetit exhortationem, quia haec controversia durat in finem mundi, semper humilibus Christum praedicantibus et superbis Christo resistentibus. Hoc autem non praetereundum est, quod Heb. in istis versibus sic habet: Levate portae capita vestra, et elevamini januae sempiternae etc. Sed sensus idem permanet. Nam principes populorum sunt portae, per quas populus intrat ad coelorum regnum, quorum

capita sunt mentes earum. Sic enim dominus ait: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,“ id est, potestates daemonum in mundo principantium.

Quis est iste rex gloriae?

Adhuc resistunt Christo et verbo ejus, sed non praevalebunt in finem.

Dominus virtutum.

Id est, exercituum, zebaoth.

Ipse est rex gloriae. Sela.

Permanet enim rex gloriae in aeternum, cui exercitus angelorum et sanctorum in terra servivit.

PSALMUS VIGESIMUS QUARTUS.

Oratio Christi in persona ecclesiae suae, ut ait Augustinus, remissionem peccatorum et gratiam, atque ab inimicis liberationem postulantis.

Titulus David.

1. Aleph. Ad te domine levavi animam meam.

Id est, oravi. Est enim descriptio orationis, quae est adscensus seu levatio animae ad Deum. Notandum, quod hic psalmus alphabetarius est, sed deficiunt duae literae, quff et vau. Ceterae etiam non sunt satis apte dispositae, ut appareat prophetam non magna cura earum dispositionem ordinasse.

2. Beth. Deus meus in te confido, non erubescam.

Tu Deus meus, ego autem nihilum meum, in te

confido, quia de me diffido, in te non erubescam, quia in me erubesco. Antequam homo suum nihil videt, est ipsemet Deus, in se confidit, de se gloriatur: postquam venit tentatio, confunduntur haec omnia et pudet eum sui vehementer.

Neque irrideant me inimici mei.

Id est, obsecro, ut non erubescam, neque fiam ludibrium et gaudium inimicis meis. Quid enim gratius inimicis quam confusio ejus, quem oderunt? Sed valde in genere loqui videtur propheta, ideoque obscure, ut nescias, quos inimicos, quem pudorem timeat. At consequentia et contextus psalmi ostendit eum vexari a justitiariis superbis, et timere, ne vere ita apud Deum confundatur in peccatis suis, sicut illi exprobant, de quorum operibus fere totum psalterium, ut saltem major ejus pars resonat. Quin et tales plurimum negotii praebent vere justis et humilibus.

3. Gimel. Etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Idem verbum, quod supra „erubescam“ dixit. Sustinent autem, qui in ludibriis et malis non deficiunt, nec Deo tempus aut modum liberandi stulta oratione praescribunt.

Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

Id est, confundentur, in futuro, vel utinam confundantur, in praesenti, ut salventur. Hic incipit aperire, qui sint inimici, et in quo eum persequuntur, scilicet, qui traditiones hominum praeferunt legi Dei. Ideo „supervacue,“ id est, in vanum operantur justa, quia vere sunt potius iniqua. Sic Judaei apostolos,

---

Coburgi in arce parietibus inscripta a Doctore Luthero.

Non moriar, sed vivam, et narrabo opera domini.

Psalm. I.

Iter impiorum peribit.
Es währt aber lang. Harre doch.

Psalm. LXXIII.

Pauper et inops laudabunt nomen tuum domine.
Denn die Andern dürfen dein nicht.

D. MARTINI LUTHERI
EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVIT

Dr. JOAN. CONRAD. IRMISCHER,

ECCLESIAE NEOPOLITANAE ERLANGENSIS PASTOR ALTER.

VOLUM. XVIII.

CONTINENS: ENARRATIONES PSALMORUM II. XLV et XC.

ERLANGAE
SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.
MDCCCXLVII.

ENARRATIO PSALMI SECUNDI.

Hanc psalmi secundi enarrationem Vitus Theodorus, cum anno 1532 Vuitebergae Lutheri praelectionibus academicis interesset, calamo excepit et anno 1546 typis excutiendam curavit. Quam editionem Jo. Jac. Rambach anno 1728 Halis Saxoniae repetiit, hac sub inscriptione: Martini Lutheri commentarius succulentissimus in psalmum secundum in usum eorum, qui sacris litteris operantur, separatim editus. Cum animadversionibus et prooemio de latina Lutheri dictione. 8°.

Editio princeps.

NARRATIO | Psalmi secundi, a Reveren- | do D. Martino Luthero dicta- | ta, et collecta a Vito The- | odoro Noriberg. | NARRATIO CAP. | noni Esaiae a D. Martino Luthe- | ro dictata, et a Johanne Fre- | dero collecta. | (Cum praef. Viti Theodori ad Georg. Vogler, et Jo. Frederi ad Nicol. Amsdorfium, Episcopum Numburgensem.) WITEBERGAE | per Johannem Lufft. | 1546. | 8. (Bibl. acad. Jen. Op. th. V, o. 12.)

In collectionibus.

Vuiteberg. III. 391. Jen. IV. 750. (734) German. Altenb. V. 1134. Lips. VI. 1. Walch. V. 104. Nos editionem Viti Theodori secuti sumus.

VIRO CLARISSIMO VIRTUTE PRAESTANTI DOMINO

GEORGIO VOGLER

VITUS THEODORUS, NORIBERGENSIS,

S. D.

Non soli Timotheo, sed omnibus gubernatoribus et ecclesiae doctoribus, imo omnibus qui recté doctrinam evangelii perceperunt, mandat Spiritus sanctus in concione Pauli, ut bona fide tanquam magni pretii depositum et thesaurum puram evangelii doctrinam custodiant, et ad posteros incorruptam transmitti curent. Major unicuique patrifamilias cura esse debet relinquendi liberis evangelii quam patrimonii, ac pius et sapiens paterfamilias hoc ducet esse praecipuum patrimonium, inserere mentibus liberorum veras sententias, easque assiduis exercitiis confirmare, et instruere suos et alios utilibus scriptis, ut posteri vere agnoscant, invocent, celebrent Deum. Nam propter hanc causam unam conditum est et propagatum genus humanum, ut simus Dei templa, et Deus vere agnoscatur, et ejus bonitas conspiciatur, imo ut bonitatem suam ipse fruendam nobis praebeat, nosque sua luce, sapientia, justitia, perpetuo ornet.

Haec vero beneficia nemini contingent, nisi has ipsas spretas ab Epicuraeis pagellas prophetarum et apostolorum et verarum enarrationum legerit, audierit, didicerit, amplexus fuerit, asservaverit. Has vult Deus custodiri, has vult monstratrices, testes et pignora esse suae voluntatis, imo harum voce vult in mentibus discentium accendere novam lucem et justitiam.

Quare praecipua omnium hominum cura esse debet, ne libri prophetici et apostolici intereant, sed ut exstent, sint in manibus, legantur, audiantur, intelligan-

tur, amentur, regant mentes in invocatione et in moribus. Sed quia a profana multitudine superbe contemnantur, et multi in hoc ipso coetu, qui sibi titulum arrogat ecclesiae Dei, pro his scriptis, aut epicuraeas opiniones aut tetras superstitiones amat, etiam propheta Esaias Deum orat, ne aboleri veram et incorruptam doctrinam sinat, sed servet eam in aliquibus.

Sic enim inquit capite octavo: „Obsigna legem in discipulis meis. Exspectabo dominum etc.“ quasi dicat: Video secuturas esse tristes tenebras, et oblivionem verae doctrinae, confusiones opinionum de Deo, et fanaticos furores. Nostrae conciones ex sinu aeterni Dei prolatae audacissime dilacerabuntur pharisaeorum corruptelis. Sadducaei prorsus abjicient eas et ridebunt, et palam tollent doctrinam de immortalitate, ut Cyclopes.

At interea tamen pro tua immensa misericordia juxta promissiones aliqua erit ecclesia tua, ex his nostris auditoribus propagata, qui erunt verae doctrinae custodes, et ut ita dicam, tua schola et bibliotheca, Zacharias, Simeon, Elisabeth, Maria, et alii multi. His quaeso meis discipulis, legentibus et discentibus haec nostra scripta, tuam σφραγῖδα imprimito, id est, Spiritu sancto in mentibus eorum accende lucem tuam, et flecte eas ad veram invocationem, nec sinas prorsus exstingui tuam doctrinam, sed reliquum sit semper aliquod agmen, quod te invocet et celebret, nec te contumelia adficiat, velut maxima pars reliqua generis humani, partim epicuraea, partim fascinata idolomaniis.

In hac Esaiae precatione imaginem vides nostri temporis. Quoties adspexi jam Ratisbonae stans in ripa flumen Danubii ingens et rapidum, gemens cogitavi, non si tantum lacrymarum fundere possem, quantum undarum volvit hoc flumen, exhauriri meus dolor posset, quem circumfero propter ecclesiae dissipationem. Crescit

nem, agnoscunt voce ejus divinitus emendatos esse multos tetros errores, qui antea haeserunt in ecclesia, et salutarem doctrinam monstratam esse.

Quae potest esse invocatio Dei in mente fugiente Deum, quae consolatio in veris pavoribus animi sentientis iram Dei? si ignorent homines doctrinam de fide, luctante cum dubitatione et vincente pavores, et retineant opinionem ex lege sumtam: Recipiet te Deus, cum eris dignus. Sic sentiens animus horribiliter fremit adversus Deum, at multis saeculis docuerunt monachi, in hac dubitatione manendum esse.

Hunc errorem taxavit Lutherus, ac ostendit mandatum Dei esse, ut perterrefacti agnitione irae Dei adversus peccatum, statuant vere se recipi in gratiam propter filium mediatorem gratis, et hac fide ad Deum accedendum et eum invocandum esse, ac fugientem animum propter nostram indignitatem revocandum esse. Hanc doctrinam necessariam esse ecclesiae, pii omnes intelligunt. Jam hujus sententiae explicatio, quam multa complectitur, discrimen legis et evangelii, totam de poenitentia doctrinam. Postea ut fit in qualibet explicatione vicinas materias illustrari necesse fuit, ostendit discernenda esse opera mandata lege divina a ritibus, qui audacissime humano consilio instituti aut depravati sunt.

Has et alias multas partes doctrinae ecclesiasticae cum manifestum sit recte a Luthero illustratas esse, pietas est non oblivisci nec abjicere dona Dei, sed fideliter ejus lucubrationes custodire et posteris commendare.

In hoc ipso psalmo concio est de fide: „Beati omnes, qui confidunt in eo.“ Hic si sequaris monachorum enarrationes: Si eris dignus, confidito, haec enarratio mentem pavidam, quae cernit indignitatem suam, deterret, ne confugiat ad filium Dei.

At si scias hanc consolationem propositam esse

hanc ipsam ob causam, ne indignitate nostra deterriti fugiamus Deum, sed sciamus nos propter mediatorem gratis recipi, ac mandatum Dei immotum esse, ut hoc credamus, et id de voluntate Dei erga nos statuamus, psalmus et perspicuus erit, et dulcescet.

Saepe autem audivi de talibus materiis dicentes monachos apud populum falsa et inextricabilia, quae nec ipsi intelligebant, nec populus, ut talis videretur concio, qualis in graeco versu describitur:

τοῖά γε τοι τυφλὸς παρὰ κωφὸν ἔοικε λαλῆσαι.

Has igitur explicationes a Deo voce Lutheri patefactas amemus et amplectamur. Ac tibi quidem Georgi hanc lucubrationem ideo inscripsi, quia te piis studiis favere scio, et optare, ut Lutheri monumenta ad posteritatem perveniant. Spero igitur tibi et officium nostrum et munus gratum fore. Pro quo hanc referri ecclesiae gratiam a te volo, ut cum meis et aliorum piorum precibus tuas conjungas, ac nobiscum ores Deum, ut ecclesiam sibi deinceps quoque in his regionibus colligat et collectam regat, juvet doctrinae studia, servet politias, quae sunt hospitia ecclesiae Dei, et tueatur disciplinam. Haec summa bona scimus a Deo petenda et exspectanda esse, scimus etiam non esse irrita nostra vota.

Etsi enim multi ignorantes Deum et ecclesiae gubernationem ita cogitant, ut ille apud Platonem disputat, τύχαι παντοῖα πίπτουσαι παντοίως νομοθετοῦσι, id est, casu stare et ruere politias, tamen nos scimus Deum suae ecclesiae custodem esse, et propter eam hospitia defendere.

Te igitur omnipotens et vive Deus, aeterne et unice pater domini nostri Jesu Christi, conditor omnium rerum et opitulator, et conditor ecclesiae tuae, una cum filio tuo coaeterno domino nostro Jesu Christo, et

Spiritu sancto tuo effuso in apostolos paracleto, sapiens, bone, misericors judex, fortis, caste, verax et liberrime, oro ut propter Jesum Christum filium tuum, dominum nostrum crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σου, quem admirando consilio voluisti pro nobis fieri victimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, miserearis invocantium te, et nos Spiritu sancto tuo regas, colligas tibi in his regionibus ecclesiam te in vita aeterna celebraturam, et defendas earum hospitia, amen.

Datae anno 1546 die quo filius Dei ante annos 1547 humanam naturam in utero virginis Mariae assumsit, et quo ante annos 5508 Adam conditus existimatur.

PSALMUS II.

Quare tumultuantur gentes, et populi meditantur inania?

Consurgunt reges terrae, et principes consultant simul, adversus dominum et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis funes eorum.

At habitator coeli ridet, et dominus subsannat eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitui regem meum super Zion montem sanctum meum.

Praedicabo statutum, quod dominus ad me dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos sceptro ferreo, et ut vas figuli confringes eos.

Nunc ergo reges erudimini, sinite vos castigari judices terrae.

Servite domino in timore, et exsultate in tremore. Osculamini filium, ne irascatur, et pereatis subito, quoniam brevi exardescet ira ejus. At beati omnes, qui sperant in eum.

PRAEFATIUNCULA IN SECUNDUM PSALMUM.

Est sane nostra conditio, qui servimus ecclesiae, et docendi munus sustinemus, admodum exigua et tenuis, si eam cum aliis professionibus compares, et mundi judicium sequaris. Fere enim pro labore reportamus odium, et non solum contemnimur superbe, sed etiam strenue esurimus, cum alii et in re bene lauta sint, et in summo habeantur pretio. Experimur autem hanc ob causam meliora ingenia nostrum hoc studium negligere et sequi potius eas artes, quae in quaestu et cum dignitate sunt. Sed si rem recta reputes via, theologus quantumvis miser et contemtus meliore loco est, quam omnes aliarum professionum magistri. Quoties enim suum administrat munus, non solum proximo suo praeclaram dat operam, praestantem omnibus omnium hominum officiis, quantumvis sumtuosis et utilibus, sed ipsi Deo in coelis gratissimum offert sacrificium, et vere vocatur atque est altissimi sacerdos. Totum enim hoc, quod theologus in ecclesia agit, pertinet ad notitiam Dei propagandam et ad salutem hominum.

Cum igitur divino beneficio sublatae sint abominationes impii sacrificii papistarum, missas dico, quas solas impius papa cum suis doctoribus sacrificii nomine ornavit, cumque restitutus nunc sit verus cultus, nempe praedicatio verbi Dei, quo et vere cognoscitur Deus, et ornatur, ego quoque tanquam unus ex numero sacerdotum Dei psalmum secundum volui in manus sumere et

explicare, non tantum, ut vos doceam et ipse discam, sed etiam, ut sacrificem Deo gratum sacrificium. Cur enim non sic appellarem hanc operam, quam ecclesiae Christi causa suscipio, quaeque tota ad gloriam Dei et hominum salutem comparata est, ac nobis in secundo et tertio praecepto mandata? Quomodo enim Dei nomine sanctius possumus uti, quam cum nos et alios instituimus verbo Dei? Quomodo tempus rectius possumus ponere, et sanctificare sabbatum, quam cum hisce miseris temporibus consolationibus scripturarum certissima eademque gravissima pericula mitigamus?

Conjungamus igitur studia et operas, ac vos audiendo, ego docendo, sicut nostra fert vocatio, praestemus Deo hunc cultum, quem ubique a nobis exigit, ut et in nobis ipsis tractatione hac verbi Dei confirmetur fides, et gloria Dei propagetur. Hoc est sacrificium Deo gratum et acceptum. His labiorum vitulis, ut propheta loquitur, capitur magis quam omnibus quantumvis sumtuosis et difficilibus operibus. Decet igitur nos ad tales operas tam sanctas, tam necessarias ac utiles, animo alacri accedere. Certi enim sumus, nos, dum haec agimus, non solum nihil peccare, sed occupari sanctissimis operibus, quae certum fructum eumque aeternum sunt allatura.

ENARRATIO PSALMI SECUNDI,

per D. Martinum Lutherum publice instituta, anno M. D. XXXII. mense Martio.

Porro hic secundus psalmus, sicut ex actis discimus, dedit primas preces et gratiarum actiones Deo in ecclesia novi testamenti [1]). Collecti enim discipuli tum canebant et laudabant Deum, ac precabantur, ut

1) Apostoli hoc psalmo se consolantur. Act. 4.

in tantis periculis et tanto furore adversariorum confirmarentur animi, et cum fiducia verbum praedicaretur. Is locus satis probat hunc psalmum eximii aliquid habere, siquidem apostoli recens Spiritu sancto impleti ac in prima tentatione seu paroxismo primo eum apprehendunt, orantes, et hoc modo tum consolantur, tum muniunt se adversus omnem vim hostium. Est autem utrumque nobis in his novissimis temporibus admodum necessarium, siquidem et vi et dolo, deinde variis scandalis et omni genere malorum propter verbum Dei a Satana et mundo impetimur.

Est autem propheticus psalmus [2]), in quo nos quoque laudabimus Deum, ac cum apostolis orabimus contra furorem mundi, et certo accipiemus cum apostolis consolationem, quam proponit abundantem, et bonis verbis ac sententiis expositam. Hoc enim argumentum David tractat, ut consoletur et doceat ecclesiam de regno Christi [3]) invitis potestatibus mundi et aeris propagando. Quare praecipue pertinet ad confirmandum articulum de novo testamento seu regno Christi, quod sit futurum spirituale regnum, quod Christus sit rex aeternus, nullum habiturus successorem, quod etiam sit sacerdos, qui doceat ecclesiam, imo quod sit natura Deus, et afferat ad nos aeternam justitiam et sapientiam. Haec cum explicantur, plena consolationum sunt, et tamen ostendit propheta hoc regnum in speciem adeo fore infirmum, ut putetur omnibus momentis casurum [4]). Non enim habet fundamentum aut robur aliquod visibile, quale regnorum mundi est, quae potentia, opibus, populorum numero et finium amplitudine nituntur. His omnibus praesidiis hoc regnum destitutum, sine funda-

---

2) Argumentum psalmi et praecipui ejus loci. 3) Regnum Christi. 4) Regnum Christi infirmum.

Papistarum scripta lege, audi conciones, et invenies hoc uno eos niti argumento, quod dicunt, nihil ex nostra doctrina enatum boni [11]), nam statim postquam evangelium nostrum sonuit, secutam seditionem horribilem agricolarum, orta dissidia in ecclesia et sectas, dissolutam disciplinam, ac quasi effractis repagulis legum summa licentia omnes coepisse uti, sicut profecto verum est. Major enim licentia omnium vitiorum nunc est, quam fuit superioribus temporibus, cum metu vulgus coerceretur, quod nunc tanquam effrenis equus pro libitu agit omnia. Nam ecclesiastica vincula contemnit, quibus prius sub papatu tenebatur, et abutitur quoque civilis magistratus negligentia. Haec incommoda omnia, quae neutiquam levia sunt, adversarii nostri nostrae doctrinae seu evangelio imputant.

Sed tu paulisper differ sententiam, et prius de tota re cogita diligentius, ac in formam dialecticam argumentum redige et adspice, num bona consequentia haec sit: Theologus iste est malus, ergo etiam theologia est mala. Jurisconsultus iste est nequam, ergo cognitio juris quoque est mala. Hic magister est scortator, ergo artes, quas profitetur, sunt scortatio. An non insanum dicemus, qui has consequentias defendat bonas et firmas esse? et tamen nihilo prudentius colligunt adversarii [12]). Verum hic psalmum adi hoc praedicentem, futurum, ut, cum hic rex incipiet regnum suum, hoc est, cum incipiet docere, sequantur fremitus gentium, tumultus populorum, pugnae et bella regum, studia et consilia principum. Contra quem? contra dominum et Christum ejus.

Igitur praemunito conscientiam tuam, et admonitus

---

11) Adversarii evangelio imputant turbas. 12) Argumentum adversariorum vitiosum est.

per Spiritum sanctum hoc in loco statue mundum tumultuaturum, causam autem horum tumultuum non in regem hunc nec verbum ejus conjicito, sed in Satanam et impium mundum, ac contrarium potius statuito, ac dicito[13]): Etsi mala sequuntur ad hujus regis doctrinam, tamen non ideo doctrina mala est, sed potius homines mali sunt, qui bonae doctrinae adversantur, et eam volunt oppressam. Haec enim est vera et certa consequentia, quod, quanto mundus studiosius huic sanctae doctrinae adversatur, tanto pejor et scelestior est, nec ob hominum vitium doctrina male audire debet. Judaei crucifigunt Christum, num igitur accusabimus ideo doctorem Christum? Praemunitos igitur esse oportet, ut dicamus: Quid ad Deum, quid ad verbum ejus, si homines mali sunt? Hominum enim hoc, non Dei vitium est, qui ideo mittit filium et verbum suum, ut homines salventur, sed si nolunt, pereant sua culpa. Christus non ideo desinet esse Dei filius, Deus non ideo abjiciet eum, quem constituit regem omnium.

Pertinet igitur principium hoc psalmi ad erudiendos nos, ut discamus regnum seu verbum Dei, cum venit, venire cum tumultu et furore regum et principum. Causam ostendit Christus in evangelio, cum dicit Satanam tanquam fortem armatum tenere atrium in pace, sed cum supervenit fortior, tum fremere, ac tentare omnia, sicut etiam historiae ostendunt[14]). Quoties enim Christus conatur ejicere Satanam, quantus furor, quantae intemperiae exagitant obsessos? Odit enim Satan Christum, odit verbum ejus, nec vult ei cedere, aut locum dare verbo. Igitur cum instat Christus, et cogit, indignatur ac furit, et experitur omnes vires

13) Vera consequentia ostendit, homines malos esse, non doctrinam. 14) Causa tumultuum et scandalorum Satan.

suas, commovet reges et principes, pontifices et episcopos, cives et rusticos, ut se opponant verbo.

Hoc adversarii nostri non vident, atque ita ostendunt, quod prorsus nesciant [15]), quale sit regnum Christi, tantum intelligunt, quid regnum mundi sit. Itaque cum in Christi regno pacem illam non vident, sine qua regna mundi consistere non possunt, damnant et abjiciunt tum verbum tum regnum Christi, et anteferunt mundi regna. Psalmus autem diversum nos docet, ut regno Christi adhaereamus, etiamsi tumultuentur omnes homines [16]). Quid enim hoc ad nos? Nostra enim pax est extra illum tumultum, et consistit certa, ac rex noster manet rex, etiam invitis inferorum portis et mundo. Hoc mundus, et qui sapientia mundi pollent, non vident, igitur magno studio id agunt, ut nos ab hoc rege avocent, et ad suas cogitationes nos abducant, ut nos quoque sollicite cogitemus de retinenda pace mundi. Hoc qui tentant, conferunt consilia, et sentiunt humana industria pacem retineri posse. Sed revera irriti et stulti hi conatus sunt, quos ideo suscipit mundus, quia hujus regni notitiam nullam habet. Quemadmodum enim frustra te tuis consiliis fatigas, ut diabolum coerceas, ne insurgat contra Christum, sic quoque frustra conaris cohibere ejus manus, oculos, linguas, pedes, hoc est, principes mundi et impios doctores. Cum enim vix hiscere ac mutire Christus incipit, mox Satan in suis membris furit, scintillant oculi, ardent manus et voluntates, ac commovet quidquid in mundo potentiae et opum est, ad verbum opprimendum."

---

15) Adversarii Christi regnum nesciunt, tantum sciunt, quid mundi regnum sit. 16) Frustra cogitari de pace retinenda, cum evangelium sonat.

Hanc tu disce causam esse, quod et nostro saeculo seditiones et tot in ecclesia impiae opiniones emerserunt. Est enim impatiens verbi Satan. Igitur cum Christus per evangelium suum nunc tonet in toto mundo, et idololatriam ac abominationem pontificiam revelet, scilicet taceret aut dissimularet tantum sui regni detrimentum Satan, quem vidimus tam atrociter saeviisse, cum a sancto viro Johanne Huss[17]) tantum moralia quaedam reprehenderentur, non enim ille, sicut nos, missae sacrificium, non merita, non alios cultus damnabat; vocabat in dubium primatum pontificis, indulgentias contendebat non vendendas, negabat purgatorium, quod videbat in tanto quaestu esse, et tamen ita commotus est Satan, ut simul Germaniam et Bohoemiam horribili et diuturno bello involveret.

Docet igitur et consolatur nos Spiritus sanctus in hoc psalmo[18]), ut fortiter huic regi adhaereamus, et in ipsum potius, quam in tumultus et alia scandala intueamur. Nam haec conditio regni ejus est, ut sine tumultibus esse non possit, non suo vitio, sed quia Satan et impius mundus ferre hunc regem non possunt. Hoc disce, et cum gliscunt tumultus, cum fremunt gentes, populi meditantur, reges insurgunt, et principes consultant de hoc rege opprimendo, tu magno animo esto, nec moveare eo periculo. Ita enim praedixit psalmus secundus futurum, ut commoveatur totus mundus, cum hic rex os suum aperiet. Quod igitur reges et principes hoc tempore contra nos insaniunt, quod Zinglius, Carlstadius et alii movent in ecclesia turbas, quod cives et rustici contemnunt evangelium, nihil novi aut insoliti est, neque nos eam ob causam abjiciamus evan-

17) Furor Satanae contra s. Johann. Huss. 18) Spiritus s. consolatur contra hoc scandalum.

gelium, sed contra gratias agamus domino, qui nos ad hoc regnum vocavit, quod merito anteponimus paci et opibus mundi, imo propter quod et tumultus et pericula omnia libenter sustinemus, de quibus etiam sequens versus vaticinatur.

Consurgunt reges terrae, et principes consultant simul, adversus dominum, et adversus Christum ejus.

Quatuor ordines hominum Spiritus sanctus commemorat, qui communi consilio huic regi se opponunt[19]. Primi sunt reges seu monarchae, qui dignitate et potentia excellunt. Secundi sunt gentes, hoc est, subditi regum. Populi sunt plebes seu respublicae. Principes autem sunt inferiores magistratus, et omnes, qui valent consilio et sapientia. Quid igitur omisit Spiritus sanctus, quod non diceret huic regno adversaturum? Potentia, sapientia, opes, justitia, sanctitas sunt insignia Dei dona, et tamen his abutitur mundus contra Dei regnum. Haec an non extrema malitia est? Memineris autem non damnari regna, non principatus, non alia dona. Non enim sequitur[20]: Regna mundi pugnant contra Christi regnum, ergo sunt mala per se, sicut non sequitur: Ferrum, quo latus domini in cruce apertum est, non fuisse bonam creaturam, sed est constituenda differentia inter creaturam seu rem et abusum. Creatura bona est, etsi in abusu sit. Oritur enim abusus non ex re, sed ex pravo animo. Sic justitia civilis, jura ipsa, artes, studia sunt res sua natura bonae, sed abusus est malus, quod mundus his donis abutitur contra Deum.

In tali abusu pingitur hoc in loco mundus cum regnis, gentibus, populis et principibus suis, nullam

---

19) Hostes regni Christi qui. 20) Regna mundi non ideo mala sunt, quia mundus iis abutitur.

aliam ob causam, quam ut praemoniti non teneamur, cum haec nobis usu veniunt, ut mundus clamitet, nihil esse apud nos quam haereses, errores, seditiones, scandala, ac ideo damnet nos secure, ipse autem de sapientia, gloria, potentia, addo etiam justitia triumphet ac glorietur contra nos. Ad has voces assuescendum est, nec ideo abjiciendus animus[21]). Praemonuit enim nos Spiritus sanctus, cum dicit reges se huic regno oppadsituros et principes capturos consilia de eo evertendo. Hi igitur tumultuum et scandalorum causa sunt, non nos, qui modesti, placidi, quieti sumus, et genus doctrinae quoque non turbulentum, sed placidissimum afferimus. Alioqui, si doctrinae culpa acciderent tumultus isti, fieret, ut omnes essemus inquieti et turbulenti, qui eam profitemur. Nunc autem hoc summo studio facimus, ut oremus pro pace, ut scandalorum occasiones praecidi optemus. Adversarii autem nostri, sicut ipsorum studia testantur, noctes et dies hoc agunt, ut serant turbas, ut de nostris cervicibus dicant sententias, et concitent contra nos principes mundi, et tamen doctrinam nostram accusant, quasi seditiosa sit, et turbas excitet, se autem dicunt filios pacis esse.

Consolemur igitur nos per hunc psalmum, et statuamus, cum mundus ad hunc modum furit, etsi nos petit, non tamen solos nos, sed alium peti[22]), qui, etsi nos pauci, imbecilles, infirmi et varie oppresi sumus, est dominus, nec vulgaris dominus, quales in mundo sunt, sed dominus totius creaturae. An non igitur mundus cum sibi maxime videtur sapere, stultissimus est? Si puer nudus se mille cataphrattis opponeret, quis non ejus certo periculo commoveretur? Si quis accensa sti-

21) Consolatio. 22) Alia consolatio, quod mundus, cum furit, contra dominum Deum furit.

pula solis lumen obruiturum polliceretur, quis non rideret? Sed in hac ipsa stultitia, in hoc certo periculo mundus perpetuo versatur, siquidem se verbo et ecclesiae opponit, opponit enim se ipsi domino et creatori omnium rerum. Hanc fiduciam et consolationem psalmus animis nostris vult instillare. Opus autem est nobis amplo et vasto oculo, ut uno adspectu omnes reges cum omni sua sapientia et potentia hauriamus, et ducamus eos pro stipula accensa, quam uno spiritu exstinguere potest is, qui coelum, terram et omnia condidit.

Gentes, reges, populi, principes[23]), si humano modo aestimes, sunt immensum quiddam, ideo trepidamus, quando nostram imbecillitatem cum ipsorum potentia comparamus. Sed quid docet hoc in loco Spiritus? Opponit huic infinitae quasi potentiae unicum dominum, et miratur, quod mundus tam stultus sit, ut putet se aliquid contra dominum effecturum, cum revera sit sicut scintilla ignis, comparata ad totum mare, quasi dicat: Nonne extrema stultitia est, quod scintilla parva conaris totum mare exsiccare? Sicut autem nos ipsi, cum in periculo sumus, haec vix credimus, ita quoque reges et principes nunquam sibi hoc persuadere patiuntur, quod sint scintilla, putant se mera incendia esse. Sed eventus et experientia aliter docuit summos monarchas jam inde ab initio mundi, qui se huic domino opposuerunt.

Igitur omnis emphasis in eo est, quod in secundo versu dicit, fremere gentes, disputare populos, reges concitari, et consultare principes contra dominum principaliter, deinde etiam contra Christum seu Messiam ejus. Non enim frustra primo loco domini meminit, sed vult ostendere nobis, quod Deus pater principaliter

---

23) Mundus contra Deum tanquam scintilla contra mare.

petatur a furente mundo, etiamsi mundus non Deo patri, conditori omnium rerum, neque papistae hodie filio ejus domino nostro Jesu Christo, quem et ipsi ore confitentur salvatorem mundi, sed evangelio ipsius, quod sapientibus hujus saeculi est stultitia, et sua propria justitia tumentibus est scandalum et haeresis, sese adversari dicant, ut neque Judaei videri volebant sese adversari Deo coeli et terrae creatori, sed doctrinae Jesu illius Nazareni, quem non ut filium Dei in Mose et prophetis promissum recipiebant, sed ut hominem seditiosum et blasphemum persequebantur, et tandem interficiebant.

Quia vero est Christus patris, hoc est, a patre constitutus, et missus, ut sit ceu sol contra mundum, qui tanquam scintilla est, fit ut omnes, qui hunc filium aut abjiciunt, aut se ei opponunt, in ipsum Deum creatorem omnium impingant [24]). Utrimque igitur fallitur mundus, quantumvis de sua sapientia magnifice glorietur. Primum non videt hunc magnum dominum, contra quem insurgit. Deinde non videt suam infirmitatem, quod sit ceu obscura et parva scintilla, collata ad jubar solis. Nos autem simus recti aestimatores, ac sumamus judicium non ex opinionibus mundi, sed ex verbo: id mundum cum omnibus suis viribus comparat languenti scintillae, haec si conatur mare exstinguere, in momento absorbetur et obruitur. Qui hoc credit, veram Christi et ejus regni cognitionem habet. Sed consolatio in hoc major et abundantior est, quod non nos sumus, qui petimur ab irato et furiis agitato mundo, sed petitur ipse Christus Dei, qui est caput ecclesiae, et ipse Deus, qui est caput Christi, sicut Paulus loquitur. Quid igitur obtinebit mundus? aut quomodo periclitari nos possibile

24) Qui contra Christum furunt, contra dominum furunt.

est? Certe quem Deus constituit Christum, hunc mundus opprimere non poterit, nec poterit etiam debellare aut coelo deturbare dominum. Cur igitur pavemus, cur trepidamus ad tam stultos et irritos conatus? Cur non potius ridemus extremam mundi stultitiam[25]?

Igitur in nomine Jesu, quem pater constituit Christum, cantemus nos quoque in nostris ecclesiis hunc psalmum, sicut apostoli eum cecinerunt, et explodamus adversariorum nostrorum celebre argumentum, cum regere nos conantur, et objiciunt, quid boni ex nostra doctrina enatum sit, siquidem seditiones, bella, haereses, sectae magno numero post sparsum evangelium exortae sunt, explodamus, inquam, has voces, et insultemus potius eis cum Spiritu sancto dicentes: Quare fremunt gentes? populi cur frustra consultant? cur reges congregantur adversus dominum? et principes ineunt consilia contra Christum ejus? Si enim mundus vellet facere officium suum, oscularetur filium, patris mandatum de filio amplecteretur. Nunc neutrum facit, movet arma, parat bella, excitat sectas, videlicet ut statuamus Spiritum sanctum non mentitum, qui tanto ante per Davidem servum suum praedixit futurum, ut cum hic rex cum suo tonitruo veniet, commoveatur non una aut altera arbor, sed totus orbis terrarum, et quidquid in mundo magnum est, sicut in alio psalmo dicit, turbari terram et moveri montes.

Itaque etiam piis obrepunt hae cogitationes, ut optent potius tacuisse se, quam locutos esse, siquidem tanti motus excitati sunt. Sed procul abjice eas cogitationes et statue, majores res hic geri, quam tranquillitas mundi et pax est, cum omnibus opibus mundi.

---

25) Cur trepidamus, cum conatus mundi irritos esse certum sit?

Hoc enim agitur, ut, quem Deus pater constituit Christum, is agnoscatur, exaltetur et adoretur. Hoc qui nolunt facere, illi sane fremant, indignentur, furant, misceant coelum terrae. Dominus tamen, qui Christum suum constituit, eos abjiciet in infernum, verbum autem et ecclesiam, et ecclesiae suae caput Christum servabit in aeternum, amen.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis funes ipsorum.

Hic exponit Spiritus sanctus causam fremitus [26], et qualia captent consilia, quidve inter se disputent reges et principes, quod scilicet hoc omnibus viribus et conatibus agant, ut dirumpant vincula Christi et patris. Hoc enim Satan agit, ut non solum humiliet, ut non solum occidat nos, qui docemus et credimus, sed ut verbum, nomen Christi, baptismum, et quidquid religio nostra habet, penitus obruat et aboleat. Cum igitur summa fide docemus Christum, incipit furere, occupat voluntates principum, regum, sapientum, potentum, multitudinis denique. Hic communi consilio omnes in id incumbunt, ut vincula haec dirumpant, hoc est, verbum ut exstinguant, et idololatriam tueantur. Utrimque igitur urgemur a Satana, qui et vi et dolo instructus est, vim intentat per reges, gentes, principes, populos, dolo autem utitur, cum fingit in nobis opiniones, quomodo simul et retineri verbum et pax salvari possit. Abhorremus enim natura omnes a turbis, quarum incommoda nota et ob oculos sunt, et amamus pacem, pulcherrimam rerum, ut ille ait. Sed qui his cogitationibus indulget, paulatim eo pertrahitur, ut studio pacis regnum Christi amittat.

Discamus igitur oculos figere in hunc regem no-

26) Causa cur mundus fremat.

strum et eum observare, nec moveamur strepitu armorum et turbarum, quae excitantur, quin statuamus reges, principes, gentes et populos ac totum mundum, cum se huic domino opponunt, esse pulvisculum, Christum autem esse ingentem montem. Hoc qui fixum habet in suo animo, non movebitur Satanae et mundi conatibus[27]). Nascuntur sectae, et turbantur ecclesiae: quid ad me? inquiet, pereat totus mundus, et maneat mihi salvus Christus. Pulcherrima rerum pax est, sed haec si retinéri non potest, quid perit, nisi scintilla quaedam creaturarum. In Christo autem mihi manent justitia, salus et vitá aeterna. Haec sunt vera bona, ad quae si conferas pacem mundi, et alia hujus vitae commoda, nihil sunt, sunt enim incerta et brevis temporis. Ad hunc modum consolari nos debemus, alioqui fiet, ut moti his corporalibus incommodis, nisi spiritualia et aeterna opponamus, trepidemus, angamur et querulemur tanquam in magna calamitate, et ex hac scintilla tandem nascetur incendium, quod hauriet et devorabit Christum in nobis cum omnibus suis donis.

Videt David in spiritu furorem mundi, tota vi se opponentis Christo, sed non ideo turbatur animo, nobis in exemplum, ut nos quoque Turcam, pontificem, reges et principes non curemus, cum se huic regi opponent. Sunt enim stulti et caeci, nec vident, dum evangelium student opprimere, rem impossibilem se tentare. Sic reliqua quoque scandala superemus[28]). Munzerus seditionem excitat in Thuringis, Carlstadius et Zinglius excitant horribiles in ecclesia turbas, dum persuadere aliis conantur, in coena non corpus et sanguinem Christi ore accipi, sed tantum panem et vinum. His adjungunt se alii, et paulatim perniciosum hoc dogma implet

27) Quomodo consolari nos debeamus contra scandala.
28) Magna scandala in ecclesia.

Gallias, Italiam et alias nationes. Magnum profecto malum utrimque, quod et politia et ecclesia sic concutitur. Quid igitur faciemus nos, qui harum turbarum non auctores sed spectatores sumus? Num ideo ad mortem usque nos excruciabimus? sicut ego profecto non semel feci, et dum mederi his malis volo, sic sensi me vulnerari, ut (testis est Deus) fides mea graviter periclitaretur et infirmaretur. Sed tandem vidi, Dei beneficio, has ipsas cogitationes, curas, tristitias, dolores animi nasci ex mera ignorantia regni Christi et nocenti stultitia. Igitur resumsi animum et dixi [29]: Fiunt haec sine mea culpa, igitur auctores horum malorum se excrucient, non ego. Faciam et conabor quidem omnia, an possim mederi aliquid his malis, sed si id non possum, non ideo absumar dolore. Si Satanae unus Munzerus, Carlstadius, Zinglius non satis est, excitet plures. Scio hanc hujus regni esse naturam, ut Satan id ferre non possit. Is manibus et pedibus obnixe dat operam, ut turbet ecclesias et verbum oppugnet. Quod autem postea clamor ingens excitatur, nasci turbas, quae antea non fuerunt, pacem tolli, accendi licentiam vulgi, has querelas multi justas esse existimant. Sed isti cur non etiam queruntur de contemtu evangelii tanto? de pertinacia ingenti adversariorum verbi, et fremitu indigno, de contumelia, qua Christus afficitur? Scilicet pacis commoda pluris, quam Christum faciunt, his magis moventur, quam gloria Dei et salute animarum. Sed si te hae tantae res non movent aut perturbant, an non putas Christum tibi dicturum: Si incommoda mei regni te non afficiunt, si de meo regno sic varie et indigne lacerato non doles, cur ego dolerem de tuis incommodis, de turbata pace et aliis? Quin pereas tu potius penitus, quam regnum meum pereat.

29) Consolatio contra scandala.

Ad hunc modum optabile esset, cognosci recte et regem hunc et regnum ejus: sic fieret, ut contemnentes eum, nos quoque contemneremus, et tantum hujus regis opibus fideremus, non opibus aut commodis mundi.

Vide enim, quanta adversariorum sit improbitas? Evangelium, quod gratiam Dei nobis annuntiat, quod justitiam promittit et vitam aeternam, hi vinculum et funus seu jugum appellant[30]. Quid autem facias cum tam perdito mendico, cui si mille aureos dono offeras, donum illiberaliter abjiciat, et oneri sibi fore dicat? An non dignum judices, qui fame et siti pereat? Sed hoc ipso peccato reges, principes, gentes et populi Deum irritant. Donat eis verbum, et cum hoc vitam aeternam, sed ipsi ideo arma arripiunt, ne his donis frui cogantur, movent ideo bella et omnia turbis implent, quod promittit Deus se propter filium condonaturum peccata, et daturum omnium rerum abundantiam, etiam in hac vita. An non igitur dignus mundus est, qui aeternis flammis subjiciatur?

Memineris igitur regnum Christi esse ejusmodi, cui resistit totus mundus[31], et praecipue quidquid in mundo dignitate, potentia, sapientia, justitia et opibus valet. Confirmandi igitur animi sunt, ne ideo trepident, ac cogitandum, quod vitari aut caveri hae turbae nulla moderatione nec ratione alia possint. Mundus enim sui similis est, et praebet se facilem ad officia Satanae, qui verbum extreme odit, quin nostra caro et carnis sapientia cum ipsa conscientia nostra huic regno et regi se opponit. Nemo igitur existimet jocularíam rem se suscipere, cum profitetur verbum et fidem in Christum. Sentiet enim adversarios reges et principes, quos Satan excitat. His etsi pares non sumus, tamen

30) Malitia mundi appellantis evangelium vincula. 31) Totus mundus regno Christi resistit.

Deus vult nos cum eis congredi, ut amplificet gloriam suam, et ostendat sapientiam ac potentiam suam in nostra infirmitate, suppetens de coelo virtutem, cui ne inferorum quidem portae possunt resistere, ad confundendam sapientiam et potentiam omnium adversariorum verbi.

Habes igitur hoc in loco cogitationes, studia, disputationes regum et principum, gentium et populorum descriptas, imo etiam carnis tuae et conscientiae tuae, quam diabolus etiam vexat, ut cogites de dirumpendo vinculo et projiciendo jugo. Reges et principes vi et armis utuntur, cor autem tuum per infidelitatem contra hoc regnum pugnat, cum de promissionibus dubitat, cum consolationem de remissione peccatorum, de gratuita justitia et vita aeterna non admittit. Oportet igitur nos esse praemunitos, ut cogitemus, sicut paulo post psalmus dicet, hunc regem a Deo patre constitutem. Si igitur mundus furit, si conscientia tua trepidat, confortare et robustus esto, ne deficiat fides tua. Regem hunc nemo deturbabit de suo solio, in quod eum Deus pater collocavit, et tanto ante de his periculis a Spiritu sancto per sanctos prophetas admonitus es, praevisa igitur jacula minus nocebunt.

Sic Sirach [2.] admonet: „Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, et sustine, et inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus.“ Qui igitur non vult in aciem prodire, sed signa deserere, s prorsus ab hoc regno abstineat. Diabolus enim nunquam cessabit per ora principum et regum, per impios doctores, imo etiam per tuam conscientiam hunc versum canere: „Dirumpamus vincula eorum, et jugum eorum projiciamus a nobis.“ Sed collige te, et dic mihi verum, an non horribilis haec tentatio et pecca-

tum gravissimum sit, quod mundus evangelium, hoc dulce nuntium de remissione peccatorum et vita aeterna, per Christum nobis parta ac gratis donata, appellat vincula et jugum? Omnia totius mundi regna intuere animo, et videbis dissimillima, et ut ita dicam, divisissima esse inter se, non solum quod ad potentiam carnalem attinet, sed multo magis quod attinet ad religionem, leges et mores.

Unica Roma quot habuit idola? quot Graecia? quot Aegyptus, et tamen nunquam religionis causa, quae diversissima fuit, moverunt arma. Romani, etiam cum domini Graecorum essent, non ideo, quia cultus diversi essent, Graecos oderunt, sed potius ipsorum cultus amplexi sunt, sicut historiae ostendunt de eleusiniis sacris, de Dracone Epidaurio, de simulacro Ideae matris etc. Hanc infinitam diversitatem mundus tulit aequissimo animo semper. Apud nos quoque ante evangelii lucem quanta dissimilitudo erat cultuum, non solum differentium secundum dioeceses, sed etiam secundum singula templa? Haec neminem unquam offenderunt [32]). Sed quando Christus cum suo evangelio advenit, ut hanc differentiam tollat, ut in unum corpus omnes cogat, ibi, qui religione diversissimi sunt, inter se omnes conspirant, et quasi unum fiunt ad opprimendum hoc regnum. Quid enim papae regnum fuit aliud, quam monstrum diversorum capitum [33]), praesertim si monachos spectes, quorum hic Augustinum, ille Franciscum, tertius Dominicum, quartus Benedictum, ut putant dignum esse, cui nomen daret. Hanc diversitatem papa toleravit, et quanquam ipsi monachi inter se odissent Vatiniano odio, tamen, cum jam evange-

---

32) Mundus omnes errores tolerare potest, evangelium non potest. 33) Papatus monstrum diversorum capitum.

lium patefactum est, consentiunt in eo oppugnando, et unanimes conferunt consilia, operas et opes suas. Hoc quis non vidit Satanae dolis fieri, qui omnes alias religiones tolerare potest, hanc unam autem, quae vera est, odit et persequitur, ac facit, ut homines judicent eam intolerabile esse jugum?

Cur autem hoc mundus facit? Tamen evangelium nihil aliud agit, quam ut liberet conscientias a pavore mortis, ut et remissionem peccatorum credamus, et per filium Dei pro nobis traditum retineamus spem vitae aeternae. Sic autem docet haec evangelium, ut neque magistratus, nec leges, neque opes, nec alia aut damnet aut tollat, aut mutet, sed relinquit ista suo loco, et tantum de conscientiis sanandis cogitat, ne oppressae peccatis et metu mortis, sine consolatione et auxilio sint. Cur igitur mundus haec non admittit? Cur jugum, cur vincula vocat, et tolerare recusat[34])? Respondeo: Justitiam suam non vult amittere, sapientiam suam non vult confundi, gloriam denique et potentiam suam non vult deserere, et ut uno verbo dicam, primum praeceptum nec vult nec potest servare, sed pugnat contra id omnibus viribus voluntatis, intellectus et fortunarum. Deum debebat amare et anteferre omnibus, sed amat se et sua, justitiam Dei debebat solam extollere et ea niti, sed tanti facit suam justitiam, ut Dei justitiam prorsus non curet. Itaque sicut simia prolem suam, sic mundus tantum ea, quae mundi sunt, amat, his gaudet, superbit, inflatur, reliqua quae extra se et tantum in fide posita sunt, supinus negligit, et tanquam ignotum thesaurum calcat pedibus.

At evangelium hoc unice agit[35]), ut Christum

34) Cur mundus evangelium vocet vincula et jugum.
35) Evangelii summa.

proponat animis atque oculis omnium, id eum unum intueri, ab eo uno pendere, eo solo niti ac fidere jubet, qui indutus carnem nostram, in carne nostra vicit Satanam, occidit mortem, et infernum populatus est ac destruxit. Hunc unum praedicat sapientem, quia solus Dei patris voluntatem scit et facit. Hunc solum vocat justum, quia non solum peccatum nullum fecit, sed suam justitiam communicare omnibus credentibus in eum potest et vult. Hunc solum dicit potentem, quia solus fortem, custodientem atrium suum, vicit et spoliavit. Igitur ejus sapientia, justitia et potentia vult nos confidere, ac tum demum nos quoque promittit sapientes, justos, potentes fore. Qui si hac sapientia destituamur, vere stulti, peccatores et imbecilles sumus. Sed mundus tanquam vincula doctrinam hanc disrumpere, et tanquam jugum projicere a se conatur.

Sic omnis contentio est cum hoc rege de primo praecepto, et Spiritus sanctus in hac prophetia praecipue confirmare animos nostros voluit contra hoc scandalum, quod potentissimi reges et principes, sanctissimi et sapientissimi homines, quorum sapientia regna et respublicae gubernantur, quorum justitia et aequitate florent, huic regi se opponunt, nullam aliam ob causam, quam quod non volunt coram Deo stulti esse, non possunt ferre, cum audiunt leges, disciplinam, honestatem et alia bona opera ad vitam aeternam et remissionem peccatorum consequendam esse inutilia. Igitur tumultuantur, furunt, consultant, insurgunt contra evangelium tanquam seditiosam doctrinam et perniciosam, quae det occasionem licentiae, quae prohibeat bona opera, aut saltem abjiciat et damnet, siquidem ad justitiam nihil valere dicit.

Quam autem vera haec sit accusatio, aestiment boni. Non enim damnat bona opera evangelium, hoc

enim esset legem damnare et tollere, quin potius stabilit legem, sicut Paulus docet, cum ostendit rationem, qua legi possit satisfieri, et assidue hortatur ad legis studium et bona opera[36]). Hoc unum prohibet, ne in his fiduciam ponamus justitiae coram Deo. Hanc enim docet collocandam in ipsum crucifixum filium Dei. Hunc cum fide amplectimur, promittit nos justos esse coram Deo, etsi coram nobis et mundo simus peccatores, promittit potentes esse, etsi simus infirmi, sapientes, etsi simus coram mundo stulti. In hunc igitur crucifixum Dei filium jubet ut confidamus. Sed mundus id facere recusat, quia hanc justitiam, potentiam, sapientiam non videt. Non igitur vult praesentia, quae videt ante oculos et manibus tenet, amittere, et alligari invisibilibus et nusquam apparentibus, de quibus evangelium concionatur. Ideo vinculum, ideo jugum vocat, quo ligatur et premitur, ne sapientiam, justitiam, potentiam, quam habet, aliquid esse putet.

Hinc nascuntur illae voces: Quid? igitur homo nihil est? igitur arbitrium non est liberum? igitur Deus causa est damnationis impiorum? cur enim non creavit justos? igitur majores nostri, qui haec ignorarunt, omnes damnati sunt? vos autem soli sapientes, justi, salvi estis? Hae voces passim audiuntur et leguntur, nec sanari caeci homines possunt, siquidem audire nolunt. Sedulo enim monemus, scribimus, concionamur, clamamus, sapientia, potentia et aliis Dei creaturis utendum in hac vita ad praesentia negotia gubernanda et constituenda, ibi locum esse, in quo ratio nostra tanquam in suo stadio decurrat, faciat et curet, quantum possit, sed coram Deo omnia haec nihil esse, neque valere quidquam, requiri enim ibi meliorem justitiam

36) Evangelium non damnat bona opera.

et majorem potentiam, quam nostra est. Sed surdo narratur fabula, reclamant enim, et vocant vincula et jugum intolerabile, quod vident sapientiam et justitiam suam coram Deo tanquam inutilem et inefficacem ligari. „Nolumus hunc regnare super nos,“ clamant sicut Judaei, ac damnant pariter doctrinam et eos, qui doctrinae huic assentiuntur, appellant seditiosos, haereticos et diabolicos. Ipsi autem, sicut pharisaei et scribae, gloriantur de cathedra Mosi, de nomine ecclesiae, ac soli justitiae et sapientiae possessionem sibi, etiam armis et gladio vendicant.

Haec mundi facies est, odit regem Christum et regnum ejus, ac tentat omnia, quae ad hujus regni oppressionem facere judicat. Quae autem ecclesiae in tantis periculis spes est?

At habitator coeli ridet, et dominus subsannat eos.

Haec est Spiritus sancti vox, per os prophetae emissa, propter nostram pusillanimitatem et paucitatem, quam videt, deinde propter multitudinem et potentiam regum et adversariorum. Quidquid enim in mundo sublime est, hoc totum confluit et conjungit vires contra ecclesiam, quae sicut numero parva est, ita fere destituitur omnibus illis donis, quibus mundus insolescit. Cum igitur obruitur scandalis, quasi aquis maris, cum tot regum arma, potentiam, opes, quibus oppugnatur, aestimat, pavet ac trepidat. Nam cor humanum non est ferreum aut saxeum, sed carneum ac molle, itaque afficitur in tam certis periculis. Non enim hoc agitur, ut christianus contra se unum aliquem hostem habeat: reges et principes, gentes et populi, sicut Spiritus sanctus hoc in loco vaticinatur, contra eum insurgunt, imo omnes diaboli unum impetunt et oppugnant, ut interim de scrupulis, quibus conscientia exercetur nihil dicam.

In hoc tanto periculo dominus misericors venit per verbum suum[37]), et opponit huic multitudini malorum et scandalorum alias res longe majores. Non solum enim dicit, sicut in 10. psalmo: „Oculi domini respiciunt in pauperem," sed de illis ecclesiae hostibus et omnibus eorum conatibus dicit: „Habitator coeli ridet, et dominus subsannat eos." Sic haurit uno verbo consolatorio, quidquid est furiosorum hominum, principum, regum et daemonum. Magni quidem sunt, qui adversantur ecclesiae, et potentes, sunt etiam multi, pollent sapientia, habent opinionem justitiae, contra nos sumus pauci et infirmi, praeterquam igitur quod obruimur multitudine et magnitudine majestatum mundi, etiam conscientia nostra et nobis nota infirmitate sollicitamur et angimur. Discenda igitur haec consolatio est, ut tam horribili imagine non confundamur, sed dicamus: Scio ego quoque unum, qui habitat arcem munitissimam et inaccessibilem, ad quam non solum principes et reges, sed ne quidem Satan accedere potest. Hi enim omnes aut in terra aut aere sunt, sed hujus regis domus est ipsum coelum, ubi nec hominum nec Satanae potentia aliquid valet.

Prae contemtu igitur adversariorum ecclesiae non nominat, quis ille in arce coeli sit, simpliciter dicit: יוֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם, habitans coelum. Hunc opponit cum fiducia et contemtu, spiritu et fide plenissimus, omnibus mundi et inferni furiis, quasi dicat: Veniant gentes et reges, populi et principes, veniant anabaptistae, sacramentarii, seditiosi, et alii sectarii, non ideo, quia in terra potentes sunt, coelum conscendent, sunt misera reptilia terrae, ibi tumultuantur, furunt, consilia

37) Consolatio Spiritus sancti contra mundi furorem.

capiunt. Quid autem facit coelum habitans? Num metuit sicut nos? Num trepidat aut commovetur? Plane non, sed ridet stultitiam et vanos hominum conatus. Haec est nova et inaudita vox. Nam ratio pronuntiat[38]), aut non videre talia Deum, atque ideo omnia temere ferri, aut si videt et non reprimit malos, imbecillem esse. Videre enim et pati indigna, quae prohibere possis, putat injustae et iniquae mentis esse. Tali honore ratio Deum ornat, ut judicet, aut stultum esse, qui multa nec videat nec sciat, aut malum, quod, quae videt, non prohibet.

Contra has blasphemias Spiritus sanctus nos hic munit, ne ideo existimemus Deum non videre impiorum conatus, siquidem ad eos connivet. Turcae quanta et quam indigna crudelitas et immanitas est? Pontifices et episcopi quanto odio ardent contra verbum et vera ecclesiae membra? Tyrannorum quoque odiosa consilia sunt. Haec ne putemus ignorare patrem nostrum in coelis, aut abscondita esse ab ejus oculis. Videt, sed non ita cito ad iram commovetur, sicut nos, dissimulat iram, ridet ad tempus, non solum quia videt frustra esse conatus tales, sed quia concedit spatium poenitentiae.

Haec est spiritualis cogitatio, qua erudiri ecclesia et singula ejus membra debent, ut rapiamur nos quoque a visibilibus ad invisibilia. Visibilia et tangibilia sunt furor mundi, tyrannis Turcica et pontificia. Sed hic risus habitatoris coeli est nobis invisibilis, credi itaque debet, tum fiet, ut nos quoque rideamus, siquidem hostes ecclesiae meditantur inania. Nam quod Spiritus sanctus Deum ridere dicit, et subsannare impios, id propter nos fit[39]), ut nos quoque rideamus cum

---

38) Mundi judicium de Deo. 39) Deus cur rideat.

Deo[40]), et non ringamur aut trepidemus, quando pontifices, episcopi, principes, reges hoc agunt, ut vi opprimant evangelium, quando denique Satan obruit ecclesiam variis scandalis, sunt enim inania consilia. Sed experimur hunc risum nobis paene impossibilem esse, quia neque visibilia contemnere, nec invisibilia apprehendere possumus[41]): vim et potentiam regum et principum, sapientiam mundi, malitiam Satanae, denique peccati et conscientiae nostrae onus sentimus, ideo non ridemus, sed ejulamus, deficimus, desperamus, et omnem vitam hac ratione nobis acerbam facimus. Sed male. Quid enim proficimus, etsi ad mortem usque contristamur? Nunquam enim sanabitur mundus, Satan nunquam fiet mitior.

Discamus igitur erigere animos nostros in talibus periculis, et cum Deo nostro rideamus, quem certum est non risurum perpetuo, sed aliquando etiam succensurum impiis et eos conturbaturum, sicut statim sequetur. Eo autem facilior nobis erit risus, si non obliti fuerimus ejus, quod supra dixit de domino et Christo ejus. Hoc enim certo nobis est statuendum, quod omnes istae tentationes, omnes isti fremitus et furores mundi concitantur in nos propter Christum[42]). Hic solus causa est, cur male propitium habeamus mundum et Satanam, imo etiam ipsum cor nostrum, sicut ipse dicit Joh. 15.: „Si essetis de mundo, mundus quod suum est diligeret, nunc autem quia vos e mundo delegi, odit vos mundus“[43]). Idem de peccato quoque accidit[44]). Quis enim non miretur, quod mundus, qui in peccatis vivit, qui peccatorum remis-

---

40) Nos quoque rideamus. 41) Visibilia nobis prohibent risum. 42) Omnis tentatio oritur propter fidem. 43) Joh. 15. 44) Christiani tentantur de peccato.

sionem non solum non credit, sed oblatam in verbo etiam respuit, tamen vivit in summa securitate, contra vera ecclesiae membra, quae remissionem peccatorum audiunt, amplectuntur, et credunt aliquo modo, hi soli exercentur pavoribus diu ac noctu, ac tantum non obsorbentur dolore?

Hujus rei quae causa est? Alia nulla, quam quod sunt christiani, et verbum Christi amplectuntur. Ideo acuit eis Satan peccatum, exercet eos pavoribus mortis et damnationis aeternae, nec unquam quiescere pia corda sinit. Quid igitur faciemus nos? Ejulabimus et querulabimur, abjiciemus animum et immoriemur luctibus? Minime. Nihil enim hoc modo proficiemus. Erigamus igitur potius capita, sicut Christus jubet[45]), cum de suo adventu vaticinatur, et furente Satana ac mundo (imo etiam peccato et conscientia nostra in nobis) rideamus. Quia enim poena impiorum adhuc cessat, certum est Deum quoque ridere, qui in coelis est, nec ab impiis inde deturbari potest: merito igitur ridet irritos conatus, et nos quoque cogitemus nos risuros, si tam alto in loco et tam munita arce sederemus. Statueremus enim, etsi regum, principum, ipsius Satanae quoque potentia et furor maximus est, tamen eos hic infra mansuros in terra, neque ad nos usque penetraturos. Sed aperiunt hae cogitationes nostram infidelitatem. Sumus enim omnes nos, qui credimus in Christum, revera in eodem coelo, in quo dominus habitat, si non secundum carnem, tamen fide et verbo.

Ad hunc modum a visibilibus transcendendum est ad invisibilia[46]), et transferendi oculi atque animus a praesentibus ad coelestia, ubi turbae illae non solum

---

45) Lucae 21. 46) A visibilibus transeundum ad invisibilia.

sunt inanes, sed ante annos mille et quingentos victae. Sic enim dicit Christus: „Confidite, ego vici mundum!," et de judicio nos consolatur, principem mundi jam esse judicatum. Cum igitur victi hi hostes restaurant bellum, nihil aliud faciunt, quam ut Deo risum moveant. Pueri suaves nobis reddunt ludos, cum stipula arrepta, tanquam cultro, canes aut sues jugulare conantur, nec tenere quisquam nostrum risum posset, si videret fatuum, virgula in manus sumta, magno molimine contra turrim currere, et sic conari, ut evertat turrim, stultus enim et irritus is conatus esset. Ad hunc modum de mundi molitionibus, apparatu, potentia, ira, furore cogitaremus nos quoque[47]), si animis et cogitationibus conscenderemus ad eum, qui est habitator coeli, et eum recte intueremur. Ad hunc enim si conferas Turcam, pontificem, episcopos, reges, et principes, et totum Satanae regnum, an non similes fatuo tali erunt, qui moliatur vastam turrim baculo evertere? Ludos igitur et jocos Deo exhibent, machen ihm ein Fassnacht-Spiel, wenn sie am zornigsten sind, et revera aliud nihil sunt, cum talibus cogitationibus et molitionibus occupantur, quam jocularia officina, et sicut germanice dicimus, unsers Herrn Gottes Gauckelsack.

Haec est sapientia abscondita[48]), quae tantum ex verbo discitur, quod transfert nos à praesentibus et apparentibus ad absentia et invisibilia. Praesentia sunt, quod cum Christum confitemur et in eum credimus, mundus insanit et furit. Sed ne te haec commoveant; ne ideo contristetur conscientia tua, desere hunc sensum ac insuave hoc spectaculum, et ingredere cum

---

47) Stultus et irritus conatus omnium hostium verbi.
48) Sapientia christianorum.

inquiet, haec ad me, quae etiam Deo meo habitanti in coelis risum movent, non praevalebis accusando et contristando, quin cum Deo meo ridebo ego quoque, scio enim, quod conatus tui frustra sunt. Etsi enim peccator sum, etsi peccati poena mors aeterna est, tamen non ideo ridere desinam, quia ad dextram Dei sedet, qui pro peccatis satisfecit, et te in carne sua vicit ac prostravit, non enim tu me petis solum, sed illum ipsum, qui te vicit, filium Dei etc.

Hoc enim firmiter statuendum est, quod omnis persecutio, etiam illa ipsa spiritualis, quae per Satanam in cordibus nostris fit, propter Christum fit. Nam credere remissionem peccatorum per Christum est summus articulus fidei nostrae, ac verum est, quod qui hunc articulum credit, habet remissionem peccatorum. Ideo tantopere conatur Satan, fidem hanc nobis ut excutiat. Qui autem sequitur Satanae cogitationes, quibus nos vexat, ut spem remissionis peccatorum abjiciat, is peccat. Ne igitur sequamur cogitationes cordis nostri, accusantis nos de peccato, et spem remissionis peccatorum non existimantis ad se pertinere, hoc enim esset ipsum Satanam sequi, vexantem nos non solum mediate per principes et tyrannos, sed etiam immediate per peccatum et cor nostrum, sed opponamus nos ei magno animo, ac dicamus: Neutiquam contristabis nec terrebis me. Resurrexit enim a mortuis, qui me jussit quietum esse. Ridebo igitur, non, ut tu vis, ejulabo, quasi solus et sine auxiliatore sim[52]).

Sed quanti laboris et quam longi temporis sit hanc artem discere[53]), singulos experientia docebit. Verba quidem facillime didiceris: Justus erit absque

52) Retinenda fides remissionis peccatorum. 53) Difficile nobis ridere in periculis et tentatione.

omni pavore, christianus non metuet peccatum nec mortem, sed ridebit diabolum et minas ejus: sed experire rem, et vide, num possis laeto animo esse, cum aut conscientia te accusat, aut nascuntur haereses et scandala. Caro enim statim incipit trepidare, et vellet omnia visibiliter esse quieta. Quia autem diversum accidit, et omnia injusta, impia, stulta, profana, blasphema, turbulenta et inquieta sunt, quae apparent et ante oculos sunt, excutiuntur per haec visibilia illa invisibilia, de quibus Spiritus sanctus nos hoc in loco docet. Assuescamus igitur ad has tempestates, in quibus vivendum et assiduo christianis versandum est, et abdamus nos in tenebras, ac apprehendamus invisibilia. Tunc fiet, ut furorem Turcae, pontificum, tyrannorum, sectarum, haereticorum et omnium adversantium regno Christi rideamus, tanquam jocularium spectaculum. Hoc qui ubique et semper potest, is est verus theologiae doctor. Sed nec Petrus nec Paulus nec reliqui apostoli semper hoc potuerunt. Igitur nos quoque discipulos, et non doctores in hac arte nos esse profiteamur, quanquam ne discipulorum quidem nomen meremur, siquidem cum Deus ridet, nos aut ringimur aut stomachamur.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Praecedens versus descripsit patientiam Dei, nobis quidem intolerabilem, sed Deo satis vulgarem et consuetam. Solet enim impiorum furores, vulgi, regum, principum et populorum insanias tolerare ad tempus, nec statim, ut poeta inquit, sua fulmina mittit, cum peccant homines. Interim ecclesia in tribulationibus versatur et gemit, optans vindictam in impios, sicut Christus in parabola de improbo judice Luc. 18.[54])

54) Lucae 18.

ostendit. Videtur enim piis haec Dei patientia esse sine fine, et ideo paene intolerabilis est, vexans et humilians ferentes crucem, non uno aut altero anno, sed pluribus annis, et tamen haec patientia nostra nihil est ad patientiam sanctorum patriarcharum collata, qui quingentis, sexcentis et pluribus annis vixerunt in eadem tentatione. Hi non, ut nos, his viginti septem annis tantum, sed per omnem vitam audiverunt impiorum carmen: „Dirumpamus vincula eorum, Deus non videt, non intelligit haec etc." Nam in hanc securitatem tandem prolabuntur impii, siquidem Deus sic longanimis est, et poenas tam diu differt. Cum autem ad hunc modum impii secure gloriantur, pii autem affliguntur et gemunt, tum in proximo est, ut Deus, qui plorantibus et gementibus piis, impiis autem secure ferocientibus risit, commoveatur ad iram. Haec hujus fabulae est catastrophe finalis.

Continet igitur hic versiculus promissionem suavissimam[55]), quales passim in psalmis sunt, psal. 9.: „Dominus est in refugium oppresso, refugium opportuno tempore in tribulatione," et 10.: „Quoniam tu laborem et dolorem consideras, tu judicas pro pupillo et paupere," et 68.: „Pes tuus tingetur sanguine inimicorum tuorum," et 110.: „Dominus conquassabit capita in terra multorum." Conveniunt autem cum his promissionibus etiam exempla non solum, quae in sacris literis sunt, sed etiam gentium[56]). Ita enim perpetuo solet in mundo, veritas et justitia laborant, ac praecipue in ecclesia veritas risum, subsannationem et plagas quoque accipit, ac si nullus esset Deus, aut saltem Deus humana non videret aut curaret. Sed

55) Promissio de impiis reprimendis. 56) Exempla cum promissione conveniunt.

si finem respicias, videbis oppugnari veritatem, sed opprimi non posse, quia habitans in coelis, etsi ridet ad tempus impiorum irritos conatus, tamen non perpetuo ridet, sed etiam loquitur, ac quidem in ira, et ad eum modum, ut conturbentur impii, qui tanquam in parta victoria laetos triumphos agebant.

Haec igitur promissio est spes nostra, ac praecipue pertinet ad miseras conscientias erigendas, quas paene opprimunt ii, qui cantant: „Dirumpamus vincula eorum.“ Nam in nostris viribus non est, ut eis imponamus silentium, ne cantent, nec possumus perpetuo sic obturare aures nostras, ut hoc carmen impiorum non exaudiamus. Dissimulanda igitur et ferenda, ac per patientiam superanda haec securitas est, usque ad illum articulum temporis, cum dominus incipiat loqui. Is enim habet vastam et tubalem vocem, quae compescit impios, ubi nos vix hiscere possumus prae ipsorum clamoribus.

Particula אָז non significat certum tempus seu terminum, sed est indefinita particula: Fiet ut loquatur, quandocunque tandem loquetur, atque tum risus, qui, dum secure impii canunt, absconditus est, revelabitur, sicut psalmus 91. [57]) dicit: „Oculis tuis retributionem impiorum videbis.“ Nam judicia Dei non sunt abscondita, cernitur in clara luce tandem ira Dei, quem impii dormire putant, nec judicant attendere, quid ipsi moliantur. Exempla [58]) ante oculos sunt. Romanorum monarchia [59]) fuit potentissima, et tamen cum meditaretur regni Christi vastationem, vastatum ipsum est et periit, ecclesia autem retinens fidem promissionum mansit incolumis, etsi graviter afflicta esset.

57) Psal. 91. 58) Exempla. 59) Roma.

Qui igitur tum vixerunt, oculis suis viderunt retributionem, quod mille caderent a dextris, et decem millia a sinistris, manente ecclesia salva.

Sic sub Ezechia rege miserabilis populi Dei facies erat. Assyrius [60]), qui decem tribus captivas abduxerat, obsidebat Hierosolymam, et ceteras regni Judae partes graviter afflixerat. Ridebat tum dominus, tanquam de irrito conatu, sed ecclesia afflicta ridere non poterat, tota in lacrymis et luctu erat. Sed an non revelatus est risus Dei tandem? an non ecclesia quoque ridere demum incepit, cum una nocte centum millia et octuoginta quinque millia ab angelo domini interfecti essent? Videt enim corporalibus suis oculis vindictam impiorum. Sic postea captivus in Babylone populus oculis suis videt destructionem Babylonis [61]). Ita historiae ostendunt promissionem hanc non esse vanam, sed etsi tempus non revelatum nobis est, quo liberaturus dominus pios, impios autem sit perditurus, tamen aliquando certo futurum, modo ne frangamur animo, et fortes in fide, in assiduam orationem incumbamus. Sicut enim supra de improbo judice diximus, vult precibus nostris admoneri et excitari Deus. Ideo afflictionem sentiri et tolerari, liberationem autem credi vult.

Sed nostram quoque experientiam non tacebimus [62]), non tantum ut innotescat, versum hunc verum esse, sed ut Deo grati simus, intelligentes et firma memoria retinentes ac praedicantes ingentia ejus beneficia, et mirabilem salvandi ac servandi modum. Pontifex et episcopi, reges et principes, qui pontifici adhaerent, an non usque ad ravim decantarunt hunc versum annis ferme jam triginta: „Dirumpamus vin-

60) Sanherib Assyrius. 61) Babylonii. 62) Experientia nostri temporis.

cula eorum, et projiciamus a nobis jugum eorum?" Itaque consilia inierunt multiplicia, et tantum non in manibus habuerunt victoriam, partiti inter se victoriae praemia, principum nostrorum civitates et arces. Sed quid effecerunt? Nonne, qui hujus fabulae primas partes agebant, perierunt? atque utinam non etiam periissent in aeternum! Qui autem superstites adhuc sunt, an non calamitosi sunt, et Iro pauperiores? siquidem aut sua culpa amiserunt, quae a majoribus eis relicta sunt, aut aegre ea retinent ac tuentur? Nec dum finis malorum et poenarum est, quotidie deteriorem faciunt causam suam et altius immerguntur malis.

Perseveremus igitur in fide et verbi confessione, nec inveniamur in eorum numero, qui, ut ecclesiasticus dicit, amiserunt tolerantiam. Premant, urgeant, affligant, occidant etiam nos, et tamen si non frangemur animis, si tolerabimus in spe liberationis mala haec, non deseret nos dominus. Promittit enim hic se locuturum in ira, et illos conturbatos iri. Particula igitur indefiniti temporis diligenter est notanda[63]: „Tunc loquetur," seu aliquando loquetur, cum scilicet ipsi opportunum videbitur. Risus igitur est in coelo et absconditus, sed hoc loqui sentietur in terra. Loquetur enim ad cantores illos, qui omnia horribili clamore complent, vociferantes: Dirumpamus, dirumpamus! Ad hos cum loquetur, profecto audient eum. Fiet autem id tunc, non nunc, sicut nos optamus, quibus omnis mora sub cruce longa est. Igitur vellemus Deum nunc loqui, sed non vult id facere. Tunc vult loqui, cum scilicet nos desperantes paene judicamus eum perpetuo taciturum.

Sed quid aut quomodo loquetur[64]? Hic ebraica

---

63) „Tunc" non significat certum tempus. 64) Deum loqui quid sit.

phrasis observanda est, nam cum scriptura dicit loqui Deum, intelligit verbum reale, seu actionem, non sonum tantum, qualis noster est. Non enim os, non linguam habet Deus, est enim spiritus. Igitur os et lingua Dei vocatur: Ipse dixit et facta sunt, et cum loquitur, tremunt montes, dissipantur regna, totus denique commovetur orbis. Hic est alius sermo, quam noster. Oriente sole, sole occidente loquitur Deus, crescentibus frugibus, nascentibus hominibus loquitur Deus. Igitur Dei verba[65]) non sunt vanus aer, sed res maximae et admirabiles, quas oculis videmus et palpamus manibus. Cum enim secundum Mosen dominus diceret: „Fiat sol, fiat luna, terra producat arbores etc.,“ statim quod dixit, factum est. Vocem hanc audivit nemo, sed opera et res ipsas videmus ante oculos, et tangimus manibus. Simul igitur et consolatur hoc in loco Spiritus sanctus pios, qui sub cruce gemunt et anhelant, et terret impios, ne sint securi, sed certo statuant Deum locuturum. Id autem cum in ira fit, fit sine fine, sine spe auxilii. Cum enim irascitur dominus, non ludus, non jocus est, sed sentiunt impii hoc irae verbum, et in hac vita per varias afflictiones, et in futura vita, nisi convertantur et agant poenitentiam. Tale irae verbum audit hodie Hungaria et Germania, cum per Turcam affligitur propter idololatriam et contemtum evangelii.

Solet autem loqui quoque in gratia[66]), cum dat pacem, annonam uberem, bonos magistratus, pios doctores. Haec sunt gratiae verba. Sic psalmus 147. dicit: „Emittit eloquium suum terrae, velociter currit sermo ejus.“ Exponit enim, quomodo hoc intelligendum sit, scilicet quod dat nivem, pruinam, glaciem etc.

---

65) Dei verba. 66) Gratiae verba.

Est autem haec phrasis tantum sanctae linguae (ad quam discendam saepe, sed paene frustra moneo juventutem, egregie enim facit ejus cognitio ad illustrandam scripturam) sumta ex Mose, qui in 1. cap. genesis, cum commemorat Deum ex nihilo condidisse omnia, subinde sic solet loqui: „Dixit Deus: Fiat lux, fiat firmamentum etc., et facta est lux, et fecit Deus firmamentum.“ Ex hoc loco sumta haec phrasis est. Sicut enim poetae graeci Homerum, latini Virgilium habent, ad cujus imitationem scribunt, ita sancti prophetae ex Mose didicerunt recte loqui de Dei factis[67]). Viderunt enim, quod dicere apud Deum sit facere, et verbum sit factum.

Horribile autem hoc in loco est, quod propheta dicit Deum in ira sua locuturum. Certum enim est, quod ad hoc verbum irae ruiturae sint totae nationes, nec possint ulla sua vi aut potentia se tueri, quominus cadant. Sic locutus est Deus in ira sua, cum Romanos mitteret contra civitatem sanctam Jerusalem, cum postea contra Romam mitteret Vandalos et Gothos. Haec fuerunt vasta et grandia verba, ac ferrea vox, quae potentissimos monarchas dejecit. Ad hunc modum loquitur in ira sua, cum immittit pestem, famem, et alias plagas. Hic tandem finis erit hujus furoris mundi, quod concitabit contra se majestatem, ut loquatur non verba, qualia hominum sunt, quae aures tantum feriunt, sed quae terrent conscientiam, et adspectu horrenda sunt, nempe multa millia crudelium militum, et alias plagas, quae tota regna evertunt funditus. Quanto autem satius erat Christi jugum ferre, et non excutere, quod etsi carni durum est (nam ferenda crux est iis, qui nomina Christo dant,

---

67) Deus loquitur grandia verba.

habent, enim adversarios potentes et multos, sicut diximus), tamen spiritus consolationem et pacem habet, non brevem, qualis illa mundi est, propter quam jugum hoc abjicit mundus, sed aeternam. Pater filium, quem amat, castigat. Ita Christus quoque in ira loquitur contra carnem, sed idem in gratia loquitur pro spiritu. Hoc jugum, haec vincula qui nolunt ferre, hi audient aliam vocem, nempe multa Turcarum millia grassantia et late omnia populantia ferro et igni.

Sed non satis est domino, sic in ira esse locutum ad impios, sequitur ejus vocem irae turbatio, ut hostes ejus subito ita percellantur animis, ut quo se vertant nesciant[68]), atque hoc ruinae est initium. Talis igitur miles est dominus in coelis habitans: initio dissimulat iram, ac ridet vanos conatus. Sed cum ab iis impii nolunt desistere, non pedes, non manus vulnerat, non eruit oculos, sed tantum animos turbat. Hoc cum factum est, facile etiam inermes et pauci numero vincunt. Multa conati sumus his annis viginti contra Turcam, sed infeliciter. Cur hoc? Peccata nostra concitarunt iram Dei erga nos. Cum igitur poenam vellet de nobis sumere, armavit hostes nostros Turcas ira et crudelitate contra nos, nobis autem immisit pavorem, ut recte objiciatur nobis, oblitos nos virtutis nostrae, et degenerasse a majoribus nostris. Ad hunc modum turbavit gentem suam, Judaeos sub Nebucadnezar, Babylonios sub Dario et Cyro, Persas sub Alexandro, Graecos sub Romanorum imperio. Omnium enim aetatum hostes Christi hic versiculus dejecit et turbavit, ac dejiciet quoque Turcam et pontificem. In hoc enim a Spiritu sancto est scriptus, ut totum orbem occidat et vastet, siquidem non cessare

68) Impii conturbantur loquente domino.

vult ab hoc furore, ut contra dominum et Christum ejus pugnet[69]).

Porro, quia dicit dominum locuturum, ex hoc apparet, quod mali sint incorrigibiles[70]), nec sanari se patiantur ab iis, qui domini verbum, quod gratiae verbum est, ad eos afferunt. Si enim attenderent verbo, et doceri se permitterent, abjicerent studium hoc oppugnandi Dei. Sed cum non audiant, et secure pergant contemto verbo et doctrina sana, coguntur audire aliam vocem, quae est irae vox, et manet omnes adversarios verbi. Quando enim converti homines nolunt, et caeci urgent suum institutum, sequitur versiculus hic, ut dominus loquatur in ira sua, et conturbet impoenitentes. Hoc Germaniae peccatum est, quod certam minatur ruinam. Etsi enim magno studio hortamur ad amplectendum verbum et abjiciendos impios cultus, tamen episcopi et principes quidem non audiunt, sed magis accenduntur contra nos. Exspectabimus igitur nos quoque hanc irae vocem[71]), quam inviti et pereuntes cogentur audire impii. Interim faciamus sicut Lot in Sodomis, sicut Abraham in medio Chaldaeorum, sicut captivi in Babylone. Hi enim etsi sanare impium mundum conarentur, tamen non potuerunt, sed passi quoque sunt indigna, afflictabatur eorum anima diu noctuque[*]). Nec nos hodie sine ingenti animorum dolore audimus blasphemias, et videmus idololatriam pontificiam. Sed quid faciamus? Sanari nolunt, et sicut apostoli Hierosolymam non potuerunt revocare ad poenitentiam, ita nostri episcopi urgent interitum suum. Haec feramus, dum dominus incipiet eis concionari, non tali voce,

---

69) Hic psalmus perdit omnes Christi hostes. 70) Impii sunt incorrigibiles. 71) Patientia piis opus est.
*) In edit. princip. leg.: morbique.

qualis nostra est, quam contemnunt tanquam somnium, sed voce irae, quae evertit uno spiritu imperia et regna. Docemur autem talibus exemplis, quod ubicunque est verbum, ibi certa calamitas et vastitas sequetur propter illos, qui verbo se opponunt, et tamen verbum in istis ruinis mundi non ruet, sed stabit firmum[72]). Stabit ecclesia quoque quantumcunque afflicta aut exigua sit. Non enim ideo, quia impii conturbantur, rex hic desinet rex esse, sed ideo loquitur in ira sua, ideo turbat suos hostes, ut verbum et ecclesia maneant salva. Nam hoc ecclesia sola per virtutem Dei potest, quod patitur, et tamen non corruit, sed manet, imo sub cruce vires sumit et crescit. Itaque psalmus quoque tanquam procul ablegatis impiis hostibus de victoria verbi et nostri regis majestate nos docere pergit, ac dicit:

Ego autem constitui regem meum super Zion montem sanctum meum.

Hic vides definitam sententiam, quod minatur majestas divina se eversurum et vastaturum omnes, qui adversantur verbo suo, et promittit servaturum tamen se regem suum, Christum et regnum ejus, hoc est, verbum[73]). Possunt autem haec omnia sola fide apprehendi, non carne aut sensu. Caro enim non potest credere, quod in uno homine Jesu, nato ex Maria, omnia sint posita, quod propter unum eum totum mundum ruere et perire necesse sit, potius quam regno ejus aliquid oriatur incommodi. Si enim hoc crederent reges et principes, caverent sibi, amplecterentur eum, non odissent, nec conarentur eum opprimere. Sed quia non credunt, quia tantum visibilia, hoc est,

---

72) Ubi verbum est, ibi sequitur vastitas, et tamen ecclesia servatur. 73) Regnum Christi firmum.

suam potentiam et opes, intuentur, invisibilia autem, hoc est, verbum, negligunt et contemnunt, caeci ruunt unus post alium, donec omnes pereant. Exempla ante oculos sunt vetera et recentia. Est enim Christus, sicut Daniel dicit, lapis, qui implet totum orbem, huic qui se opponunt, conteruntur in pulverem, et ipse Christus dicit Lucae 20.[74]): „Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet illum.“

Neque hodie novum est haec de Christo praedicare: exempla quatuor monarchiarum sunt ante oculos, quas videmus in pulvere jacere, quod huic regno se opponerent pertinaciter. Contra ecclesia, quae omnibus saeculis a mundo graviter fuit afflicta, stat, sumit incrementa, gaudet, Deum laudat, ejus beneficia praedicat, frementibus et indignantibus Satana ac mundo, idque propter hunc versum, quod hic vidit hunc regem suum constitutum et ordinatum super Zion. Hinc eum deturbet, qui volet, nos gaudemus, et gratias Deo agimus, quod frustra sunt omnes mundi et Satanae conatus. Itaque eos fiducia hujus versus secure contemnimus, et ridemus.

Observabis autem hoc in loco summo studio primum personam loquentem[75]), hoc est, aeternum Deum patrem, deinde personam, de qua loquitur pater, tertio etiam locum ipsum, quem Spiritus sanctus nominat. Haec tria diligenter observata oppone omnibus, quae ab his personis et loco hoc diversa sunt, ac contemne, tanquam si nihil essent. Nam hic versus recte consideratus ita implet coelum et terram, ut praeterea nihil, quantumvis coram mundo magnum et splendidum, conspici possit. Quis enim est, qui dicit:

74) Lucae 20. 75) Personae hic considerandae.

„Ego"? [76]). An non dominus coeli et terrae, qui omnia virtute verbi sui ex nihilo condidit? Ad hunc confer mundum et omnem mundi potentiam, quid erit, quid poterit contra hunc dominum? Nonne ipso dicente mundus est? Ipso dicente mundus non est, sed subito collabitur? Hic igitur dominus omnium, solus aeternus, solus sapiens, solus justus, solus omnipotens Deus dicit: „Ego constitui regem meum."

Hanc quoque personam considera, quae et qualis sit [77]). Habet mundus quoque reges suos, qui imperant divina auctoritate, sicut Paulus dicit: „Omnis potestas a Deo est," et tamen sunt, ut Petrus appellat, humana creatura, hoc est, humana ordinatione instituti, et tantum de externis et corporalibus rebus mandata eis cura est. Sed hic rex, dominus noster Jesus Christus, immediate ab ipso patre aeterno ordinatur, ut rex sit, et vocatur patris rex, seu a patre constitutus rex. „Ego, inquit, constitui meum regem," separat igitur eum ab omnibus regibus mundi. Etsi enim Deus ceteros etiam constituit, sicut Paulus dicit: „Omnis potestas a Deo est," tamen non vocat suos reges. Igitur hic egregius ille rex est, et eximius, quem dominus et aeternus pater sibi in regem ordinat, atque ideo alii reges merito eum reverentur, observant, amplectuntur, et ut infra dicit, exosculantur, tanquam unicam gemmam, ad quam omnes alii reges et regna omnia collata vix lateres et lutum sunt.

Sed quorsum attinet notatio loci, quod dicit constitutum regem super Zion montem sanctum [78]). Hoc vero est, quod praecipue observandum est. Ideo enim loci corporalis meminit, ut statuamus hunc regem di-

---

76) Persona loquens. 77) Persona, ad quam loquitur Deus. 78) Cur locum notet propheta.

vinitus constitutum esse verum hominem et personam, ut sic dicam, personatam, quae possit comprehendi, cerni oculis, attingi manibus. Non enim istorum stulta imaginatio sequenda est, qui se abdunt in angulos, qui certa exercitia corporalia suscipiunt, exspectantes dum Deus cum eis loquatur, ac fingentes, quod quidquid vel cogitant vel somniant, sint prophetiae et Spiritus sancti radii. Nam haec etiam monachorum stultitia fuit. Sed si Deus hoc modo nos docere, nobiscum loqui, nos illuminare voluisset, non designasset certam personam, praecipue autem non designasset locum in terris, unde iste rex exspectandus, ubi audiendus esset. Nunc autem persona certissime definita est, primo, quod sit filius Dei, deinde, quod sit rex in Zion, hoc est, filius Davidis, heres Davidis, et Davidi promissus, ut sit rex populi circumcisi, cui imperavit David. Ergo hominem hunc in Zion docentem, in Zion se revelantem amplectamur, quod sit divinitus constitutus rex. Etsi enim synecdoche est in nomine „Zion", non enim lapides et ligna significat, sed eos, qui habitant in Zion, tamen corporalis is locus est, et docet nos, ut amplectamur eum regem, qui vocatur Sionicus rex.

Quodsi materialiter accipias Zion, de nobis gentibus actum erit, quia hunc montem hodie non possidemus, possidetur enim ab impiis Agarenis. Nunc autem salus nostra et omnis consolatio in eo nobis est posita, quod illum regem habemus, confitemur, amplectimur, qui fuit in monte sancto Zion, hoc est, qui Davidi promissus est, ut, sicut angelus ad Mariam dicit, regnet super domum Jacob in saecula, et sedeat super thronum patris sui David. Hanc promissionem quia ipse pater Davidi dedit, recte dicitur a Deo constitutus rex super montem Zion, in quo David rex sedit. Hic

igitur est titulus regis nostri, scriptus in diademate, quo eum ornavit aeternus pater, ut sit Sionicus rex, in monte sancto Zion, et civitate Jerusalem, dominus noster Jesus Christus, natus in tempore ex Maria virgine. De hoc omnes prophetae vaticinantur, in monte Zion eum habiturum sedem, tanquam filium et heredem David. Sic Zacharias: „Filia Zion jubila, ecce venit rex tuus." Et Esaias: „De Zion exibit lex, et verbum de Jerusalem." Et Psal. 110.: „De Zion emittet dominus sceptrum regni tui." Esa. 59.: „Veniet ex Zion, qui liberet." Abd.: „In monte Zion erit salvatio."

Haec prophetarum testimonia omnia nos ad corporalem Zion deducunt, hoc est, ad populum et sedem David, ut inde exspectemus orituram justitiam et flumen mundae aquae. Hanc igitur consolationem nobis Spiritus-sanctus tandem subjicit in istis mundi et Satanae turbis ac odiis, quasi dicat: Parvule grex, ne timeas, sustine ac fer injurias omnes, sine mundum superbire opibus et potentia sua, dum irae dies veniat, et impoenitentes opprimat. Regnum autem regis mei manebit firmum. Nam a me constitutus rex est, non ab ipsis: sicut autem non constituerunt regem hunc, ita etiam non destituent eum.

Quare autem appellat Zion montem sanctum[79], cum ipse mons nihil fuerit nisi lapides et ligna, populus autem inhabitans caro et sanguis, sicut aliarum gentium et civitatum homines? An non autem rectius conveniret hic augustus titulus monti, in quo templum et cultus fuit? Respondeo: Saepe dixi, nihil credi a nobis difficilius, quam quod simus sancti. Offendunt enim nos tum in nobis tum in aliis scandala et nota infirmitas. Sicut igitur de nobis hoc polliceri alii sibi

79) Zion cur sanctus mons dicatur.

non possunt, quod simus sancti, ita nos ipsi quoque nobis hunc honorem tribuere non audemus. Debebat autem haec sanctitatis opinio neque aliis nec nobis detrahi, sed sicut germanice usitatum est vocari bonum virum, bonam matremfamilias, ita in ecclesia sanctitatis appellatio debebat nobis esse familiaris. Sed, ut dixi, movet nos nostra et nobis nota infirmitas. Quia enim sumus caro et sanguis, quia non ambulamus in nubibus, sed occupamur vulgaribus operibus oeconomiae et politiae, haec objecta sanctitatem quasi obscurant. Igitur recte institui animos de hac in speciem levi quaestione, admodum est utile.

Solet autem plerumque sic responderi, montem Zion, seu populum habitantem in Zion, habuisse duplicem sanctitatem, seu duplici nomine fuisse sanctum populum[80]). Primo, quia habuit verbum et cultum Dei. Hoc verbo lapides et ligna et etiam ipsi homines sanctificati sunt, adeo, ut si quis Judaeum occideret, diceretur sanctum hominem occidisse, non propter personam ipsam, sed propter locum et populum, per verbum Dei, imo per ipsum Deum inhabitantem sanctificatum. Secundo fuit alia et quidem major, quia enim habitabat in hoc populo Deus per verbum suum, in hoc solo populo fuit vera ecclesia, quae sancta est per fidem, et nusquam alibi. Norant enim sancti venturum semen benedictum, ac filium Dei incarnatum, oblaturum se hostiam pro peccatis totius mundi. Hac fide consequebantur per promissum semen remissionem peccatorum et Spiritum sanctum, ac vere sanctificabantur, ac propter hos vere sanctificatos, etsi pauci essent, postea totus populus sanctus appellatus est, quia solus erat, in quo sancti homines viverent. Haec

80) Duplex sanctitas, generalis et specialis.

major et verior sanctitas est, quam illa, de qua ante diximus.

Sic apud nos quartum praeceptum: „Honora patrem et matrem,“ sanctificat haec genera vitae, ut recte dicam: Pater est sanctus, mater est sancta, magistratus est sanctus, sanctitate scilicet generali, quia divinum mandatum est, ut eis obediamus. Est autem hoc mandatum tale, quod non unum populum, sed omnes passim obligat. Igitur haec ordinatio divina pervadit omnes gentes. Sed postea pater et mater, item magistratus christiani habent aliam non sic generalem, sed specialem sanctitatem, quod sunt baptizati in nomine Jesu, et sanctificati fide in promissionem et Spiritu sancto. Ad hunc modum mons Zion fuit sanctus mons, primum sanctitate legali, quia ibi erat verbum, erant cultus legales, deinde etiam sanctitate gratiali, quod habebat promissionem remissionis peccatorum per futurum semen, quae postea exhibita et per apostolos inde in totum orbem vulgata, tum autem a sanctis credita, et, ut sic dicam, fide possessa est.

Sed vera responsio et germana sententia et, montem Zion dici sanctum non ex se neque ex populo, sed ex ipso rege. Sicut apud nos quoque usitata figura est, ut dicamus arcem praedatoriam, in qua praedones habitant, civitatem mercatoriam, in qua mercatores vivunt: ita quoque Zion dicitur sanctus mons, non a Davide habitatore, sed a Christo, qui ita sanctus est, ut in se credentes sanctificet, hoc est, ut peccata condonet, et donet Spiritum sanctum. Haec hujus montis sanctitas est, quam a rege habet. Manente autem hoc rege manebimus nos quoque[81]), etiamsi rumpatur pontifex, Turca, et quidquid est,

81) Christi regnum manebit in aeternum.

quod hunc regem odit aut impugnat, nec prius desinemus sperare in hunc regem nostrum, quam viderimus eum ex hac sede sua, in quam Deus pater eum collocavit, deturbatum. Credimus autem hunc „ego", qui regem suum constituit, non passurum, ut quod ipse statuit, mundus infringat, sicut probat experientia omnium saeculorum. Hostes enim hujus regis omnes conciderunt, ipse autem salvus regnat.

Igitur primum disce, quod hic rex a patre constitutus sit, deinde quod exspectandus et inveniendus sit in monte sancto Zion. Huc igitur convertamus oculos nostros, et non errabimus, mundus autem errabit, qui Zion contemnit, et contra hunc regem movet turbas.

Hactenus docuit nos propheta de constituto et declarato seditioso rege, una cum seditiosa sua doctrina. Seditiosum autem voco non sua culpa, sed quod mundus, hoc est, reges, populi, principes, sapientes, sancti, religiosi offenduntur in eo, ac ideo furere et seditiones movere incipiunt. Etsi autem hoc vaticinium non admodum laetum est, tamen necessarium est ad nos confirmandos, ne ideo frangamur animis, cum haec ita geruntur, nosque cum rege nostro et doctrina ejus accusamur, quasi simus seditiosi. Habemus enim in hoc periculo defensorem et justificatorem eum, qui hic loquitur et dicit: „Ego constitui regem meum."

Haec unica nostra consolatio est, in qua haeremus, imo in qua stamus et superbimus etiam, simpliciter extra oculos positis et neglectis omnibus regibus et principibus, omnibus gentibus et populis, cum omni potentia et viribus suis. Hic enim „ego" fortior, potentior, sapientior est his omnibus. Itaque servabit regem suum contra mundi furias: hoc servato nos quoque ejus subditi servabimur. Ita consistendum est in invisibilibus, quae ostendit hic psalmus, et visibilia

sunt negligenda. Pergit autem propheta jam, et postquam locum seu sedem hujus regis descripsit, etiam officium ejus indicat, ut non solum scias, ubi sit, sed etiam quid ab eo exspectandum sit, quid acturus sit.

Praedicabo statutum, quod dominus ad me dixit: Filius meus tu, ego te hodie genui.

[82]) Haec verba vulgata et nota sunt in omnibus templis et monasteriis, sed prorsus nullo modo intellecta, quod tam ponderosa sint, et tam magnas res complectantur. Nam, ut paucis multa dicam, abrogata est hic universa lex, et officium Christi purissime descriptum, quod non gladium gestaturus, non politiam conditurus sit novam, sed futurus doctor, qui doceat homines de quodam inaudito Dei, sed aeterno decreto.

Etsi igitur alii quoque reges necessario condunt leges [83]) et per leges gubernant, tamen eorum principale officium non est, docere aut leges condere, sed punire malos gladio, bonos autem defendere. Sunt igitur quasi lictores et carnifices Dei. Sic enim dicit Paulus, gestare eos gladium malis in terrorem et ad vindictam. Non igitur officium eorum proprium est docere, quia non conscientias, non corda regunt, sed tantum manus cohibent, et sicut subulcus *) porcos gubernat et pascit simpliciter secundum quinque sensus, sic reges mundi sunt pastores, gubernantes non conscientiam, sed corpora tanquam jumenta. Noster autem rex, de quo Spiritus sanctus hic vaticinatur, talis rex est, qui ad hoc ordinatus et a Deo aeterno patre constitutus est, ut doceat. Ergo simul etiam

---

82) Quale Christi regnum sit. 83) Discrimen inter regnum Christi et mundi.

*) In edit. princip. leg.: bubulcus.

est sacerdos, doctor, theologus, qui erudiat et doceat suos de Deo, ac conscientias tantum gubernet.

Haec est differentia, qua rex noster differt ab omnibus aliis regibus, et est diligentissime observanda[84]. Nam haec Satanae perpetua cura et indefatigatum studium est, ut confundat hoc regnum cum mundi regnis, et ex Christo, qui conscientiarum doctor est, mundanum regem faciat, ac papa, singulare Satanae instrumentum, Christum, in quantum doctorem, abjecit penitus, et apprehendit gladium, quin claves quoque a Christo ecclesiae datas convertit in politicum finem. Sic Rottenses spiritus seu sectarii iisdem cogitationibus decipiuntur, et apprehendunt politica. Nam abrogant priores politias, et instituunt novos mores, ritus novos. Hunc putant evangelii praecipuum fructum esse. Ego ipse audivi Zinglium magno supercilio Marburgi concionantem de sublatis rubeis pileis, quibus Helvetii tanquam milites aliquamdiu usi erant, cum militiam sectarentur. Nihilo sanior fuit Carlstadius, putans in eo multum positum, si desereret scholam et studia, et sibi non doctoris, sed novi laici nomen sumeret. Sic enim scribebat in librorum titulis, se novum laicum esse. Nascuntur autem hae ineptiae ex alia quadam ignorantia regni Christi. Quia enim non distinguunt inter Christi regnum et mundi regna, ideo christianismum collocant in mutatione quarundam externarum rerum.

Sed relinquit illa Christus regibus mundi, suis autem dicit: „Vos non sic.“ Est enim ipsius regnum positum in verbo, et officium ejus est docere, regibus mundi relinquit curam porcorum. Hi enim instructi sunt baculo, quo pecus cogant, ipsius autem officium

84) Discrimen hoc pauci norunt.

est, sicut psalmus hic loquitur, praedicare, narrare de Dei decreto. Haec satis clara regni Christi definitio et propria differentia est, sed pauci profecto eam apprehendunt. Perpetuo adhaeret animis illa pestilens mixtura utriusque regni, adeo ut etiam spiritualibus difficile sit ubique hoc regnum proprię discernere a mundi regno. Qui tamen statuunt aliam vitam post hanc vitam, hi regum et magistratus beneficiis sibi in hac vita vident opus esse, hoc autem rege Christo utuntur ad aliam et aeternam vitam.

Personarum mutatio lectorem nihil moveat, est enim in ebraeo usitatissima[85]), ut cum dicunt: Vivat dominus meus rex, nihil aliud dicunt, quam: Vivas tu rex. Ita hoc in loco, si personae mutationem excludas, facilior erit sententia: Ego constitui regem meum super Zion montem sanctum meum, ut praedicet decretum meum, quod sit filius meus, quem hodie genui. Sed scriptura sancta retinet suum morem, cui assuescendum est, etsi nonnunquam reddit sententiam obscuriorem, sicut in psalmo 91.: „Dominus est spes ejus, altissimum posuisti refugium tuum.“ Clarior sententia esset, si primo in loco etiam secunda persona esset usus: Dominus est spes tua, altissimum posuisti tibi in refugium. Et tamen diligenter consideranti haec personae mutatio non videbitur prorsus otiosa. Quanto enim hoc in loco gravius est, quod ipsum regem facit concionantem de Dei decreto? Nam, ut dixi, hoc praecipue agit, ut ostendat hunc regem doctorem etiam esse. Deinde sine dubio Spiritus sanctus etiam eo respicit, ut doceat nos, Deum facere omnia per filium. Dum enim filius praedicat praeceptum, ipse pater, qui est in filio, seu unum cum filio, praedicat, et dum

85) Personarum mutatio in ebraeo.

nos praedicamus de eodem decreto, praedicat ipse Christus, sicut dicit: „Qui vos audit, me audit."

Sed hoc est commodissimum, quod describitur hic rex narraturus seu praedicaturus vocaliter. Nam hic locus omnino de vocali praedicatione et non de spirituali intelligendus est[86]). Quod supra dixit: „Ego constitui regem meum," eum versum canit ipse Deus sibi et filio suo, nobis autem rex noster canit: „Praedicabo." Est enim doctor publicus, ad hoc missus, ut praedicet, sicut Matth. 11. dicit: „Pauperibus praedicatur evangelium." Hoc officium habet, ne existimes eum esse mundi principem. Affert enim non gladium, sed verbum. Hoc hujus regis sceptrum est, itaque amplectere eum tanquam ducem conscientiae, tanquam sacerdotem et doctorem, atque haec quoque causa est, quod alii reges se ei opponunt. Si enim taceret, si non praedicaret hic rex, mundus quiesceret. Sed haec praedicatio commovet totum mundum ad arma.

Vocabulum „statutum" (חֹק) admodum late patet, ac significat ut plurimum ceremoniam, eine Weise, Sitte. Fere autem convenit cum germanico vocabulo Recht. Nam illud quoque usu latissime patet, ut cum dicimus Landsrecht, Stadtrecht, Vaterrecht, Tochterrecht etc. Hoc igitur in loco significat novum quendam doctrinae modum. Nam cum Moses multas tradiderit ceremonias, reges quoque terrae cum habeant suas leges et statuta, hic rex venit cum aliquo novo statuto, differente ab omnibus Mosi et aliorum regum statutis. Est autem hoc ita accipiendum, quod abrogabit leges omnes, etiam ipsius Mosi, quod sint ad salutem aeternam consequendam inutiles. Nam cum de vita aeterna, de remissione peccatorum, de morte,

86) Christus praedicat verbum vocale.

et in summa, de omnibus, quae ad conscientiam pertinent, agitur, taceat Moses, taceant leges et reges omnes, hic autem solus doctor et rex audiatur, qui hic promittitur praedicaturus.

Sed hic diligenter considera circumstantiam temporis. Cum enim haec prophetia per Spiritum sanctum a Davide scriberetur, vigebat lex, et sacerdotium Mosaicum in summo erat flore. Jam si hic rex non aliam doctrinam allaturus fuit, quam Moses, frustra est haec promissio. Nam exstabat jam tum lex Mosi. Rursus [87]) si hic rex aliud quiddam, quam Moses praedicaturus est, sicut haec ipsa promissio clare secum affert, quaeritur, quid possit doceri excellentius, quam Moses docuit, qui decalogum attulit, summam et vere divinam sapientiam, quae nos de summis et sanctissimis operibus docet? Quid enim majus est, quam quod primum praeceptum tradit, de fiducia in Deum et dilectione Dei? Nec leviora sunt, quae sequuntur de cultu nominis Dei, de vera invocatione, de gratiarum actione, de studio verbi. Nam secundae tabulae doctrinam tanquam longe inferiorem hic omitto. Haec sunt summa officia, et summi cultus, a Mose quidem ostensi, sed ab ipsa sapientia Dei mandati et scripti. Igitur decalogus de facto est summa doctrina, cui nihil in toto orbe terrarum simile est.

Quaeritur igitur, qualis doctrina haec sit, quae per Christum vulganda hic promittitur? Nam consequentia manifesta est: siquidem durante lege et sacerdotio promittitur doctor, qui doceat ecclesiam, sequitur eum aliam allaturum doctrinam, quam Mosi est, quam Levitarum, quam sacerdotum, quam prophetarum, qui

87) Qualis hujus regis sit doctrina.

tum, cum haec promissio scriberetur, aderant gubernantes et docentes ecclesiam. Quod enim promittit hunc doctorem, perinde est, ac si dicat: Hactenus non habuistis doctorem regem, qui doceret praeceptum, quod hic meus rex docebit. Doctores quidem habuistis, sed non veros, non sufficientes, igitur hunc meum doctorem exspectabitis, qui non sicut Moses docebit, quorsum enim attineret promittere, quod jam ante habetis in manibus? sed aliam doctrinam afferet, majorem, meliorem, utiliorem et sanctiorem.

Qualis autem doctrina haec est? quod est statutum hoc? Illud nimirum: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.“ Hujus versus magnificus interpres est divus Paulus in exordio epistolae ad Romanos, cum dicit: „Promisit Deus longe ante per prophetas suos in sanctis scripturis evangelium de filio suo, nato, secundum carnem ex semine David, declarato autem filio Dei ex resurrectione mortuorum per virtutem secundum Spiritum sanctificantem etc.“ Haec est nova illa doctrina, in mundum, sicut psalmus hic dicit, per filium Dei spargenda. Antiqua doctrina est illa Mosis: Time Deum, fide Deo, dilige Deum, et proximum sicut te ipsum, sed haec longe est excellentior. Non enim docet, quid nos faciamus, hoc legis proprium munus est, ea exigit a nobis certa opera, quae si non praestes, minatur iram Dei. Igitur nihil facit aliud, quam ut terreat, minetur et vexet nos, nec sinat quiescere. Nam quod exigit, nobis praestare impossibile est. Talis doctor hic rex non est, non exigit a nobis nostra opera, sed donat nobis sua, non docet, qui nos sumus, id enim lex facit, sed quis ipse sit, ut nos eum amplectamur, et donis ejus fruamur, etiamsi non praestiterimus, quae exigit Moses.

Doctrina igitur hujus regis distincta est ab omnibus aliis doctrinis, etiam ab ipsa lege, quae tamen, cum de operibus, seu de eo, quod nos facere conveniat, agitur, perfectissima est. Sed hujus regis doctrina non docet de operibus, sed de persona, ad quam dominus dixit: „Filius meus es tu.“ Brevis doctrina, pure et simpliciter proposita [88]), sine amplificationibus, sine circumstantiis: sed si haec pauca verba recte consideraveris, ipsae amplificationes se ultro offerent, quas evangelium ostendit, quod personam hanc pingit clarius ac docet, ex Spiritu sancto conceptum, ex Maria matre virgine natum, sub Pontio Pilato passum, mortuum, iterum ex morte excitatum sua virtute, sedere ad dexteram patris, ac esse mandatum de coelo, ut eum audiamus, ut in eum unum, sicut in deserto Judaei in aeneum serpentem, figamus oculos, nec usquam ab ejus verbis deflectamus, sed quidquid tum loquitur tum facit, id omne ad nostram salutem pertinere, ut statuamus. Nam hoc evangelium ubique agit, ideo tum miracula tum conciones Christi tam diligenter ostendit, ut eum nobis commendet, ut nos invitet ad eum amplectendum, sequendum, observandum. Hoc enim cum facimus, nusquam aberramus, sed retinemus rectam salutis viam.

Haec augustior et praestantior doctrina est, quam sit lex, quae tantum hoc agit, ut doceat, quid nos faciamus. Non autem abjicit evangelium legem, est enim lex quoque Dei vox, cui parere omnes aequum est, sed evangelium manente lege docet quiddam altius. Quia enim parere legi nemo potest, concionatur de Dei filio, quem pater hodie, hoc est, ab aeterno genuit, et super Zion constituit regem, hoc est, voluit eum homi-

---

88) Evangelium tantum Christum proponit.

nem nasci et docere. Hic necessario excitantur animi sua sponte ad audiendum hunc tantum regem et ad observanda ejus opera. Ergo summus hic fidei nostrae articulus est, scire, quod filius Mariae sit aeternus Dei filius, missus a patre, ut praedicet, non ut pugnet. Habet enim virtutem in ore, non gladium in manu. Ac doctrinae ejus summa haec est, quod dicit: Deus aeternus pater me genuit in aeternitate. Hoc fidei nostrae caput et evangelii summus articulus est, ideo tam graviter eum oppugnavit Satan per Arium et ejus impiam posteritatem.

Nec dum cessat etiam per corda nostra Satan hunc articulum labefactare. Unde enim oriuntur pavores, lacrymae, gemitus, querelae piorum, quam quod hic articulus nondum satis firmus est in mentibus nostris? Si enim statueremus certo, hunc Jesum esse filium Dei, quid metueremus? siquidem eum pro nobis stare, et in nostrum commodum missum esse a patre certum est. Nunc tentamur peccatis miseri, metuimus mortem, metuimus damnationem, tantum ideo, quia conscientia dubitat, an Christus sit filius Dei [89]). Hoc enim si certo crederemus, contemneremus peccatum tanquam rem nihili, rideremus mortem et Satanam tanquam hostes prostratos et inermes. Quid enim sunt ad filium Dei peccata, mors, Satan? Quod autem non credimus hoc, defectus est non in doctore aut verbo ejus, sed in nobis vel prorsus incredulis vel infirmiter credentibus. Haec igitur est doctrina regis nostri, quod concionatur Deum aeternum ab aeterno dixisse: „Filius meus es tu, hodie ego genui te.“ Vides autem nihil hic proponi nostrarum rerum aut operum, id enim

89) Articulus, quod Christus sit filius Dei, quomodo impugnetur.

lex facit, sed tantum hunc Dei filium, cum verbo et factis suis.

Sed conferamus jam haec inter se[90]). Vocat psalmus in priori versu regem, et diserte dicit constitutum regem in Zion, ergo sequitur bona et certa consequentia, esse eum hominem, alioqui quomodo posset corporalis loci rex esse? Huc facit, quod dicit a Deo constitutum regem, Dei autem non est constitui, sed constituere, est enim creator, hic autem rex constitutus est, ergo est homo, est creatura. Hoc arguit ipsa constitutio et inunctio, et locus corporalis, ut sit verus, visibilis et palpabilis homo, qui humana etiam voce doceat. Nec de ea re dubium fuit hominibus unquam, nec opus ad eam rem fuit fide. Nam oculis viderunt esse hominem, habentem carnem, ossa, sanguinem, et quae non Dei, sed hominis atque adeo creaturae sunt. Sed hoc an de isto rege satis est scire? Nullo modo satis est, sed etiam est filius Dei, ab aeterno genitus. Hoc oculis cerni non potuit, igitur ipse rex hoc docet, et fide opus est.

Ne autem eludi possit textus, verba pensanda sunt: „Filius meus es tu, hodie genui te.“ Est Deus extra tempus, est natura spiritualis, igitur nihil temporale, nihil corporale ex se potest gignere, sed gignit sibi simile, hoc est, aeternum et spirituale. Quia autem haec verba dicit ad illam personam constitutam in Zion, ut esset rex in corporali et visibili loco, quid inde sequitur? Nonne hoc, quod hic homo in tempore natus ex Maria virgine, antequam in utero Mariae conciperetur per Spiritum sanctum, exstitit, et quidem ab aeterno? Nam „hodie“ apud Deum[91]), sicut postea

---

90) Christus verus homo et verus Deus. 91) „Hodie“ apud Deum.

dicemus, non habet initium, non habet finem. Sic in hac persona conjungit textus praesens divinitatem et humanitatem, ut unum sint, ut recte dicas: Hic homo est Deus.

Hanc sententiam in psalmo hoc ostensam retineamus firmiter contra Satanae linguas, quae hunc articulum conatae sunt labefactare, imo etiam contra nostrae rationis stultitiam. Cum enim stulti homines de majestatis perfectione disputare incipiunt, labuntur et ruunt, tanquam Lucifer de coelo, in blasphemias. Quid enim de tantis rebus nos miseri vel cogitare possumus, postquam a verbo discesserimus? Quin potius sequimur hunc psalmum, qui jam annis ter mille contra omnes haereses firmus et inviolatus stetit[92]), et clare et rotunde pronuntians hunc regem esse et hominem et aeternum Deum. Huic definitioni assentiamur nos quoque, et quidquid praeterea vel audimus vel cogitamus, ab hac definitione dissentiens, id tanquam fanaticum, blasphemum, et a Satana excogitatum exsecremur et damnemus.

Tulit impius Arius[93]) nomen filii Dei, sed interim retinuit et defendit blasphemum dogma, eadem ratione nos quoque filios Dei esse. Quanto rectius Paulus nos adoptione filios esse dixit, hunc autem natura filium esse, itaque εἰκόνα seu imaginem invisibilis Dei appellat. Deinde epistola ad Ebraeos, quam apposite, quam graviter hujus psalmi testimonio utitur, cum inquit: „Cui angelorum unquam dixit Deus: Filius meus es tu, hodie ego genui te"? Extollit enim hunc regem etiam super angelicam naturam, quae tamen inter creaturas primum locum obtinet, ac merito, nam per Dei filium angeli et archangeli sunt conditi.

92) Haereses contra hunc psalmum. 93) Arius.

Et Paulus Col. 1. ideo πρωτότοκον πάσης κτίσεως, primogenitum totius creaturae, vocat filium, ut eum extra et supra angelos et omnes alias creaturas collocet.

In hac simplicitate vivamus, et non committamus nos huic alto et vastissimo pelago, disputaturi de tantis rebus[94]). Est enim hic articulus admodum lubricus, primum propter subtilitatem, deinde etiam propter nostram infirmitatem. Mera igitur stultitia est et periculosissimus conatus, velle haec scrutari subtilius. Si enim hoc possemus, non opus esset nobis duce scriptura, imo hoc doctore et rege nihil nobis opus esset. Qui autem scripturam negligunt, et fiducia ingenii tantas res aggrediuntur, hi sunt magistri Dei, et non discipuli, itaque sicut Phaeton gubernaturus solem praecipitantur et ruunt.

De hac temeritate conqueritur Deus, cum apud prophetam inquit: „Cui assimulastis me?" Nam hoc omnium haereticorum, hypocritarum et sectarum proprium est, ut sibi imaginem aliquam Dei fingant. Monachus ore confitetur, quod credat Christum esse Dei filium, sed huic filio Dei affingit aliquid ex sua voluntate, et statuit eum probare cucullum et hoc vitae genus singulare, ac pro eo redditurum aeternam vitam. Sed o hypocrita quis jussit te Dei filio talem, ut sic vocem, nasum affingere? quis certum te fecit, Deum tale aliquid abs te velle? Nihilo igitur monachus, quando secundum regulam suam sanctissime vivit, sanior aut melior est Ario, dicenti, quod Deus tantum unus sit, Christum autem dici Dei filium, quod sit perfectissima et prima creatura, per quam omnes aliae creaturae factae sunt. Si enim Christus Dei filius est, et in eo uno nobis acquiescendum est, quod Deus eum

94) De articulo divinitatis non disputandum.

miserit salvatorem, cur addit monachus talem fiduciam suo operi a se delecto? Haec incommoda inde nascuntur, quod omisso aut neglecto verbo animi de Deo speculantur. Omnis enim speculator est figulus, et fingit, quod in veritate non est, sequitur enim rationem suam, cum in his rebus tantum sit sequendum verbum, ratio enim neque capere tantas res per se, nec vincere speculationes suas aut superare potest.

Tales speculatores fuerunt Zinglius [95]) et Carlostadius. Postquam enim a verbo discesserunt, quod dicit, panem esse corpus Christi, et vinum sanguinem Christi, necesse fuit eos aliquid aliud fingere. Hunc suum foetum seu cogitationem exosculati sunt, tanquam mater infantem, et quidquid postea legerunt in patribus, hoc totum judicaverunt facere ad suam causam. Sed majore religione sacra tractanda erant. Hic rex, qui doctoris officium habet, erat audiendus, ejus verbum retinendum erat, nec quaerenda opinio ab ejus verbo aliena aut dissona, sicut haec est. Nam cum Christus de pane dicat: „Hoc est corpus meum [96]), ipsi dicunt: Hic panis nihil aliud est, quam panis, et cum de calice dicat, quod sit sanguis novi testamenti, ipsi defendunt, vinum tantum esse vinum, et significare, non autem esse sanguinem illum. Haec pugnare quis tam coecus est, qui non videat? et tamen fanaticos hos homines quidam etiam in coelum evehunt.

Quod igitur ad praesentem locum attinet, credamus et confiteamur cum psalmo hoc, Christum, qui est doctor in Zion et rex, esse Dei filium, ab aeterno ex patre natum, supra, extra et ante omnes creaturas. Non igitur est secundum hanc nativitatem

---

95) Zinglius. 96) Hoc est corpus meum.

creatura, sicut Athanasius recte dicit genitum, non creatum. Hic si ratio te interpellat, et cogitationes oriuntur, quales Turcarum sunt: Num igitur sunt duo dii? dic tu: Non sunt, est tantum unus Deus, et tamen est pater et est filius. Quomodo hoc? Responde cum humilitate: Nescio. Non enim voluit Deus cerni haec oculis, in verbo tantum proposuit et credi voluit. Hoc cum facimus, non erramus. Sequimur enim lumen ab ipso Deo accensum, nostra autem ratio caecutit, nec videre tantas res potest.

Hic iterum mutatae sunt personae, potuit enim dicere: Ego sum filius Dei, sed patri tribuitur sermo. Fit autem hoc ideo [97]), ut omnia referat ad patrem, tanquam auctorem, sicut Christus solet in suis concionibus, ubique allegat auctoritatem patris, ex sententia patris dicit se loqui, patrem dicit facere, quae ipse facit, non dicit se facere aliquid ex sua voluntate, sed ex mandato patris, ut omnes per Christum patrem agnoscant, in patrem credant et patrem praedicent. Hic est peculiaris modus hujus doctoris, quem Spiritus sanctus hoc in loco ostendere voluit, cum patri tribuit vocem, et tamen hunc regem doctorem esse ostendit. Vult enim, sicut Christus quoque facit, per Christum adducere nos ad patrem. Pertinet autem hoc quoque ad consolandos animos. Conscientia enim etiam ad Dei nomen expallescit et pavet. Agnoscit enim peccata, et metuit iram ejus. Ideo horret vocem Dei, et mallet vel Turcam vel Satanam audire, sicut hic ipse affectus pulchre pictus est in historia datae legis, cum populus exclamat: „Non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur, loquere tu nobis.“ Sicut enim majestas divina non potest oculis hominis cerni, ita aures nostrae ejus vocem ferre non possunt.

97) Cur patri tribuatur sermo.

Hoc videt Christus, igitur semper quidquid loquitur, quidquid facit, refert id in Deum patrem, ut terrorem hunc excutiat animis nostris, et triste hoc spectaculum, quod ipsi nobis fingimus, removeat ex oculis. Quid enim est in Christo, quod non sit plenum consolationis, amabile et jucundum? Cum igitur eum vides in cruce pendere, cum sanguine manare vides, et refers ista, secundum ipsius verba, in Dei voluntatem, an non ibi dulcescet horribile alioqui nomen Dei? et tu, non solum nihil a Deo, mittenti in hunc finem filium suum, metues mali, sed etiam certa spe misericordiae et amoris erga te et totum genus humanum impleberis? Ad hanc rem utilis est et valet allegatio haec. Tribuit Spiritus sanctus patri hanc vocem: „Filius meus es tu.“ Ipse Christus allegat auctoritatem et voluntatem patris ubique, non sua causa, quasi ipsi ita opus sit loqui, sed propter nostram conscientiam, ut statuamus nos habere mediatorem, qui se interponat apud Deum, qui pro nobis intercedat medius, qui amet nos, qui pro nobis moriatur, idque ex voluntate aeterni patris sui.

Haec ratio docendi nova et mundo incognita ac ab impiis prorsus abscondita est, sed piis est nota. Hi cum summa voluntate doctorem hunc Zionicum audiunt, qui etsi doceat ipse, tamen docet nos verbum, quod pater loquitur. „Dominus, inquit, dixit ad me: 'Filius meus es tu,“ quasi dicat: Doctrina non est mea, ego tantum narro et recito, quod ad me dictum est. Igitur qui me audit, patrem audit. Ego enim etsi praedico, tamen non praedico; sed unum est verbum, quod ego loquor, et pater cogitat etc. Hoc utile est discere, ne scilicet putemus patrem aliter esse erga nos affectum, quam ex filio audimus, qui cum pro nobis moriatur, profecto odisse nos non potest. Idem

de patre statue et crede. Nam Christi vox est vox patris invisibilis. Loquitur enim filius ex ore patris, et vicissim pater ex ore filii, pater enim et filius unum sunt. Ad hunc modum, etsi personae sint differentes (hoc est, pater non est filius, nec filius est pater), tamen voluntas est eadem, est verbum idem.

Valet autem hoc eo quoque, ne cogitationibus nostris a Christo discedamus quaesituri, audituri, invocaturi patrem, sed sicut Christus ad Philippum dicit, certo statuamus, cum intuemur, audimus, invocamus, colimus Christum, nos Deum patrem intueri, audire, invocare, colere [98]). Igitur adhaereamus huic doctori, nec nos ab ejus verbo patiamur abduci. Quod enim ex ipso audis, ex aeterno et invisibili patre audis, nec est praeter hunc Christum alius Deus, aut alia Dei voluntas quaerenda. Qui igitur indulgent suis cogitationibus, et de Deo et voluntate ejus sine Christo speculantur, hi Deum prorsus amittunt. Igitur quod Spiritus sanctus hic dicit: „Dominus dixit ad me," intelligendum est de vera divinitate, sicut epistola ad Ebraeos hoc ipso testimonio utitur.

De particula: „Hodie genui te" [99]), varie disputarunt doctores. Alii enim de nativitate Christi exponunt, alii de resurrectione et tempore novi testamenti, sed nos retineamus ῥητόν seu literam. Verbum ebraeum enim significat proprie gignere. Id hoc loco non potest intelligi de nativitate naturali seu temporali (non enim de hominibus, sed de Deo dicitur), significat igitur nativitatem aeternam et visibilem. Igitur ejusmodi verbum est, quod intelligi aut comprehendi ratione humana non potest. Filius narrat nobis, sed

---

98) Deus tantum in Christo invenitur. 99) Hodie genui te.

nisi crediderimus, nunquam intelligemus. Est enim verbum allatum ad nos ex illa inaccessibili luce, quam Deus habitat. Tum intelligitur, cum inter homines de hominibus dicitur, sed hic cum pater aeternus, qui Spiritus est, de filio suo hoc verbum loquitur[100]), intelligi non potest. Vides autem hoc ipso in loco duplicem praedicationem. Prima est interna, quando dominus cum filio loquitur. Eam nos neque audimus nec intelligimus, sed tantum intelligitur ab eo, qui dicit, et ad quem dicitur. Altera praedicatio est externa, quando filius nobiscum loquitur: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.“ Hanc audimus quidem, sed etiam non intelligimus, sola enim fide apprehendi vult et potest. Accipio igitur locum hunc de generatione aeterna.

Augustini disputatio non displicet, ubi comparat verbum praeteriti temporis cum adverbio praesentis temporis, et dicit coram Deo neque praeteritum neque futurum esse, sed extra tempus et in aeternitate omnia esse praesentia: et tamen tempore praeterito voluit Spiritus sanctus uti ad notandam perfectionem nativitatis, alioqui, si, ut res est, loqui volumus, hodie, quotidie et semper nascitur et natus est filius Dei. Nam aeternitas neque praeteritum neque futurum habet. Ad hunc modum accipienda particula „hodie“ est pro tempore, scilicet Dei, non nostro. Non enim nobiscum loquitur Deus, sed cum illo, qui est extra tempus apud Deum. Nos habemus ista temporum discrimina, ut aliud sit hodie, aliud heri, aliud cras. Hanc differentiam nescit aeternitas, ubi nullum est tempus, neque praeteritum nec futurum, sed perpetuum hodie, sicut Petrus dicit[1]); „Unus dies apud

---

100) Filius genitus ex patre. 1) 2. Pet. 3.

sunt omnia. Itaque qui hanc tenent, apud hos dicta et facta Christi non sunt mortuae historiae, sed res viventes, nobis ideo a filio Dei objectae, ut nos per eas viveremus.

Igitur notate hunc versum diligentissime: „Filius meus es tu, ego hodie genui te." Sunt pauca verba, sed immensum pondus habent, ac ratione comprehendi non possunt, quae cum se extra tempus et temporalia proripit, prorsus coeca et stupida est, nihil neque videns nec sentiens [5]). Fide igitur opus est, ratio autem, sicut Paulus de mulieribus in ecclesia praecipit, nihil loquatur, sed sileat. Sicut autem Spiritus sanctus nos de rege hoc docuit hactenus a priori, seu (si modo ita dicere licet) ab efficienti causa, quod a patre ab aeterno sit genitus: ita jam perget eum describere a posteriori, et ostendet ex ipsis effectibus hunc regem non solum hominem, sed Deum esse.

Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem, et possessionem tuam terminos terrae.

Haec simul ad regni et personae descriptionem referenda sunt. Arripuit Arius quoque hunc locum contra divinitatem. Si, inquit, Christus natura Deus est, jam antea est dominus gentium et finium terrae, sed hic postulat tanquam inferior Deo, et accipit, quod antea non habuit: igitur non est Deus, sed perfectissima creatura, unde etiam nomen habet et vocatur filius Dei. Sic fiunt subtilia ingenia officina Satanae, postquam a verbo se patiuntur abduci, et nituntur suo sensu. Quin potius invertimus totum argumentum, et sic concludimus: Filius hic constituitur dominus finium terrae, hoc est, totius creaturae, ergo sequitur eum essa natura Deum [6]). Sic enim dominus dicit: „Glo-

5) Ratio coeca. 6) Christus Deus.

riam meam non dabo alteri," huic dat gloriam suam, ergo non dat alieno, sed sibi simili, hoc est, Deo. Et tamen manet differentia personarum, alius enim dat, alius autem postulat dari, imo jubetur postulare. Cur autem hoc? si Deus est, cur sibi non sumit, quod suum est? quid opus est eum postulare?

Respondeo: Loquitur psalmus de filio Dei, non sicut ab aeterno fuit, hac enim ratione est dominus creaturae, nihil accipit, sed omnia habet: sed loquitur de rege in Zion, hoc est, de filio Dei incarnato, de homine nato ex Maria virgine, et incipiente regnum suum in corporali Zion per evangelium. Huic homini, qui infra angelos humiliatus est, tradit imperium in gentes Deus, ut omnes ei pareant, ut omnes per eum remissionem peccatorum et vitam aeternam sperent, et jubetur filius postulare hoc imperium [7]), ut scilicet ubique se ostendat reverentia erga patrem et ineffabilis humilitas. Non intrudit se, non ultro rapit, in humiliatione crucis manet, sicut dicit: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde," et exspectat, dum pater eum exaltet. Est igitur Johannica haec phrasis, hoc est, Christi propria, ad hunc enim modum solet loqui: „Pater major me est." „Verba, quae loquor, non mea sunt." „Pater operatur, et ego operor." Ubique enim solet patrem auctorem allegare, et referre omnia sua ad patrem, non solum ad terrendos impios, sed etiam ad consolandos pios, sicut paulo ante diximus.

Discito igitur urgere contra Arianos hunc versum. Accipit Christus dominium in gentes, accipit autem sic, ut ipse sit dominus, ut per ipsum gentes acci-

---

7) Cur Christus jubeatur postulare?

piant justitiam et judicium, beneficentiam et veritatem, sicut psalmus 89. testatur. Sunt autem hae tales res, quae ne in angelorum quidem manu sunt, sed solus Deus remittit peccata et justificat, solus Deus liberat a morte et aeterna damnatione, solus Deus dat Spiritum sanctum, solus quoque Deus verax est. Haec cum jubeatur filius effundere in gentes, quis non videt eum natura Deum esse[8])? Haec enim non creaturae sunt opera, et tamen haec persona, cui haec ab ipso Deo patre donantur, est semen Davidis, et tenet sedem patris sui Davidis. Sicut igitur Arianis verbum „dabo“ plenum scandali est, ita nobis consolationis plenum est. Quia enim filius Dei apparuit in carne nostra, tanquam semen Davidis, pertinet hoc verbum ad declarationem, de qua s. Paulus Rom. 1. loquitur, quod potenter declaratus sit filius Dei unigenitus, qui omnia a patre habet.

Ad hunc modum non offendit nos, sed aedificat verbum postulandi, ac docet, ne more gentium, Turcarum, Judaeorum, petituri aliquid accurramus sine reverentia ad Deum tanquam ad ignotum dominum, sed conferamus nos ad filium, mediatorem inter nos et Deum, cui pater omnia tradidit, sicut Christus dicit hunc ipsum psalmi locum quasi enarrans: „Omnis potestas mihi tradita est in coelo et in terra.“ Ita consequemur, quod optamus, nec dubitabunt animi nostri, sicut necessario Turcarum et Judaeorum animi dubitant, invocantes, quem non norunt. Nos autem Christum novimus declaratum filium Dei, cum daretur ei potestas in gentes. Itaque orantes in nomine ejus consequimur quidquid oramus. Haec initio contra Arianam pestem ad confirmandum nostrae fidei

8) Christus declaratus filius Dei.

summum articulum paucis sint dicta, nunc explicabimus verba.

Constitutus est hic rex in sede sui patris David Zion, ibi in populo Davidis incipit regnum suum, non gladio, sicut David, sed tantum verbo, est enim praedicator. Sed regnum in Zion et populo Davidis coeptum non ibi finitur, sed proferuntur regni hujus fines in omnes gentes et ad terrae terminos, hoc est, regnum coeptum in Jerusalem, verbum in Zion primo praedicatum evulgatur in totum orbem terrarum, sicut psalmus 19. dicit: „Non sunt loquelae neque sermones, ubi non audiatur vox eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.“ Est igitur cum hoc versu conjungendus is, qui praecessit, ne ideo, quia Christus praedicatur dominus et rex totius mundi, in eam insaniam prolabaris, ut omnia politica imperia ideo existimes aut non legitima imperia aut latrocinia esse, sicut quidam inepte disputant. Praecedens enim versus hunc regem dicit doctorem esse, igitur non dissipabit politias, non mutabit leges civiles, non rapiet regna. Haec manebunt eadem conditione, qua antea in mundo fuere, hoc est, facientes officium reges et principes erunt felices, contra, negligenter administrantes officium dabunt poenas.

Hunc mundi sive cursum sive ordinem non mutabit hic rex, nec abolebit. Regnum enim ejus non est de hoc mundo, sed ad omnia regna, ad respublicas omnes afferet novum verbum et doctrinam novam de se, quod omnes, qui credunt in ipsum et baptizantur, habituri sint remissionem peccatorum et vitam aeternam. Hoc hujus regis regnum, haec ejus dominatio, hoc imperium ejus est. Qui igitur non credent, qui non amplecten-

tur eum; hi aeterna morte punientur, nec poterunt se evolvere ex peccatis, aut effugere peccati poenam.

Sed hoc regis nostri regnum, haec ejus doctrina est occasio motuum, de quibus psalmus initio dixit. Tumultuantur enim gentes, populi meditantur, reges se commovent, et principes conspirant, tantum ideo [9]), ut hunc regem et doctrinam ejus, qua regnat, aboleant, idque hanc ob causam non tantum sunt instructi ratione et sapientia gentes et populi, sed etiam libero arbitrio, quo se conformant ad honestam et in speciem sanctam vitam. Nisi enim hoc aliquo modo in hominis viribus esset positum, quid disciplina, quid leges prodessent? Quod autem quidam legum vinculis constringi cupiditates suas sinunt, quidam autem tanquam rabiosi canes vincula perrumpunt, et indulgent cupiditatibus, quis non videt hoc rationis humanae opus esse, quod etiam sine Spiritu sancto ipsa per se praestare potest?

His igitur donis, scilicet lumine rationis et libertate arbitrii inflantur gentes, et regem hunc cupiunt oppressum, qui simul et rationis lumen et libertatem arbitrii damnat et abjicit, tanquam ad remissionem peccatorum et vitam aeternam inutilia. Docet enim hic rex, remissionem peccatorum et vitam aeternam tantum per suam mortem et merita sua contingere, ac sibi hanc a patre traditam potestatem dicit. Ceterum lumine rationis et arbitrio seu voluntate vult homines uti ad hujus mundi res gubernandas et ad praestandam in externa vita honestatem. Nam ad hoc ambo haec ratio et voluntas valent. Sed hoc gentibus exiguum videtur, salvari per haec naturae dona vo-

9) Cur gentes Christo se opponant.

lunt. Id cum reprehendit Christus, movent turbas, et damnant doctorem seu regem hunc cum sua doctrina.

Quomodo igitur, inquies, Christus rex est gentium, siquidem gentes eum nolunt et damnant, siquidem contra eum movent turbas? Respondeo: Si gentes abjicientes Christum id cum suo commodo facerent, ibi sane nasceretur incommodum regi Christo: sed gentes abjiciunt Christum cum suo summo periculo et certissima perditione[10]). Igitur Christi regnum hac ratione non laeditur, sed incredulus mundus sibi ipsi nocet et accersit damnationem. Manet igitur sententia haec: Tradidit dominus Christo regi imperium in omnes gentes, itaque ipse per evangelium suum omnes gentes vocat ad fidem. Qui audiunt et parent evangelio, accipiunt remissionem peccatorum et vitam aeternam. Qui autem non credunt, hi manent in peccatis, nec rationis beneficio nec liberi arbitrii viribus ex peccatis se possunt evolvere. Non igitur Christi regno, cui se opponunt, sed sibi ipsis nocent.

Pertinet igitur hic versus non solum eo, ut ostendat legem Mosi abrogandam, siquidem novum regnum a Christo institutum etiam in gentes transferendum est, sed ad abolenda omnia, quae per rationem et voluntatem hominis possunt perfici, quod ad salutem et vitam aeternam nihil valeant. Non igitur disciplina, non ceterae virtutes, quae a voluntate fingi possunt, non suscepta quantumvis difficilia opera remissionem peccatorum merentur, aut nos cum Deo reconciliant, sed sola fides in filium Dei. Sed, ut dixi, haec doctrina turbarum et tumultuum causa est in mundo. Nam cur nos hodie damnamur, quam quod hunc regem dicimus solum esse justitiam nostram? quod sola in ipsum

10) Pereunt, qui se Christo opponunt.

fide affirmamus contingere remissionem peccatorum et vitam aeternam? Sed nihil moveat nos furor mundi. Scimus enim ex hoc psalmo, datum regi nostro imperium in omnes gentes, ut sint possessio ejus, hoc est, ut per ipsum salventur, et accipiant remissionem peccatorum et Spiritum sanctum. Qui autem eum agnoscere nolunt, de his aliud judicium postea erit.

Igitur vocabulum „gentes" non ita nude pro materia est accipiendum, sed complectitur omnia [11]), quae gentes habent, justitias, sapientiam, potentiam, leges et cetera, quibus se credunt et adversus civilia mala et aeterna tutos. Vide Romanum imperium non solum potentia, sed legibus quoque praeclare munitum, in eo invenies excellentes viros, quorum virtus ad coelum usque literis tollitur. Hos admiratur mundus et praedicat, ac imprimis religionis studio capiuntur animi. Sed quid dicit hic psalmus? „Postula a me et dabo tibi gentes," hoc est, non juvabit Romanum imperium sua potentia, non leges, non virtus, non religio: tui sunt, et tibi traditi, hoc est, si in te crediderint, placebunt mihi, et erunt in gratia, si non, abjiciam et perdam eos, nec poterunt se tueri. Pertinet igitur hic versus ad nos consolandos contra scandalum crucis. Nam, ut psalmus initio dixit, gentes tumultuantur, fremunt populi, insurgunt reges, principes consultant, neque abeunt haec sine ecclesiae periculis et certis incommodis. Sed hic statuamus postulasse Christum imperium in gentes, et a Deo patre id ei traditum. Insaniat igitur mundus, tumultuetur Satan cum toto inferno, non tamen praevalebunt. Nam Christi regnum est et erit, ac dominabitur in medio inimicorum suorum.

---

11) Gentes Christo traditae.

Ad hunc modum in privata quoque lucta erigamus nos, cum animi lege, peccato, morte terrentur. Ibi arripiamus versum hunc: „Tibi dabo gentes possessionem tuam, et fines terrae hereditatem tuam," hoc est, statuamus Christum auctoritate patris constitutum dominum super omnia, ut salus ex ipso solo pendeat[12]). In hujus igitur mortem cum simus baptizati, hujus nomen cum invocemus, hujus verbo cum nitamur, statuamus victoriam nostram fore, ac nos per ipsum dominaturos morti et inferno. Non enim Deus pater hic de alliis aut caepis concionatur, tradit filio in manus omnia, ut per ipsum salvi fiant, qui credunt, qui autem non credunt, ut pereant et damnentur. Non igitur mundus, non Satan, non cor nostrum nos perturbet. Affligimur quidem et premimur varie, sed praecessit nos in hoc ipso curriculo filius Dei. Sensit is quoque fremitum gentium et regum minas ac conatus, sed tandem declaratus est rex omnium gentium terrae, et dominatur ad salutem credentium et damnationem incredulorum.

Insignis igitur hic proponitur consolatio pro credentibus, quod eum habeamus dominum, qui totius mundi sit dominus, cui reges et gentes omnes, etiam Satan ipse servire et parere aut interire et perire debent. Si rem videas, nihil hujusmodi apparet, et tamen exitus ostendit Spiritum sanctum vera dicere. Vide, quale regnum Christi fuerit temporibus apostolorum. Pauci numero et iidem contemtissimi ac faex vulgi erant, qui regem hunc praedicabant, et mundo ostendebant. Contra synagoga florebat et dignitate et potentia, ac totis se opponebat viribus his novis doctoribus. Tandem accedebat Romanum imperium, id

12) Christus dominus omnium.

multorum millium martyrum sanguinem effundebat ad opprimendum regem hunc, nec apparebat tum Christum habere regnum in gentes. Gentes videbantur dominari non apostolis solis, quos occidebant impune, sed ipsi Christo, quem blasphemabant: et tamen quis non videt tum synagogam tum Romanum imperium huic regi traditum[13]? Quia enim eum noluerunt amplecti, ita perierunt, ut vix exstent vestigia aut umbra quaedam tantae potentiae. Ita hic versus pessundedit, quidquid se opposuit Christo, nec dubitabimus, quin hostes Christi, qui hodie evangelio se opponunt, ad eum modum perituri sint. Non enim vana haec vox est: „Dabo tibi gentes etc.“

Sicut autem reges terrae insurgunt, sicut gentes tumultuantur, sed ad extremum sentiunt irritos conatus et certum exitium, ad eum modum in cordibus nostris saeviunt mors, peccatum, lex, sed quia hic scriptum est: „Tibi dabo gentes possessionem tuam,“ insurgere et aliquid conari hi nostri hostes possunt, vincere autem non poterunt. Hoc enim est regi nostro datum, qui super Zion constitutus est, hujus unius est regnum, potentia et gloria in saecula saeculorum, amen. Idem de haereticis et ecclesiae turbatoribus statuamus. Zinglius et Carlstadius jam movent turbas, persuadere conantur simplicibus, in coena domini tantum edi panem et bibi vinum. Christi autem verba, quibus affirmat hunc panem esse corpus suum, et hoc poculum sanguinem suum, malitiose et impie depravant secundum cordium suorum vanitatem. Mihi igitur dubium non est, quin ipsi quoque daturi sint poenas hujus impietatis, et cum suo ingenti damno experturi tandem, quod Christus dominetur.

13) Synagoga et Romanum imperium.

Emphasis igitur est in vocabulo „gentes". Non enim nude accipiendum est pro corporibus tantum seu materia, sed complectitur justitiam, sapientiam, potentiam, voluntatem, rationem, et omnia alia dona. Haec omnia Christo subjicit pater et obnoxia facit, ita ut simpliciter abjiciat et condemnet gentes cum omnibus, quae habent, nisi in Christo et per Christum sint in gratia. Sunt quidem aliquid in mundo leges, studium virtutis, disciplina, justitia etc., sed ad Christum collata sunt nihil, et merentur damnationem aeternam. Gratia enim et veritas tantum per Christum contingunt, quem pater constituit dominum super omnia, etiam super peccatum et mortem et Satanam.

Dixi autem supra, pertinere haec ad declarationem, quod sit filius Dei, seu natura Deus, non enim creaturae est, dare vitam, abolere mortem, et sanare peccatum. Haec igitur quia Christus facit, et facit patre ita volente, jubente et donante, sequitur esse Deum, juxta illud: „Gloriam meam non dabo alteri." Recte igitur epistola ad Ebraeos dicit: „Cui angelorum dixit: Filius meus es tu?" Ac nos ad eundem modum hic quoque recte dicimus: Cui angelorum dedit gentes in possessionem, et fines terrae in hereditatem?

Conteres eos sceptro ferreo, et ut vas figuli confringes eos.

Praecedens versus docuit, quod divina auctoritate hic rex constitutus est, ad destruendum, evellendum, damnandum, quidquid est religionis, sapientiae, potentiae et justitiae in toto mundo et apud omnes gentes. Huic enim soli regi haec gloria reservata est, ut in nomine ejus justificentur et vivant, quicunque justificantur. Habeant igitur Judaei infinitos Moses, si unus eis non satis est, habeant gentes doctores ju-

ris et justitiae, habeant monachi et justitiarii certas religionis notas, si hunc regem non habent, si ejus justitia non sunt ornati et donati, sunt et manent in regno Satanae, in peccatis et morte[14]). Atque haec causa est, quod mundus, sicut initio psalmi hujus Spiritus sanctus vaticinatus est, totis viribus huic regi se opponit, nec vincula haec vult sustinere, non vult, ut etiam hodie experimur, damnari sapientiam suam, non vult accusari justitiam suam, quasi sit peccatum, non vult potentiam suam contemni tanquam infirmitatem, in summa, non vult ferre sententiam hanc, quod omnia sua sint nihil. Si enim illa misera metalli substantia, aurum scilicet et argentum, facit inflatos homines et superbos, quanto magis religio, justitia, et notitia legis, divinitus datae, inflabunt infirmos animos?

Cum igitur haec summa dona mundus audit per evangelium reprobari, et tantum commendari hunc regem, non offenditur solum, sed etiam arma parat, et totis viribus vindicare sua dona ab hac contumelia contendit. Haec certaminum acerrimorum occasio est, ut mundus et rex hic infestis animis inter se concurrant, eo tamen eventu, de quo psalmus 118. vaticinatur: „Lapis, quem reprobaverunt aedificatores, factus est in caput anguli.“ Comparat regem hunc lapidi, quem aedificantes reprobant, hoc est, abjiciunt tanquam ad nihil utilem. Contra, sicut statuunt lapidem reprobum esse, ita se, justitias suas, opera sua ornant hoc titulo, quod Deo placeant, quod sint ecclesia et populus Dei. Haec contradictio et reprobatio necesse est ut sit, ubicunque hic lapis est, et aedificatores sunt, hoc est, tales, qui gloriantur se esse ecclesiam et possessionem verae doctrinae et sanctorum cultuum sibi vendicant.

---

14) Increduli peribunt.

Quis autem horum certaminum tandem erit finis? Hic nimirum, de quo psalmus dicit: Reprobatus lapis fit lapis anguli, qui totum aedificium sustinet, et fit, ut, qui cadent super hunc lapidem, confringantur, super quos autem hic lapis ceciderit, ut comminuantur. Sic enim Christus Matth. 21. psalmum hunc exponit, et est prorsus eadem hujus quoque loci sententia.

„Conteres, inquit, eos sceptro, seu virga ferrea," hoc est, concitabitur mundus contra te, non feret hoc de se judicium, parabit vim et arma, sed quo eventu? hoc nimirum, ut tandem conterantur et pereant. Habes enim virgam seu sceptrum ferreum et adamantinum, quod sustinere non poterunt etc. Si cui magis placet latina translatio תְּרֹעֵם: Reges eos, seu, ut Hieronymus vertit, pasces eos, ne haec quidem insuavis aut inconcinna figura est. Sic enim nos quoque germanice solemus loqui: Du sollt ihnen ein Bisslin zu fressen geben, da sie an sollen zu däuen haben, dabis eis pabulum tale, quo peribunt.

Est igitur versus comminatorius, et terret impios, qui huic regi se opponunt, contra nobis est consolatorius, qui nos cum hoc rege conjungimus, ac scimus esse eum quoad mundum infirmum regem, laborantem in multis infirmitatibus, sive se ei opponant tyranni et potentes in mundo, sive falsi fratres et auctores sectarum ac haeresium, sive etiam conscientia nostra: sed tanta infirmitas nostri regis non est, neque etiam potentia adversariorum tanta, quin tandem omnes, qui se ei opponunt, ruant et pereant. Retineamus igitur consolationem hanc, cum mundus furit, ac vi et armis contra regem hunc grassatur. Etsi enim mundus habet magnam potentiam, contra rex hic admodum est infirmus, nihil enim habet, quo pugnet, quam verbum evangelii, quod secure a mundo contemni videmus, ta-

men hoc ipsum verbum, sic contemtum et neglectum in mundo, tandem destruet omnes suos hostes. Est enim, ut propheta hic loquitur, ferreum sceptrum, contra mundus est vas figulinum, levi igitur impulsu ferri vas figuli disjicitur.

Cur, inquies, hoc nomine evangelium appellat Spiritus sanctus, cum re vera sit verbum recreans animas et salvans [15]), sicut Christus quoque non venit ad perdendum mundum, sed ut salvet mundum, hic autem diversum vaticinatur Spiritus sanctus, quod mundum sit vastaturus? Respondeo: Verum est, quod hoc Christi officium est [16]), ut salvet, ut a peccatis liberet, et donet aeternam vitam. Sic evangelium quoque recte dicitur a Paulo potentia Dei ad salutem omni credenti. Qui enim Christum amplectuntur, et verbo ejus credunt, vere consequuntur salutem. Ideo scriptura quoque eum vocat anguli lapidem, qui sustinet totum aedificii pondus, cui totum aedificium innititur, ne corruat. Qui autem Christum non amplectuntur, et verbum ejus oderunt, hi quia salutem suam abjiciunt, quomodo possunt non perire? Qui huic lapidi non volunt inniti, sed aperta fronte contra eunt, qui aut cadunt in hunc lapidem, aut super quos hic lapis cadit, quomodo non possunt laedi?

Igitur Christus quoque dicit, Joh. 12.: „Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvem mundum. Qui me spernit, et verbum meum non accipit, is habet, qui eum judicet, verbum, quod locutus sum, judicabit eum in novissimo die.“ [17]) Est quidem sceptrum seu virga salutis verbum evangelii omnibus credentibus, sed qui hoc abjiciunt, quia salutem abjiciunt, non possunt non perire. Non culpa verbi, quod sanctum

15) Evangelium sceptrum ferreum. 16) Christi officium. 17) Joh. 12.

est, et vitam offert, sed sua culpa, quod hanc salutem, quae offertur, rejiciunt, et nituntur potius sicut Judaei lege et sacrificiis, sicut monachi votis et traditionibus suis, sicut justitiarii omnes cultibus, quos ipsi sibi delegerunt. Cur enim non humiliant se? cur Deo non dant honorem? cur non fatentur se miseros esse peccatores, et Christum amplectuntur? Sic enim esset eis evangelium salutis et vitae virga.

Diligenter igitur notabis hanc descriptionem, quod evangelium appellatur sceptrum ferreum, qui autem evangelio se opponunt, testa aut vas figuli. Profecto non magni negotii res est, si manibus teneas ferreum malleum, ollam fictilem confringere. Quid enim tuis viribus, quid brachiorum pondere opus est? Ferrum temere in ollam cadens, eam confringet. Pertinet igitur haec descriptio ad significandam illam invictam virtutem verbi, quae non cernitur oculis, sed est abscondita[18]). Si enim mundi seu rationis judicium sequaris, quid est verbo infirmius? quid contemtius? Non enim ferrum, sed stipula aut levis palea esse videtur, quae infirmo anhelitu seu spiritu loco movetur, nec potest consistere. Ita enim reges, pontifex, episcopi et tota impiorum turba cogitant de nobis, esse nos numero paucos, et miseros mendicos, qui ne apud nostros quidem aliquo in loco sumus. Secure igitur nos et verbum, quod praedicamus, contemnunt, non metuunt ruinam, non calamitatem aliquam a nobis. Sunt enim numero multi, ac valent potentia, dignitate et opibus. Rident igitur tanquam suaves ineptias, cum minamur certas poenas secuturas contemtum verbi tam insignem.

Sic Petrus, Paulus et alii apostoli quid erant,

18) Virtus verbi invicta, sed abscondita.

collati ad synagogam, cujus doctrinam, cultus, et totum sacerdotium conabantur mutare? Suavis risus movebatur pontificibus ex his conatibus. Sed tu vide, quid secutum sit. Nonne infirma ista vox Petri, Pauli et aliorum vere fuit ferrea vox, fuit malleus, quo synagoga tanquam testa contusa et in pulverem redacta est [19]), adeo ut ne quidem testa supersit, in qua (ut Esaias hanc figuram imitatus ait) igniculus gestari possit? Non enim solum per totum orbem terrarum miser populus dissipatus est, sicut testae, sed ne particula quidem restat ad ullam rem utilis, simpliciter sunt reprobi, et neque ad rempublicam nec ecclesiam utiles. Idem accidet iis, qui hodie se verbo opponunt, papae et ejus complicibus, Turcae, sectariis et Schuermeris nostris, qui falsis dogmatibus de coena domini, de baptismo etc. perturbant ecclesias. Omnes hos Spiritus sanctus hic pingit, quod sint fracta testa, in qua non possit gestari igniculus. Sed non apparet jam haec verbi potentia, imo diversum apparet, doctrina nostra videtur in tanta adversariorum multitudine prorsus casura, impii doctores, idololatria, tyrannis videntur praevalitura.

Pertinet igitur versus hic ad nos consolandos, ne abjiciamus animum et desperemus, sed statuamus, sicut coram Deo hostes verbi jam judicati et praecipitati sunt in infernum, ita judicium hoc suo tempore manifestatum iri. Verbum enim Dei tanquam torrens nulla vi poterit cohiberi, faciet, quod natura solet, ut salvet credentes, impios autem ut damnet et conterat, idque ideo, quia auctor hujus verbi est sapientia, potentia, justitia divina, ideo est super omnia, quae nos habemus et sumus. Quid enim est papa cum justitiis

19) Judaei contriti.

suis? quid Turca cum potentia sua? quid sacramentarii? quid anabaptistae cum suis pithanologiis et fucatis rationibus? Nihil, profecto nisi futiles et inutiles bullae, quae inflatae sunt et aliquid esse videntur, sed subito evanescunt. Amplificemus autem nobis praesertim his novissimis temporibus has consolationes de invicta verbi potentia. Fieri enim non potest, quin animi nostri perturbentur in tanta scandalorum multitudine et infirmitate ecclesiae. Non enim ludus aut jocus est, quod totus mundus se nobis opponit. Turcam et papistas si conferas, dissimillimi inter se sunt, et esse volunt, sed in hoc consentiunt, quod contra Christum pugnant, et doctrinam hanc volunt sublatam. Est quoque magnum nobis periculum a falsis fratribus et auctoribus impiorum dogmatum, quin etiam corda nostra nos oppugnant, et hanc consolationem, quam per Christum habemus, conantur reddere dubiam.

Necesse igitur est, ut amplificemus nobis verbum et ejus potentiam, ac statuamus: quidquid sapientiae, justitiae, tyrannidis sive extra sive intra nos est, hoc omne aut cedat verbo oportet, aut ruat et pereat. Quanta potentia Satanae foris sit, in tyrannis sentimus, sed profecto longe est potentior in cordibus nostris. Habet enim maximam nostri partem, nempe carnem nostram, eam incitat, ut vexet corda desperatione, tristitia, conscientia peccati et aliis similibus telis vere ignitis. Sed statuamus secundum hujus psalmi vaticinium, sedere contra haec omnia mala et difficultates omnes regem nostrum Christum, qui est filius Dei, ac ornatus hoc titulo, quod sit rex regum, apoc. 19. ac tenere manu ferreum malleum, esse autem tyrannos, haereticos, et quidquid se verbo opponit, vas figuli. Cum igitur inter hos committitur certamen, impossibile est, ut figulinum vas praevaleat ferro, ferrum communi-

nuet et conteret testas. Manebit autem apud nos, sicut credimus, vera justitia, sapientia, salus et vita, velit nolit mundus et Satan. Nam verbum domini manet in aeternum, manet pontifex et rex noster Christus, manebimus nos quoque, qui in eum credimus, hostes autem verbi omnes ruent et peribunt, amen.

Non autem eo solum respicit Spiritus sanctus, cum utitur similitudine vasis figulini, quod facillime et sine omni negotio frangatur, sed quod fracta vasa figulina nullius prorsus sint usus. Lignea cremari possunt, et valent ad ignem succendendum, ferrea vasa, argentea, aurea si frangas, reliquiae tamen sunt alicujus usus, sed partes figulini vasis prorsus ad nihil sunt utiles: sic abjicientur in aeternum hostes verbi.

Nunc ergo reges erudimini, sinite vos castigari judices terrae.

Hactenus regem Christum et regnum ejus propheta Spiritu sancto plenus pinxit, nunc addit concionem exhortatoriam, cujus nihil simile invenies in omnibus literis. Hoc enim solent alii scriptores, commendant imperia et magistratus, ac hortantur ad obedientiam subditos, ac bene quidem: sed propheta diversum facit, non loquitur cum rusticis, non cum servis, non cum pueris, ut sint obedientes, sed cum ipsis regibus, et mandat, ut patiantur se erudiri et disciplinari. Quid unquam audivisti simile? vocari ad disciplinam eos, qui aliis imperant? An non magna superbia est, sic contemtim cum regibus loqui in genere[20], nullum excipere, sed omnes simul alloqui tanquam fatuos, qui nihil intelligant, tanquam sine legibus, sine disciplina omni viventes? Si enim jam antea sapiunt, cur dicit

---

20) Reges mundi damnat Spiritu sancto.

„intelligite"? Si reguntur legibus, cur dicit: disciplinamini, seu: accipite disciplinam?

Atque haec causa est, quod hic rex, sicut propheta initio dixit, non regnat sine cruce, et variis vexationibus infinitorum hostium. Quia enim sine ulla exceptione omnes alios reges ad disciplinam vocat, quia damnat leges, justitiam, sapientiam, et ipsos reges ac judices terrae stultos vocat, quibus magistro opus sit, qui eos doceat justitiam et disciplinam, ideo insurgunt contra eum, nolunt doceri, nolunt haberi pro stultis.

Num igitur, inquies, imperia mala sunt aut leges damnandae[21])? Minime. Sunt enim ab ipso Deo condita imperia et leges. Sed tu hunc regem considera, qualis sit. Non est mundanus rex, sed est doctor, qui docet de remissione peccatorum et vita aeterna consequenda. Huc si leges, si imperia transferas, tanquam ad salutem consequendam profutura, falleris. Non igitur damnat sapientiam et justitiam regum, si consistant suo in loco, hoc est, si rationi subjectas res moderentur ac gubernent sapientia sua, et honestis moribus alios quoque invitent ad legum obedientiam, et communi tranquillitati serviant. Hic enim etiam praemia sua habet industria et virtus, Deus enim addit successum. Sed fiducia horum donorum aspernari verbum, abjicere mediatorem Christum, sperare salutem etc., hoc peccatum illud est, quod in potentissimis, sapientissimis et sanctissimis rex hic damnat, et ideo jubet, ad se ut veniant, ex se ut discant, se ut audiant etc.

Abrogatur igitur hic quoque non solum Moses et lex, sed omnia imperia cum omnibus donis[22]), quae

21) Quid reprehendat in regibus Christus. 22) Abrogatio legis et omnium.

habent, cum sapientia, potentia, legibus, disciplina, virtutibus, religionibus omnibus et studiis, quod ad salutem prorsus nihil prosint. In hoc autem uno ostenditur esse salus posita, si hunc doctorem audias, si te illi regendum, assuefaciendum, fingendum et formandum praebeas. Hic enim rex, ut vulgo ajunt, est fac totum, Deo nihil placet, nihil Deo gratum est praeter hunc regem. Igitur qui hunc regem non amplectuntur, qui se ad ejus pedes non abjiciunt qui non ipso mediatore utuntur, hos odit, abjicit et in aeternum damnat Deus, nihil curans opera, nihil virtutes, nihil studia eximia, nihil justitiam et sanctitatem, qua se coram Deo commendari credunt. Solus enim hic est filius, in quo patri complacitum est, solus omnia habet et possidet ex voluntate patris.

Pertinet igitur hic quoque versus ad nos confirmandos contra ingens scandalum, quo ecclesia vexatur[23]). Si enim rem spectes, contrarium fit: non patiuntur doceri se reges et principes, sed vinculum hoc disciplinae, sicut supra Spiritus dixit, summa vi conantur disrumpere. Huc accedit Satan, qui cum toto inferno huic doctori se opponit, et excitat falsos prophetas. Nec corda nostra quiescunt. Nam exagitata per legem, peccatum et mortis metum quaerunt alia praesidia, quam doctorem hunc. Hic excitemus nos, et hoc versu nos consolemur, quod hic solus sit doctor, quo recte possimus erudiri, ac futurum, ut qui hunc non audiant, simpliciter pereant, cum omnibus donis et praesidiis suis. Sic apud Esaiam dicit dominus capite 53.: „Super ipsum continebunt reges os suum[24]),“ hoc est, omnes reges terrae, ad eum collati, erunt sicut discipulus ad praeceptorem: praeceptor loquitur et docet, discipulus tacet et auscultat.

23) Consolatio. 24) Esa. 53.

Ad hunc quidem modum gerere se debebant reges, si vellent consequi salutem, ac sane omnes qui salvantur, continent os suum, et obediunt voci evangelii. Sed major pars diversum facit. Est enim noster rex positus in signum, cui contradicitur. Qui autem contradicunt, quod inde ferunt lucrum? hoc scilicet, quod damnantur et abjiciuntur a Deo. Definita enim sententia est, quod huic regi debent cedere non solum reges et principes, sed etiam portae inferorum et omnes angeli. Solus enim debet replere coelum et terram et omnia, sicut Paulus dicit, nobis ad consolationem, ut firma fide in eo haereamus, et per eum solum speremus salutem. Haec est vera theologia, quae animos docet et erigit in summis periculis.

Particula temporis „nunc" non est otiosa, significat enim tempus invulgati evangelii per apostolos. Hic si speciem consideres, non solum summa apparet infirmitas, sed etiam manifestum periculum in re est. Numero enim pauci et contemti ex infima plebe homines novum genus doctrinae spargunt in mundum, et docent salutem per Christum crucifixum, idque eo modo, ut omnia alia ad salutem instituta damnent. Hoc scandalum videt Spiritus sanctus, ideo dicit: „Nunc intelligite reges," hoc est, praebete vos instituendos et docendos, „et erudimini, qui judicatis terram," hoc est, sinite vos castigari, sinite reprehendi vestras justitias et religiones, et parete huic doctori, hic vos docebit veram viam salutis etc. Sicut igitur supra ipse Christus dixit se praedicaturum, ita Spiritus sanctus hoc in loco monet, ut praedicatorem hunc nemo negligat. Facit enim ex rege Christo doctorem, ac totum mundum ostendit esse ejus scholam, discipuli autem ejus sunt reges et judices. Hi autem si hunc doctorem audire debent, quid dubitabimus d;

illis, qui inferiore loco sunt? In summa, hic rex docet totum mundum, ut omnes agnoscant se errasse cum omnibus suis justitiis et meritis.

Sicut autem in genere omnes ad hanc scholam Spiritus sanctus vocat, ita pauci admodum sunt, qui hunc doctorem admittant. Igitur sequuntur turbae, fremitus, indignatio, et quidquid iratus animus suadet: et tamen doctor hic triumphat tandem, pereunt autem inobedientes discipuli, sicut paulo post dicet, et supra quoque dixit. Urgenda igitur vocabula sunt „intelligite", „erudimini". Significat enim Spiritus sanctus, etsi reges, judices etc. notitiam legis habent, et studium virtutis, tamen nisi hunc doctorem audiant, et doceri se sinant, esse fatuos et stultos. Nam si cognitio Christi desit, omnis sapientia est stultitia, omnis justitia est iniquitas et peccatum, quin ipsa vita quoque mors est. Haurit igitur Spiritus sanctus hoc versu totum mundum, et omnia subjicit Christo, cum regibus loquitur, ac si essent locustae, cum sapientibus mundi, ac si essent pueri. Videt enim, quid tandem sit futurum, quod nisi hunc doctorem audierint, cum omni sua sapientia, justitia, potentia sint addicendi aeternis flammis. Hoc enim mandatum est divinum, ut omnes humilientur, ut contineant ora, sicut Esaias ca. 53. loquitur, ut agnoscant hunc regem solum esse, per quem ventura sit salus et vita. Huic mandato qui parent, salvantur, qui non parent, pereunt.

Servite domino in timore, et exsultate in tremore.

Hactenus docuit propheta, regem Christum constitutum super montem Zion, et definivit quoque eum, qualis et quantus sit, nempe filius Dei ab aeterno genitus, verus Deus, et tamen temporaliter etiam natus homo, ut acciperet sedem patris sui David, et domi-

naretur in Zion. Inde dixit propagandum regnum in fines orbis terrae. Datae enim huic regi sunt omnes gentes, ut sit rex regum et dominus dominantium, in quem oculi, aures et corda omnium hominum intenta sint, sive sint Judaei sive gentes, sive justi sive peccatores, sive spiritualis magistratus sive politicus. In hoc enim uno rege omnia sunt sita, solus habet vitam, solus justificat, solus salvat. Huic doctrinae, quae praecipua hujus psalmi pars est, subjecit propheta exhortationem, in qua personas nominat easdem, quas initio nominavit, reges scilicet et judices, qui tumultuantur, cum hic rex exercet suum officium, ac monet, ut tumultuari desinant, et humilientur, ac se praebeant discipulos, ut patiantur judicari et damnari se tanquam peccatores et reprobos, ac filium hunc audiant.

Ad hanc exhortationem etiam hic versus pertinet. Non solum enim jubet, ut audiant, sed postquam audiverunt hunc regem, vult etiam, ut desinant ab insurgendo, et ei serviant, ac addit causam: Quia, inquit, hic rex est dominus seu verus Deus. Positum enim hic est nomen tetragrammaton, quod vocant, et soli Deo tribuitur in scriptura. Judaei neutiquam concedunt, quod persona, quam propheta supra regem nominavit, hic nominetur dominus seu Jehova, sed frustra pugnant. Nam statim subjicit: „Osculamini filium." Quia autem verbum osculandi est vocabulum cultus, vult pater, ut hunc filium adorent et ei serviant omnes, et ostendit, quod, dum huic regi servitur, servitur vero Deo, et qui vero Deo servire volunt, ut id faciant in filio[25]). Ad hunc modum cultum Dei et hujus regis Hoseas capite tertio conjungit, cum inquit: „Tum convertentur filii Israel, et quaerent dominum

25) Christus natura Deus, quia praecipitur colendus.

Deum suum et regem suum David." Quia enim pater et filius unum sunt, coli pater sine filio non potest, ac mandat pater, ut, qui vere servire sibi volunt, filio serviant, et eum audiant. Qui autem filium negant, sicut Judaei et Turcae, hi etiam ipsum Deum negant, et sunt abominabiles idololatrae.

Rejiciamus igitur Judaeorum somnia, et statuamus filii personam, qui est filius Davidis, et sedet in arce Davidica rex, esse Deum, ac appellari hoc in loco augusto illo nomine Dei. Hoc primum est, quod monendum hic fuit. Alterum est, ut etiam verborum propriam significationem observemus. Scitis enim, quam vocabula haec depravata sint in papae ecclesia, quibus Dei cultus significatur. Factum autem id eam ob causam est, quia nemo dignatus est inspicere textum diligentius, seu potius Deus propter nostram ingratitudinem tanta nos caecitate flagellavit, ut quae ante oculos essent, non videremus. Consule enim recentium theologorum libros, et videbis, servire Deo eis nihil esse aliud [26]), quam fugere in eremum, deserere politica aut oeconomica officia, et sese abdere in monasterium.

Sed si haec vera definitio est, quorsum attinent praecepta illa, quibus apostolorum libri pleni sunt, de dilectione conjugum inter se, de obedientia servorum, de aequitate dominorum et moderatione, de diligenti cura administrandae reipublicae? Nonne haec ipsa praecepta ostendunt, quod evangelium omnes hos vitae ordines commendat? Quae igitur amentia fuit docere, quod servire Deo sit fugere haec vitae genera, mutare non solum habitum, sed etiam ipsam naturam et sexum? Quid enim aliud facit monachus, quam quod

---

26) Servire Deo in papatu quomodo definitum.

contra Dei ordinationem vult aliud esse, quam masculus? Haec nonne extrema amentia est? Memini Erfordiae esse duos praestantes jurisconsultos, hi, cum jam moriendum eis esset, altum ingemiscentes dixerunt: O si non doctores juris, sed monachi fuissemus, quanto nunc moreremur beatius! Sed quod praeteritum erat, revocari non poterat, igitur quod unum videbatur remedii restare, mandabant, ut praeter sacra, quae magno emebant, etiam cucullis involverentur cadavera, et sic monastico habitu sepelirentur. Hi an non satis clare ostenderunt, nescire se, quod in suo officio servivissent Deo?

Constituenda igitur vera definitio est, ut statuas servire Deo [27]) non hoc esse, si mutes habitum, si mutes sexum, si relictis et politicis oeconomicis ministeriis te abdas in monasterium, haec omnia externa sunt et simulari possunt: hoc autem etiam abominabile est, quod sine auctoritate verbi, ex propria devotione, ut vocant, suscipiuntur. Cave igitur, quae hujusmodi sunt, ne hoc augusto titulo ornes, quod sint cultus aut servitus Dei. Sed quid disputo de traditionibus humanis? ne quidem Judaei sua sacrificia et alios legales cultus, quos tamen divinitus mandatos fuisse constat, hoc titulo ornare et servitutem Dei vocare audent. Nam si psalmus diceret: Venite ad Jerusalem, sacrificate, mundate vestes, jejunate, adorate ad cherubim etc., ibi sane cogeremur definire, eam esse proprie servitutem Dei, sed horum nihil psalmus dicit, loquitur autem de novo regno, et de doctrina nova instituta post Mosen [28]).

Ergo simpliciter removeas ex oculis, quidquid est religionum et cultuum, etiam illos, quos Deus per Mosen instituit. Venit enim hic novus rex, igitur nova

---

27) Servire Deo. 28) Legales cultus abrogat.

etiam constituitur servitus. Potest Judaeus retinere circumcisionem, monachus potest retinere cucullum, sed hoc statuat necesse est, non esse hanc servitutem a Deo impositam, qua hic rex coli vult. Quia autem utrique monachus et Judaeus ista retinent tanquam cultus, damnantur hoc in loco a Spiritu sancto, et praescribitur alia servitutis forma seu ratio.

Ea autem qualis sit, ex decalogo ostendi potest, qui sic dicit: „Adorabis dominum Deum tuum, et ei soli servies" 29). Haec duo sic mihi soleo distinguere, quod adorare sit hominis conversi ad Deum, servire autem hominis missi a Deo, vel, ut Christus in parabola solet loqui, adorare est ingredientis ad Deum, servire autem egredientis a Deo. Qui enim adorat, procumbit in genua, et ostendit signa subjectionis: ea est quasi passiva servitus. Sic enim convertens se ad dominum in certa fiducia misericordiae propter Christum, accipit remissionem peccatorum et justificatur, ac receptus ad hunc modum in gratiam, egreditur a Deo, et convertit se ad homines, ac exsequitur mandatum Dei, quod attinet ad officia erga homines. Paulus fide jam justificatus justa facit, hoc est, exercet officium suum docendo, pius magistratus regendo, paterfamilias laborando, ac sic serviunt Deo. Faciunt enim, non ut monachi, quod ipsis libet, sed quod Deus praecipit.

Ergo servire Deo 30) aliud nihil est, quam facere, quod Deus jubet, et agnoscere, quod ea sit debita obedientia. Hoc nescivērunt monachi et alii papae doctores, alioqui non jussissent ingredi monasteria, et relinquere politica et oeconomica munera. Satis eis fuisset, quaecunque tandem vocatio esset, respicere ad

29) Cultus Dei, adorare Deum et servire Deo. 30) Servire Deo.

decalogum, et ibi praecepta opera assequi, non confingere nova et a communi consuetudine vitae abhorrentia, qualia monachorum et totius papatus sunt. Ad hunc modum in genere admonendum duxi, quid sit servire Deo.

Porro, etsi Judaei negent Christum hoc loco appellari dominum, tamen quia totus psalmus loquitur de novo rege, constituto super Zion, et cui traditae gentes et fines orbis terrae sint, ac jubeantur reges ei servire, hic quasi in specie constituendum est, quid sit Christo regi servire. Sed non discedemus a generali definitione, servire enim Christo regi[31]) aliud nihil est, quam audire hunc regem, et postea in nomine ejus omnia facere, quae requirit vocatio seu officium nostrum, ut sit sententia: Vos reges et judices, et quidquid eximium est vel in ecclesia vel politia, relinquite, quidquid in toto orbe terrarum est, etiam Mosen, leges, jura etc., et audite hunc regem, praebete vos ei discipulos, auscultate ei. Haec prima servitutis pars est. Deinde quae audivistis, ea facite, et facite in hujus regis nomine, sicut Paulus dicit Col. 3.: „Quidquid facitis, sive verbo sive opere, omnia facite in nomine domini Jesu, et gratias agite Deo et patri per ipsum."

Servire igitur Christo, non est induere cucullum, non est occupari Mosaicis ceremoniis, sed est res prorsus spiritualis, non eo modo, quo monachi spirituale vocant, quod tantum in corde geritur, sed est spiritualis servitus, quae ex spiritu proficiscitur[32]). Qui enim spiritus verba loquitur, praedicat, docet, recte dicitur spiritualiter loqui. Sic spiritualiter etiam vivere is dicitur, qui sanctis occupatur operibus, hoc

31) Servire Christo. 32) Spiritualis servitus.

est, qui facit, quae in decalogo sunt praecepta. Sic oeconomus, gubernans domum suam in fide filii Dei, vivit spiritualiter. Spiritualis enim obedientia est in fide filii Dei facere, quae mandato Dei juberis facere. Habes, quid sit servire huic regi, non, ut monachi solent, abire in monasterium, non haec vel illa opera deligere, sed intueri hunc regem et audire, ac postea, quae audieris, facere.

Cur autem addit: „Servite ei in timore"?[33]) Oblique respicit ad reges. Hi enim, quia potentia et opibus instructi sunt, vi se huic regi opponunt. Nam persequi Christum, non est proprie vulgi, quod facile compesci potest, sed regum mundi, praesumentium de potentia et opibus. Hos Spiritus sanctus singulariter intuetur ac monet, ut vertant superbiam istam in humilitatem, et timeant hunc regem, ut nemo amplius sciat eos esse reges. Nam regem esse et servire, sunt contraria, et tamen vult Spiritus, ut ipsi reges serviant, hoc est, ut agnoscant se hujus regis servos esse, et quidem magis quam ipsorum subditi sunt servi. Exhortationi igitur comminationem interponit. Quia enim videt potentia inflatos esse et securos, monet, ut humilientur, ut abjiciant omnia praesidia, et se supplices ad hujus regis pedes abjiciant, et eum audiant.

Sed num patrocinatur psalmus anabaptistis? Si enim reges servire docet, ergo vult, ut abjiciant coronas, sceptra, et alia insignia, quae eis conciliant dignitatem, et extollunt supra communem conditionem hominum? Ergo redigit eos simpliciter in ordinem, ut nulla differentia sit inter regem et molitorem? etc. Minime[34]). Nam reges ut reges, et judices ut judices debent praestare novam servitutem, non debent

33) Christo serviendum in timore. 34) Quomodo reges Christo servire debeant.

abjicere regna, sed retinere, et tamen hunc regem revereri, et eum audire, ac suas leges secundum hujus regis verbum moderari, hoc est, nihil statuere, quod verbo Christi contrarium est. Itaque non tollit nec mutat leges politicas Spiritus sanctus, sed subjicit eas huic regi, ne ei adversentur. Non solum igitur reges et principes debent retinere munus suum, sed etiam qui ecclesiasticos titulos gerunt. Papa scilicet et episcopi maneant suo loco, tantum hunc regem agnoscant, et humiles ei submittant colla, ac amplectantur verbum ejus.

Diserte autem definit servitutem hanc propheta, cum jubet, ut in timore huic regi serviant. Pertinet autem hoc, ut supra dixi, ad notandas personas, cum quibus Spiritus sanctus loquitur. Reges inflantur potentia et opibus, judices seu doctores sapientia, et in genere omnes sunt justitiarii, hoc est, retinent opinionem sanctitatis, et videntur sibi justi. Hi igitur sunt, quibus dicit Spiritus: „In timore servite.“ Nam alii, qui affliguntur, qui destituti humanis praesidiis confligunt non solum cum fame, sed cum peccatis et conscientia sua, ii jam antea constituti sunt in timore Dei; itaque ad eos non haec concio pertinet, sed illa de credenda remissione peccatorum per filium Dei, factum pro nobis victimam, de qua statim psalmus subjicit et dicit: „Exsultate ei in tremore.“ 35) Non enim vult Spiritus sanctus nos sic timere, ut in timore absorpti desperemus, sed sicut praesumtionem vult sublatam, et ideo jubet, ut timeamus, ita quoque vult sublatam desperationem ac jubet, ut regia incedamus via, et simul metuamus ac speremus, quasi dicat: Hic rex, sicut non vult ferre superbiam regum et justitiam

35) Exultandum in tremore.

sanctorum, ita quoque non vult ferre abjectionem pauperum et stultorum, qui sibi non possunt consulere. Hoc autem vult, ut et timeas, atque ita effugias superbiam seu praesumtionem, et exsultes, ut effugias desperationem. Qui non volunt eum timere, his minatur plagas, habet enim virgam ferream: qui autem sic timent, ut simul exsultent, hoc est, ut statuant se justificari sola Dei misericordia et beneficio Christi, hi sunt vere filii Dei, qui Deum timent, non ut tyrannum, sed sicut liberi parentem cum reverentia. Temperant enim timorem Dei cum laetitia et spe, et tamen ne nimis crescat animus et evadat in praesumtionem, manent in humili reverentia. Haec est vera Dei servitus, quam agnoscimus perdisci nunquam posse. At adversarii nostri Schuermeri tanquam notam ac, ut dici solet, calceis attritam rem contemnunt, itaque occupantur aliis, in quibus ingenii aliqua laus consistere videtur.

Ad hunc modum conjungit haec psalmus 147.: „Beneplacitum est domino super timentes eum, et qui sperant in misericordia ejus“[36]). Cur addit „super timentes“? Nimirum propter superbos, qui fidunt in sua sapientia et justitia, in his non potest esse beneplacitum. Soli autem hi placent, qui timent, hoc est, qui se agnoscunt peccatores esse, et ideo non erigunt cristas, sed humiles demittunt capita: et tamen hic quoque requiritur illud „ne quid nimis“. Non enim, cum ad hunc modum sentis terrorem, indulgere cordi tuo debes, non debes statuere, quod irascatur tibi Deus, quod abjecerit te, quod perdere velit, sed attollendi sunt oculi et respiciendum in Christum, qui se posuit mediatorem inter Deum et nos, et peccata no-

36) Psal. 147.

stra in suum tergum recepit, ac pro iis in cruce luit poenam mortis. Hic tanquam aenei serpentis adspectus mitigabit timorem, ne sit nimius et evadat in desperationem.

Sed, ut dixi, ardua res est, et vix magnis sudoribus Christiani eo veniunt, ut hanc psalmi particulam intelligant. Verba quidem audimus, ac facilia esse videmus, sed non ita admittit haec animus, cum seria res agitur, sicut alia, quae ex humana sapientia nata sunt [37]). Tota igitur vita nostra ad hanc unam artem discendam non sufficit. Natura enim in utramque partem est pronissima et vehementissima, sicut poeta quoque dicit:

Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum rebus sublata secundis.

Et exstat similis apud Basilium sententia, *ὁμοίως γάρ ἐςι χαλεπὸν ἔν τε δυσκολίαις πραγμάτων ἀταπεινώτων τὴν ψυχὴν διασώσασθαί καὶ ἐν ταῖς περιφανείαις μὴ ἐπαρθῆναι πρὸς ὕβριν.* Cum enim animus inflatur secundis rebus, nullus modus est superbiae, sicut apparet in divitibus mundi, et est hodie insigne exemplum in Turcica gente. Contra hos igitur dicit Spiritus sanctus: Timete, nolite superbire, sed servite huic regi in timore. Contra, cum res adversae sunt, nulla bestia magis confunditur pavore, quam homo, nullus enim querulandi modus est, et proni abimus in desperationem. Haec est natura nostra, utrimque ad extremum depravata, sive adversa seu propitia fortuna utamur [38]).

Igitur omni conatu hoc agendum est, ut moderemur ac gubernemus impetus vitiosos, ac ad hunc regem nos conferamus, qui solus est non solum medi-

---

37) Difficilis res. 38) Vitium naturae.

cus horum atrocissimorum morborum, sed etiam regula, sicut dicit: „Ex me discite, quia mitis sum et humilis corde.“ Nota est Pauli apostoli querela ad Rom. 7.: „Delectat me lex Dei, inquit, secundum internum hominem, sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meae,“ hoc est, tota natura repugnat legi Dei. Haec sane horribilis vox est, sed addit aliud gravius: „Lex in membris meis, inquit, captivat me peccato,“[39]) hoc est, nolens volens cogor peccato servire contra legem Dei. Sicut in adolescentibus videmus motum libidinis, qui nolentes volentes abripit in peccatum, nec vel in ratione vel arbitrio tantum est virium, ut furiosum hunc motum reprimant: sic senes absorbet avaritia.

Sicut autem haec vitia certam aetatem exercent et vexant, ita omnes christianos exercet et vexat, imo prorsus absorbet vel tristitia in rebus adversis, vel securitas in laetis. Tales natura sumus omnes, peccata captivant nos, ut non possimus exsultare in timore, aut timere in exsultatione. Adeo difficilis mixtura, et prorsus impossibile hoc temperamentum ponderis est (licet enim philosophico vocabulo in theologica materia uti), quod Spiritus sanctus hic ponit. Nam timere et laetari sunt affectus prorsus contrarii, et tamen si volumus christiani esse, utrumque necesse est, ut et paveamus et exsultemus.

Recentiores theologi disputarunt multa de timore servili et filiali[40]), ac sane facile est videre, quid intersit inter patrem castigantem filium, et lictorem. Cum enim pater filium castigat, non abjicit omnem spem filius, videt enim finem virgae, hoc est, sentit iram cum virga cessare. Igitur etsi dolet, etsi patris iram

39) Rom. 7. 40) Differentia timoris servilis et filialis.

metuit, tamen retinet spem misericordiae. Tali animo in poena non est fur, cum a lictore arripitur. Novit enim lictoris animum talem, ut propitius non sit, nisi prius laqueo strangulaverit furem. Desperat igitur, quia poenae nullum videt finem. Hoc oeconomicum exemplum admodum luculentum est, sed nobis constitutis in poena persuaderi non potest, Deum esse nobis patrem. Itaque timemus eum non filiali timore, non enim videmus consilium erudiendi, sed servili, statuimus enim Deum irasci sine fine. Qui igitur hic posset sapere, cum sentit peccatorum poenas, et dicere: Es filius Dei, Deus autem sicut pater filium, quem diligit, castigat; momentum est ira ejus, non in aeternum irascetur dominus, hic faceret, quod Spiritus sanctus hoc in loco jubet.

David hanc artem tenuit, sicut testantur conciones ejus. Deinde etiam experientia ostendit, eum in poena non abjicere spem, retinet enim invocationem. Etsi autem exsultatio valde esset infirma[41]), tamen quia finem flagelli videbat, vincebat timorem, ne, quod impiis accidit, absorberetur penitus. Carnem si spectes, etiam in Davide paene obruta est timore, ut exsultationem non sentiat, et tamen, sicut Paulus dicit, mente servit legi Dei, etiam in ipsa poena exilii, Deum invocat, sentit non, ut apud lictorem, nullum esse veniae locum, etiam dum plagas accipit, hoc secum statuit: Pater est, non irascetur in perpetuum. Facile igitur dictu est, quod timor Dei verus sit filialis timor[42]), hoc est, mixtus cum exsultatione, seu spe, sed si sequaris sensum, timore senties exsultationem obrui et exstingui. Sed ne ideo abjicias animum, nec desperes, sustine dominum, et apprehende verbum,

41) Exsultatio est valde exigua. 42) Verus Dei timor.

quod concionatur iram Dei esse momentaneam, vitam autem esse in voluntate ejus, hoc est, velle Deum, ut vivamus, non velle, ut pereamus, atque hanc ipsam ob causam immittere plagas. Sic fiet, ut saltem guttulam aliquam exsultationis sentias, ea paulatim crescet, ut tandem superet timorem. Difficilis praxis, sed tamen ejusmodi, quam, sicut testantur exempla, sancti Dei didicerunt. Oportet autem nos eorum sequi vestigia, et hanc artem etiam discere, adjuvabit autem nos, praesertim si oraverimus, sanctus Spiritus.

Multi juvenes timent dominum[42]), nec ruunt, sicut Satanae mancipia, in libidines. Horum corda si inspicias, videbis ea sic turbari aestibus libidinis, ut ipsi ne guttam quidem castitatis sentiant, quam tamen totis animis optant sibi dari. Quid multa? Ipsi judicant et sentiunt sua corda esse ceu lupanaria, in quibus nihil sit castitatis, et tamen latet in imo cordium castitas, sed oppressa sensu libidinis, donec tempus conjugii venit. Etsi enim sensu carnis carere non possunt, tamen gemunt corda castitatem, quam abesse sentiunt, optant adesse, et inviti tolerant istas flammas libidinis. Sicut igitur hic castitas ceu in angulo latens paene exstinguitur sensu libidinis, ita quoque exsultatio non sentitur, sed occupat omnia timor, et tamen non vincit timor. Sic aliae passiones praedominantur quoad sensum, sed virtus et spes tandem praedominantur quoad vim. Major enim est vis virtutis, quam timoris, libidinis et aliarum passionum.

Haec sic discenda et ferenda sunt. Non enim aliter fiet, virtus Dei in infirmitate perficitur. Paulus quoque libenter habuisset purum timorem, puram exsultationem, puram castitatem, hoc est, purum sensum horum

42) Juvenis tentatur libidine.

donorum, quae habebat et quibus indigebat. Sed haec in hac vita si contingant, non erit amplius calamitosa vita, sed amoena paradisus. Juvenis, senex, si nullum peccati sensum haberet, si non exerceretur desperatione, simpliciter esset in regno coelorum. Sed talis haec vita non debet, imo ne potest quidem esse, non debet sentiri pura exsultatio, debet admixtus esse timor. Donec enim haec caro vivit, facit quod est carnis. Haec nos nunquam emendabimus perfecte, itaque ideo non desperemus. Spiritus enim est absconditus, eum Deus videt, et quia Christum apprehendimus fide, peccata carnis libenter condonat. Haec est una pars cultus, ut serviamus Christo regi in timore, et exsultemus ei in tremore. Magna autem causa est, cur exsultationem conjungat cum tremore[44]. Si enim pura exsultatio sentiretur, sequeretur securitas, securitatem praesumtio, praesumtionem autem damnatio. Non enim tolerare Deus praesumtionem potest. Sic autem miscebimus haec, si in Deo exsultemus, in nobis autem recte conturbemur. Sumus enim non solum stulti, sed etiam miseri peccatores. Causae igitur satis est, ut tremamus et metuamus nobis.

Sed hic non consistendum est. Si enim nihil videas, quam quod peccator sis, sequetur desperatio. Igitur attollendi sunt oculi, et respiciendum est in Christum, tum sequetur timorem exsultatio. Sic enim dicemus: Sum sane peccator, sed non ideo desperabo. Christus enim justus est, imo Christus mea peccata transtulit in se, et ideo passus est ac resurrexit, ut ego justitiam ejus induerem. Si igitur in me non est consilium, ipse est mihi a Deo positus, ut sit sapientia mea, si ego pauper et inops sum, ipse est potens

44) Cur cum timore conjuncta exsultatio.

et dives etc. Hic demum est purus cultus [45]), quo Christus vult a nobis coli, segregatus ab omnibus superstitionibus. Illas enim Spiritus sanctus non curat, sicut ne reliqua quidem humano consilio instituta. Relinquit regibus coronas suas et sceptra. Monachus si velit jejunare, si velit dissimili ab aliis vestitu et victu uti, ne id quidem curat, vult ista subesse rationi humanae, ac prout cuique commodum est, observari, hac una adhibita regula, ne cuiquam ponamus scandalum. Hoc autem ab omnibus, sive reges, sive monachi, sive sancti, sive potentes sint, postulat, ut humilientur coram hoc rege, ut eum audiant, de eo solo glorientur, in eo solo exsultent, in se autem et suis omnibus ut humilientur. Hunc cultum qui praestant, hi postea quidquid pro vocatione sua faciunt, si id in nomine Jesu faciunt, Deo gratum est.

Discamus igitur nos quoque hunc cultum Deo praestare, et distinguamus eum ab omnibus externis rebus. Non enim curat Deus, rex ne an servus sis, maritus an coelebs, vir ne an foemina, praeceptor an discipulus. Sunt hae humanae constitutiones seu creaturae, ut Petrus appellat, quarum voluit nos Deus esse dominos et gubernatores. Non curat, jejunes ne an comedas, modo cum fructu tuo id facias. Nihil, inquit, ista omnia ad me et ad cultum meum. Meus enim cultus est, me revereri, a me accipere omnia, me agnoscere, de me loqui, me praedicare, quod omnia mea sint, quae in toto orbe terrarum sunt, confiteri, quod sitis, cum sine me estis, peccatores, stulti, infirmi, item agnoscere me, quod non sim tyrannus, quod non ideo vos humilio, quasi velim perditos, sed ut revocem vos a superbia, et doceam vos humiles

45) Cultus Dei verus.

esse. Hoc cum a me per crucem factum est, volo ut erigamini iterum, ut attollatis capita et oculos ad Christum meum, quoniam, si quid vobis aut sapientiae, aut justitiae, aut virium deest, ibi habetis fontem omnis sapientiae et justitiae. Sic servietis mihi in timore et exsultabitis in tremore. Tremor quidem in sensu est admodum magnus, sed exsultatio sensu parva, tamen virtute magna tandem triumphabit.

Ego adolescens hunc versum oderam, non enim libenter audiebam, quod Deus esset metuendus. Accidebat autem id eam ob causam, quia nesciebam timorem miscendum cum exsultatione seu spe, hoc est, nesciebam differentiam, quae est inter nostra et Christi opera. Nostra opera mala sunt, sicut tota natura mala est, igitur non debemus esse securi, sed metuere judicium Dei. Contra Christi opera sancta et perfecta sunt[46]), igitur debemus retinere spem misericordiae. Non enim sua causa natus, legi subditus et tandem cruci affixus est, nostra haec voluit esse dona. Igitur sic timeamus, ne exsultatio excludatur prorsus. Debet autem exsultatio vera esse. Non enim ita concluditur in cor, ut foris nullae ejus appareant notae. Tranquillus animus et qui vere statuit Deum propter Christum nobis reconciliatum esse, parit hilarem vultum et laetos oculos, linguam solvit in laudes Dei. Ad hunc modum, inquit Spiritus sanctus, servietis huic regi, ut sit laetitia intus et foris, conjuncta tamen cum reverentia, ne efficiamini sues et nimium securi, descendentes in carnalem laetitiam. Securitatem enim si removeas, non offenditur Deus hilaritate, quin tristitia offenditur, et praecipit hilaritatem. Sic in lege prohibitum erat, sacra fieri a lugentibus, et Malachias dicit,

46) Nostra opera mala, Christi sancta et perfecta.

pollui sacrificia luctu. Laetemur igitur, sic tamen, ne simus securi, sed admixtus sit laetitiae timor, et timori spes.

Haec est exhortatio contra superbos et pro pusillanimibus, qui nimium sunt humiliati. Nam par blasphemia est, sive desperes, sive praesumas. Non enim voluit nos esse Deus in coelo aut in terra, sed in medio. Pedes tendunt ad infera, caput autem ad superos, et quanquam in terra vivimus, tamen jubemur, ut conversatio nostra sit in coelestibus. In summa, qui sunt christiani, non sunt pure timidi, nec pure laeti. Timori est adjuncta exsultatio, metui spes, lacrymis risus, ut statuamus tum demum nos perfecte exsultaturos, cum carnem hanc deposuerimus, quae sicut metum abjicere non potest, ita utile ei est, in metu esse, ne secura fiat. Ad hunc modum definivit cultum Dei praesens psalmus. Illa enim demum est vera religio, timere Deum et confidere Deo. Haec duo ubi recte sunt temperata, ibi tota vita est justa et sancta. Ceremoniae externae, et quidquid est externorum operum, omnia postea gubernantur felicius, quando haec duo recte sunt temperata. Nunc addit comminationem et consolationem, ut prophetiam recte claudat.

Osculamini filium, ne irascatur, et pereatis subito quoniam brevi exardescet ira*) ejus. At beati omnes, qui confidunt in eum.

Exhortationi hic est addita comminatio satis dura. Pertinet autem ad contundendas superbias regum, sapientum, sanctorum et omnium illorum, qui fidunt creaturae extra Deum. Ita autem natura nostra est vitiata, ita ad praesumtionem et securitatem, cum res secundae sunt, sumus proni, ut, nisi Spiritus sanctus immutet corda, impossibile nobis sit consistere. Non

*) In edit. princip. leg.: via.

leges, non poenae ullae coercere hoc vitium possunt, sola vox de coelo sonans superbias has dissipat, et temperat laetitiam metu. Quod ad grammaticam attinet, norunt ebraice docti legendum hic, non ut latinus textus habet: apprehendite, sed: „osculamini". Itaque consilium suum permittimus septuaginta interpretibus, nos tamen a veritate ebraica ideo non discedemus.

Quod septuaginta veterunt δράξασθαι παιδείαν, in ebraeo est בַּר, ac late patet ejus significatio [47]). Est enim adjectivum nomen, et significat purum, electum. Ideo Hieronymus vertit: Adorate pure. Per antonomasiam autem, quae ex communi nomine facit proprium, postea transfertur ad alias res, et propter excellentiam individui vocatur sic triticum seu frumentum, tanquam electa res. Sic apostolum intelligimus Paulum, prophetam Davidem, philosophum Aristotelem, militem Georgium a Fronsberg etc. Nam propter excellentiam saepe ex communi nomine fit proprium. Sic Christus per excellentiam dicitur justus, sapiens, sacerdos, filius hominis, rex etc. Ad hunc modum בַּר substantive significat etiam filium, tanquam rem maxime electam, caram, jucundam parentibus. Si voluisset David ebraice loqui, dixisset בֵּן. Sed utitur vocabulo בַּר in eadem significatione, per antonomasiam, ad obscurandam prophetiam a facie diaboli et impiorum, qui non sunt digni videre haec. Haec est vera hujus appellationis ratio, quantum ego video. In psal. 19. adjective ponitur: „Praeceptum domini purum," latina translatio habet: lucidum.

Sed quo, inquies, pertinet vocabulum „osculamini"? Significat ceremoniam. Sunt autem osculorum genera

47) Vocabulum בַּר quid.

admodum varia [48]). „Osculetur me osculo oris sui," inquit sponsa in canticis, hoc est osculum caritatis et signum summi amoris. Ideo Paulus quoque dicit: „Osculamini vos in osculo caritatis." Aliud est osculum manuum, id nostro more est homagium praestare. Eo utimur erga illos, quos agnoscimus dominos nostros. Aliud est pedum osculum, quo significatur extrema humilitas, ac usus est eo Christus in coena, ut ostenderet se minimum esse in regno coelorum, et omnium servum. Est enim factus servus noster, et habuit nos pro dominis suis, siquidem pro nobis laboravit, et tulit peccata nostra. Sic manuum et pedum osculum significatione conveniunt, quanquam hoc altioris humilitatis indicium est. Hieroymus igitur non verbum, sed sententiam expressit, cum vertit: adorate, sed in eo lapsus est, quod nomen בַּר reddidit adverbialiter: adorate pure. Si nominaliter vertisset, recte fecisset: adorate purum, electum, lucidum. Sic enim nos quoque solemus dicere: mea lux, meum corculum.

Pulcherrimis igitur verbis et plane rhetoricis commendat Spiritus sanctus nobis filium Dei: Osculamini, estote subditi, procidite, humiliamini, agnoscite vos subditos. Cujus? aut coram quo? Coram electissimo, coram purissimo, in quo solo patri complacitum est, sicut pater de coelo testatur: „Hic est filius meus dilectus," et ipse Christus apud Johannem dicit: „Pater diligit filium." Has ipsas voces complectitur psalmus, et de eis vaticinatur, cum ebraico vocabulo filium vocat בַּר, quasi dicat: Ipse est meum dilectum, meum purum, meum electum, quo unice gaudeo, mein Herz, mein Freude. Ergo adorate Deum, qui est deliciae unicae Dei, et in summa placentia, et adorabitis Deum,

48) Oscula varia.

Deo rem gratam facietis etc. Flectite ei genua, osculamini pedes ejus etc.

Porro hae voces significant, Christum non esse simpliciter hominem, siquidem pater tribuit honorem suum filio, et jubet adorari filium[49]. „Adorabis dominum Deum tuum, inquit Moses, et ei soli serveis," et apud Esaiam dicit dominus: „Gloriam meam alteri non dabo." Cum igitur Deus non possit esse mendax, et tamen hic praecipiat adorandum hunc regem, sequitur hunc regem in Zion positum natura esse Deum. Igitur supra quoque ostendi, etsi Judaei contendant praecedentem versum non ad hunc regem, sed ad ipsum Deum esse referendum, tamen, nisi prorsus amentes sunt, fatebuntur, quod Deus hic suo mandato omnes nos remittat ad filium, et filium velit coli et adorari. Convenit igitur sententia cum his evangelii vocibus: „Hic est filius meus dilectus, hunc audite." „Qui crediderit in me, mortem non videbit in aeternum." „Creditis in Deum, et in me credite." „Doctrina mea non est mea." „Quae ego loquor, loquitur pater." „Pater operatur adhuc, et ego operor." „Pater mihi omnia dedit, pater dedit judicium filio, filius neminem judicat, sicut pater vivificat, sic et filius etc."

In his sententiis invicem referunt se pater ad filium, et filius ad patrem, ut non dubium nobis esse possit, hunc regem esse verum, legitimum et naturalem Deum, et, nisi hunc regem colas ac amplectaris, Deum non posse coli. Pater enim et filius unum sunt. Frustra igitur Turca, frustra papa, frustra monachus speculatur de Deo extra Christum. Turca dicit se adorare Deum, qui fecit coelum et terram, idem Judaeus dicit. Sed quia uterque hunc regem negat esse

49) Testimonium divinitatis.

filium Dei, non solum aberrant a Deo, sed et idolum cordis sui adorant, fingunt enim Deum talem, qualem ipsi volunt, non qualem se Deus revelavit. Sed Deus abominatur eos, et obturat aures suas ad eorum preces. Neminem enim vult audire et videre, nisi in filio suo.

Sicut Christus dicit ad Philippum, Joh. 14.: „Philippe, qui videt me, videt patrem meum.“ Cum enim Philippus orat: „Ostende nobis patrem,“ Christus admirabundus respondet: „Tanto tempore vobiscum sum, et tu me nondum novisti,“ quasi dicat: Quo abripiunt te cogitationes et speculationes tuae? Nisi in me figas oculos atque animum tuum, nec Deum nec patrem usquam invenies. „Est enim pater in me, et ego in patre, et verba, quae loquor, non loquor ego, sed pater qui in me habitat, is facit opera etc.“ Ad hunc modum videtur pater quasi fessus ferendi dominii, omnem administrationem totius creaturae dedisse filio in manum et sinum, ac quidem factum est hoc ab aeterno, sed postea per revelationem et declarationem tandem patuit. Semper enim habuit hanc gloriam filius ab aeterno, sed tum primum patuit, cum per evangelium nomen ejus in totum orbem terrarum est vulgatum.

Secundo pertinet hic versus etiam ad abrogationem legis et cultuum legalium [50]). Non enim dicit psalmus de adoratione in templo in Jerusalem, sed nominat alium cultum. Si, inquit, vultis adorare Deum, si vultis acceptum sacrificium ei praestare, et Deo sic servire, ut faciatis ei rem gratam, nihil aliud feceritis, quam ut hunc filium osculemini. Hac una ratione servietis Deo, et placabitur vobis Deus. Sed persuaderi hoc mundo non potest. Igitur Arius [51]) surgit,

---

50) Abrogatio legis. 51) Arius.

spargit blasphemum dogma contra filium Dei. Turca hoc summum scelus ducit, quod et credimus Christum Dei filium, et eum adoramus. Papa etsi manifestas has blasphemias cavet, tamen re vera Christum non agnoscit filium Dei, quia sacrificio ejus non est contentus, et docet nos nostris operibus posse efficere, quod filius Dei sanguine et morte sua effecit.

Meminerimus igitur hujus testimonii, quod hic rex est Dei filius ab aeterno genitus ex patre, et nobis propositus, ut nos eum osculemur et ei serviamus, hoc est, ut statuamus nos per ipsum reconciliatos Deo, ut quanquam merito Dei iram propter peccata expavescimus, tamen fiducia hujus mediatoris speremus salutem. Hunc cultum postquam filio praestitimus, contentus est pater, et amplius nihil flagitat a nobis, quod attinet ad reconciliationem, et spem vitae aeternae. Obedientia autem, quae postea accedit, quia omnia in fide filii Dei facimus, etiamsi imperfecta sit, tamen Deo placet, et habet tum corporalia tum spiritualia praemia.

Haec est summa totius religionis, facillima quoad externa opera, non enim consistit in mutandis rebus externis. Servus si vult esse christianus, non necesse est, ut mutet conditionem, sic magistratus politicus. Non enim apud Deum est acceptio personarum. Animus autem ut mutetur est necesse[52]), ut ubi prius propter peccatum tantum non desperasti, nunc per Christum spem certam veniae concipias: ubi prius peccato delectatus es, nunc peccatum oderis et fugias: ubi prius tardus eras et negligens in obedientia erga Deum, nunc summo studio et voluntate in id ut incumbas, necubi Deum aut verbo aut facto offendas etc. Ad hunc modum animus et cor mutari debet, ut de

52) Religio vera postulat mutationem animi.

Deo judices non ex tuo corde, sed ex verbo, quod filius Dei proponit. Hoc cum praestiteris, postea sane ratio utatur suo regno, ducas uxorem, gubernes familiam, instituas certas operas parandi victus causa. Haec omnia Deus permittit tuo judicio instituenda et gubernanda.

Sic simplex religionis verae forma et ratio est, sed mundus non paret, omnia potius mutat, quam animum et conscientiam, omnia facilius adorat quam hunc regem. Monachus putat se Deo praestare summum cultum, cum mutat vestem, cum relinquit vocationem, et se abdit in monasterium, ubi novo modo comedit, bibit, dormit etc. Sic putat se renasci et fieri novum hominem, et tamen solus externus habitus mutatus est, mens autem et animus manet idem, manet eadem sacrilega opinio, quae fuit in scelerato Cain, qui cum meditaretur caedem fratris, sperabat tamen se apud Deum in gratia fore propter sacrificium. Sed vere scelerata opinio et sacrilega haec est. Non enim curat Deus vel circumcisionem vel praeputium, sicut non curat, currasne in via an stes, albane an nigra vestiaris veste. Externa haec sunt, quae quisque, prout sibi commodum est, gubernet, habita tantum ratione proximi, ne eum offendat. Sic nihil curat hoc Deus, sisne in politiae parte an solitudine, nisi quod manifestum peccatum est, si vocationem deseras, et tua sponte deligas tibi aliud vivendi genus.

Hoc autem curat, imo hoc praecipit et mandat[58]), cor ut mutes, ut conscientiam imbuas nova opinione et cogitatione de Deo, ut dicas: Agnosco et revereor filium Dei, dominum Jesum Christum, et quia mediator meus est, per eum spero me reconciliatum Deo,

58) Vera religio.

et peccata mihi condonata esse. Cum tali corde ibo et fodiam agrum, faciam opus, ducam uxorem, serviam hero meo etc. Talem cultum exigit hoc in loco psalmus, et talem religionis formam praescribit. Sed, ut dixi, mundus sanam doctrinam non accipit. Hanc judicat esse veram religionem, si aliquid foris seu in externis mutet. Sic vecordes anabaptistae tum putant se veros sanctos, si non gestent arma, si induant glaucam vestem, si demittant capita tristes. Sed an non haec cuivis rustico mutatu facilia sunt? In Christum autem confidere, et servire Deo in timore, hoc ne quidem digito attingunt stulti homines.

Ac certum est, quod nullus hominum, qui studet legibus aut justitiis, hos veros cultus praestat, ne quidem cogitatione eos assequi possunt. Est enim doctrina de coelo revelata, quae non nascitur in corde aut capite humano, Spiritu sancto doctore et gubernatore opus est. Quia autem is tantum contingit per fidem in Christum, justitiarii autem fidem abjiciunt, et legem retinent, impossibile eis est hos cultus praestare. Est igitur religio christiana, ut dixi, facillima, si spectes externa opera, at si spectes hos spirituales cultus, est difficillima. Nam hi praestari non possunt, nisi mutetur cor. Cor igitur et animum exigit vera religio, non opus aut alia externa, quanquam haec sequuntur, si cor habeas. Ubi enim cor est, ibi sunt omnia. Non negabit tibi pecuniam, non operas, non se ipsum, qui te serio amat. Atque haec causa est, quod vera religio sit ἀνυπόκριτος, et non simulator, sicut illa pharisaica est, quae tantum externa, non animum mutat.

Ergo verus Dei cultus est, filium hunc osculari, hoc est, eum sic adorare, ut nihil in coelo et in terra extra hunc videas, nec ulla alia re

fidas[54]), sicut primum praeceptum jubet: „Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra." Hoc mandato captivavit Deus populum suum in spiritualem conspectum, et abstraxit eum ab omnibus vagis cogitationibus, et tamen in idololatriam prolapsi sunt, sicut historia ostendit. Sic enim judicarunt Deum laudari, si laudaretur creatura ab ipso condita. Hinc secuta est adoratio solis, lunae et exercitus coelestis, cum tamen Deus diserte mandasset, ad solum propitiatorium adorandum. Ad hunc modum hic quoque caveamus ab imaginibus coeli et terrae, et haereamus in solo filio: sic apprehendemus certo patrem et totam divinitatem. Nam et Paulus dicit: „Tota divinitas habitat in Christo corporaliter." Igitur Deum non invenies in sole, luna, non in aliis creaturis: in solo filio, qui ex Maria natus est, invenitur. In hoc solo est salus, gratia, vita: extra hunc quidquid de Deo cogitas, est vana cogitatio et mera idololatria.

Hoc papistae nesciunt. Hi cum de cultu Dei docent, aut tantum a se electos cultus intelligunt, aut cum minimum mali sunt, deducunt homines ad Mosen et obedientiam legis seu decalogi. Ac verum est, Deus decalogum ideo praescripsit, ut nos eum praestaremus, sed cum haec obedientia perfectissima est, h. e. tam absoluta, quam in hominem cadere potest, non tamen in ea possumus acquiescere, non solum non apprehendimus in ista obedientia Deum, sed a Deo refugimus etiam. Sed qui Christum intuentur, hi inveniunt talem Deum, a quo non metuunt, sed quem cum reverentia et fiducia certa misericordiae amplectuntur. Si-

54) In solo Christo haerendum.

cut igitur sancti Judaei nesciebant alium Deum, quam qui ad propitiatorium se jusserat invocari, sicut nesciebant alium Dei cultum, quam qui in templo, divinitus a Deo destinato, cultibus praestabatur: sic nos in uno filio haeremus, in eo patrem invenimus, in eo vitam et salutem accipimus. Haec est sapientia nostra, qui sumus christiani, quod cohibemus vagas cogitationes cordium nostrorum, et haeremus in solo filio, nec extra filium novimus Deum. Filius enim est, qui exaltatus trahit ad se omnia. Hunc qui aut non norunt aut amiserunt, hi in medio mari damnationis jactantur, nec possunt attingere portum salutis. Contra qui Christum habent, et in eum ceu in serpentem aeneum fixis oculis intuentur, hoc est, qui credunt eum ex voluntate patris oblatum pro peccatis nostris, hi a Satana tuti sunt, et verum Deum, vitam, justitiam et sapientiam aeternam possident.

Magna igitur vis est in verbo „osculamini", significat enim, ut toto corde hunc filium amplectamur, neque aliud vel videamus vel audiamus, quam Christum eumque crucifixum[55]. Qui autem in religione aliquid aliud spectat, aut altius quaerit, hic falletur et aberrabit a via salutis. Ratione et sapientia nostra utamur ad alias res, ad gubernandam familiam, ad faciendas operas, ad emtionem et venditionem: sed cum de cultu Dei quaeritur, hic rationi praecludas omnes vias, et uni huic filio adhaereas. Per se malum non est, mutare vestem, sicut monachus mutat, jejunare, affligere corpus etc. Reprehendimus enim haec tantum eo nomine, quia suscipiuntur cum impia opinione, tanquam res ad impetrandam remissionem peccatorum utiles. Hanc opinionem si abjicias, etiamsi retineas cu-

---

55) Osculari filium.

cultum, modo filium sincere oscuieris, hoc est, modo nitaris ejus meritis et gratia, vives in aeternum. Hoc igitur caput est cultus Dei, reliqua omnia sunt tanquam cauda, et tamen caput hoc negligit mundus, et fidit in hypocritica mutatione externorum. Addit igitur Spiritus sanctus:

Ne forte irascatur, et pereatis in via.

Videt hanc doctrinam in mundo contemni propheta. Judaei, Turcae, gentes omnes absurdissimum esse judicant, quod adoramus hominem sustinentem omnes communes passiones carnis, quas alii homines sustinent, imo reputatum inter latrones et affixum cruci. Papistae etsi in hac infirmitate Christi non scandalizentur, tamen aliam viam vitae docent, quam Christum et ejus opera. Verbo quidem sacrificio Christi nihil derogant, sed dum suis operibus et sacrificiis tribuunt meritum remissionis peccatorum, nonne alium constituunt Christum, quam qui a patre nobis datus est, ut sit justitia et sapientia, sanctificatio et redemtio nostra? Itaque loco osculi, quod filio dari Spiritus sanctus jubet, osculantur suas missas, sua jejunia, suos cucullos, Christum autem osculantur Judae osculo. Oderunt enim doctrinam hanc, et omni genere crudelitatis persequuntur.

Hoc videt Spiritus sanctus, monet igitur et minatur: Aut hunc adorate, aut scitote vos manere sub ira. Si enim de eo agitur, quomodo placari Deus debeat, quomodo remissio peccatorum possit impetrari, aut osculamini filium, aut peribitis, nullum hic est medium. Sic Johannes pronuntiat: „Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum,“ item: „Qui non credit, jam judicatus est,“ sive sit rex, sive pastor, sive Carthusianus, sive miles, sive coelebs vivat sive in conjugio, sive medicus sive jureconsultus sit, si non oscu-

atur filium, hoc est, si non omnem spem salutis habet collocatam in filio, etiamsi ad mortem usque se maceret jejuniis, etiamsi flammis subjici corpus suum permittat, peribit in ira Dei.

Ad hunc modum haurit Spiritus sanctus totum orbem terrarum uno verbo, cum universa sapientia, justitia, meritis, cultibus, adorationibus, afflictionibus et omnia transfert in filii osculum: Si osculamini filium, bene; si non, peribitis in via. Futurum enim est, inquit, ut filius irascatur tandem: nunc offert vobis osculum, ut a vobis vicissim ferat osculum. Insigni enim amore complectitur genus humanum. Venit enim in hanc carnem non ut judicet, non ut damnet, sed ut osculetur nos, et ostendat nobis amorem, quo nos complectitur. Si igitur eum non vicissim fueritis osculati, nulla religio, nulla justitia, nulla sapientia vos sublevabit, sed simpliciter manebitis sub ira, et peribitis in ira. Sed mundus minas has non curat, putat diversum futurum, sperat gratiam Dei per sua opera et justitias suas, sed frustra. Definita enim sententia est: „Qui non crediderit, condemnabitur."

Septuaginta fecerunt: Ne pereatis de via justa. Itaque interpretes distinxerunt, esse aliam viam bonam, aliam malam. Sed pugnant haec cum ebraeo. Ibi enim simpliciter est: Ne pereatis in via. Sententia igitur est, quod simpliciter prohibet Spiritus sanctus, ne confidamus in ullis viis nostris, etiamsi speciosissimae et optimae esse videantur. Papae regnum habet magnam speciem, jura civilia quoque merito celebrantur, tanquam insigne donum Dei, et necessarium ad publicam tranquillitatem, Carthusianus etiam habet splendidam viam, in qua incedit, sic aliorum ordinum sunt certae viae. Sed quidquid hujusmodi est in universo orbe terarum, hoc totum, nisi filium osculeris, est nihil nisi

ira et damnatio, et ira faciet, ut viae hae aboleantur et pereant. Si enim religio veteris populi consistere non potuit hoc filio abjecto et repudiato, si illi, quorum erat testamentum, legislatio, cultus, sacerdotium, templum, una cum via sua perierunt, quid dicemus de viis electis sine verbo Dei, quales sunt papistarum?

Emphasis igitur est in vocabulo „via“. Non enim dicit: Peribitis in errore, sed: „in via“, hoc est, instituti cultus, electa opera ad salutem, vobis exitio erunt. Miserabile autem est, quod monachus, qui noctu diuque aliud nihil agit, quam ut affligat corpus suum, aliud hac diligentia non efficit, quam ut subjiciatur gehennae flammis. Sic[56]) Judaei, magno zelo pugnantes pro lege et sacrificiis, habent viam, qua putant recta tendere ad vitam, sed in hac via pereunt, ita ut sint in vago errore animae et corporis. Sic regnum Romanum habuit viam, qua putavit vinci posse omnia pericula. Sed omnes hi, quia filium non sunt osculati, perierunt in via sua et cum via sua. Hodie quoque Dei beneficio videmus perire papam in conspectu nostro, cum variis suis viis. Est enim hujus filii ira divina ira, et habet potestatem, non est vana aut sine viribus ira, se vult haberi pro Deo et coli, aut minatur interitum.

Auget autem comminationem, quod addit Spiritus sanctus, brevi exarsuram iram hanc. Utrumque enim complectitur, et omnipotentem esse hanc iram, et admodum propinquam. Dum cessat, longissime videtur abesse, non iis solum, qui iram hanc non experiuntur, sed etiam piis, qui interim affliguntur et torquentur. Sed definita sententia est: „Brevi exardescet,“ hoc est, certissime veniet, ac veniet tum, cum dixerint: Pax

56) Exempla pereuntium.

et securitas. Sic Judaei ruinam suam non existimabant tam esse propinquam. Nostro quoque tempore papatus coepit ruere, cum esset securissimus. Nunc quoque nescio quid spei alunt hostes evangelii, sed fiet secundum scripturam: „Non dimidiabunt impii vias suas." Nunc annis amplius sexcentis hoc agunt pontifices, ut potiantur Romano imperio, sed falsi sunt spe, et omnes conciderunt in ipsis conatibus, iique omnium turpissime, qui sapientia et calliditate erant instructissimi.

Est autem causa hujus judicii et ruinae impiorum haec quoque, quod etsi filius in brevi irascetur, tamen pii eam quoque orationibus suis urgent. Itaque sicut Christus de iniquo judice et vidua dicit, Deus quoque faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die et nocte, et cito quidem eam faciet. Sic in apocalypsi: „Veniet cito." Nobis quidem, qui patimur interim, diuturna et tarda videtur ira, spes enim, quae tarda est, affligit animum, sed impiis admodum est brevis. Obruuntur enim tum, cum putant se esse tutissimos [57]). Itaque in momento videntur perire. Nunc cum audiunt has minas, secure eas contemnunt, sicut de latrone quodam narratur fabula, qui cum viatorem quendam spoliaret, et ille poenam in ultimo die exsolvendam clamaret, eia, inquit latro, si tam diu differetur poena, bene mecum agetur, nunc igitur hac spe, praeter tunicam etiam interulam mihi trade.

Tales sunt omnes impii. Sed cum apprehendit eos poena, tum canunt stultam hanc cantionem: Non putaram. Sodomitae Lot, monentem fideliter, etiam convitiis incessebant. „Ingressus es, inquiunt, ut advena, numquid igitur judicabis nos?" Se-

57) Securitas impiorum et repentinus interitus.

curi scilicet erant. Sed cum oriretur mane sol, hauriebantur coelesti flamma et hiatu terrae. Sic ostendit se ira haec, quae cito venit, et priusquam impii id possunt credere.

Est igitur haec gravissima comminatio et plena terroris, quae ipsa cogitatione saltem occideret nos, nisi addidisset Spiritus sanctus necessariam consolationem. Distinguit enim inter eos, qui filium hunc osculantur, et qui non osculantur. Qui igitur non volunt osculari filium hunc, sed propter justitiam suam inflati sunt, his irascitur et minatur exitium. Qui autem filium osculantur, qui propter peccata sua in metu sunt, et tamen propter filium Dei spem concipiunt, hi, inquit, beati sunt. Sic angeli ad sepulchrum domini discrimen faciunt, cum mulierculis dicunt: „Nolite timere.“ Non enim ad eas terrendas advenerant, quae Christum amabant et quaerebant, sed ad terrendos custodes, qui operam suam addixerant pharisaeis et pontificibus ad Christi gloriam opprimendam. Sicut igitur personae differunt, ita etiam differunt conciones. Concio misericordiae pertinet ad perditos et afflictos, hi enim erigendi sunt. Concio autem irae et poenarum pertinet ad duros et securos, hi sunt contundendi malleo legis. Sic sunt quasi duo mundi [58]): unus diaboli, in quo sunt homines securi, superbi, negligentes Dei et evangelii. Hos monet Spiritus sanctus, ut securitatem exuant, aut futurum, ut pereant cum via sua. Alter mundus est Christi. In eo sunt homines afflicti et calamitosi, qui sensu suorum peccatorum conturbantur, et metuunt peccatorum poenam, mortem aeternam et iram Dei, et tamen, quia vident filium Dei victimam factum pro peccatis, concipiunt spem

58) Duo mundi.

misericordiae. Hos Spiritus sanctus consolatur egregio verbo: „Beati, inquit, sunt omnes, qui in eo fidunt," seu sperant.

Docet autem simul de vero Dei cultu, quod colere Deum[59]) nihil sit aliud, nisi totam fiduciam in hunc regem ponere, et niti ejus auxilio atque ope contra mortem, peccatum et Satanam. Verbum igitur sperandi exponit osculum, de quo supra dixit, quasi dicat: Respicite in hunc regem, sitis laeti et jucundi, ac cor vestrum imbuite bonis de Deo cogitationibus, per hunc filium, qui vobis a Deo patre proponitur osculandus. Nam quidquid ceterarum rerum est in mundo, id omne vos contristabit, non afferet consolationem aut opem contra mortem et peccatum, ne quidem sanctissima vita, bona opera seu justitia vestra. In hoc autem filio invenietis fontem salutis et omnis consolationis. Igitur non tantum sperate in eo, sed etiam statuite vos beatos esse, cum in eo speratis.

Ad hunc modum describit hic psalmus coelestem religionem et veros cultus, cum vera ecclesia et ejus capite Christo, ut, quanquam ecclesia in mundo lateat abscondita, et videantur dominari Satan et impii, imo etiam caro nostra, tamen ecclesia per fidem in hunc regem vincat tandem et triumphet contra Satanam et totum mundum, secundum sententiam hanc: „Beati omnes, qui confidunt in eo." Itaque in tantis difficultatibus, cum quibus hodie conflictatur misera et quasi undique oppressa ecclesia, nos quoque consolationem hanc ambabus teneamus manibus, quod sperantes in Christum filium Dei sumus beati. Amen.

---

59) Colere Deum.

PRAELECTIO D. M. LUTHERI IN PSALMUM XLV.

Facta est haec praelectio anno 1532, et, ut ex praeloquio patet, per id tempus, cum valetudine minus firma uteretur Lutherus, ut totum psalterium vel alium librum integrum interpretari non auderet. Monet ibidem et reprehendit, quod fastidiant auditores oratorem Spiritum sanctum, qui rem unam eandemque variis modis eloqui et figurare possit et soleat. Commendat studium linguae hebraicae; id enim esse partem quandam religionis et cultus Dei, et veluti missam aut sacrificium, quia illa lingua (in veteri testamento) doceat, quidquid usquam divini est, et in qua audiatur Deus loqui, et sancti invocantes et maximas res gerentes. Seckendorfius plura ex hac praelectione excerpsit. Cf. ejus comment. de Luth. lib. III. Sect. 8. §. XXIX. 15 sqq.

Editiones.

1) Praelectio D. Martini Lutheri in Psalmum XLV. Wittebergae. M. D. XXXIII. In fine: Impressum Wittebergae per Johannem Lufft, Anno XXXIIII. 14. plagg. in 8. In pag. ultima signum typographi conspicitur. Paginae II antecedentes vacuae sunt. Inscriptio figuris ligno incisis circumdata.

2) Enarratio D. Martini Lutheri in Ps. XLV. Witteb. 1534. 8. (v. d. H. I, 311.)

3) Der XlV psalm durch D. Marti. Luther inn

latinischer sprach ausgelegt, und jtzund verdeutscht durch Georg. Maior. Wittemberg M. D. XXXVII. In pagina penultima legitur: Gedruckt zu Wittemberg durch Hans Lufft. M. D. XXXVII. 24½ Plagg. et 4 lin. in 4. Inscriptio figuris ligno incisis circumdata est.

4) Des Mannes Gottes, Martini Lutheri, geistreiche Auslegung des herrlichen Brautliedes von Christo und seiner Kirche, des XLV. Psalms Davids, den gemeinen und armen Leuten zum besten, nebst einer erbaulichen Vorrede, und einigen gelehrten Anmerkungen; von Benjamin Lindner, Superintendent zu Salfeld. 1737. 8.

In collectionibus.

Vuiteb. III. 419. Jen. III. 443. German. Vuiteb. III. 289. Altenb. VI. 373. Lips. VI. 107. Walch. V. 462. Nos editionem originalem (Nr. I.) secuti sumus.

Typographus lectori s.

En damus tibi, optime lector, commentarium D. Martini Lutheri in psalmum. XLV. ab auditoribus ejus, quam maxima diligentia fieri potuit, exceptum. Vix autem impetrari ab auctore potuit, ut id suo nomine ederemus, quod multa in hac extemporali interpretatione desideraret, quae vel perfectiora vel magis perspicua diligens scriptio reddidisset. Quia tamen sententiam ubique fideliter redditam et praecipuum religionis locum copiose pertractatum esse videbat, aequiore animo passus est dictioni aliquid deesse. Speramus autem non ingratam hanc nostram operam studiosis sacrarum literarum fore, nam et videbunt, quid maxime in docendo summus vir spectaverit, et de aliorum quoque scriptis facilius judicare poterunt, qui cum multum opere in eo ponant, ut libros suos orbi obtrudant, nusquam tamen illorum, quae praecipua religionis sunt capita, mentionem faciunt. Bene vale et fruere nostro labore.

PRAELECTIO D. MARTINI LUTHERI IN PSALMUM XLV,

coepta anno XXXII.

Sicut antea praedixi, quod deinceps institui deligere aliquos psalmos enarrandos, siquidem mea opera propter valetudinem et negotia incertior est, quam ut vel totum psalterium ordine, vel alium librum integrum interpretari possim, ideo post psalmum LI. „Miserere", qui docuit veram rationem poenitentiae, fidei et justificationis, volumus laeti aliquid docere et audire. Proposui igitur mihi psalmum XLV. „Eructavit", in quo videbimus, quam copiosus orator sit Spiritus sanctus, qui rem unam et eandem variis modis eloqui et figurare potest. Nam materia ubique est eadem, neque diversum quiddam docet, sed alio atque alio ornatu ac vestitu eandem rem, nempe fidem seu locum justificationis, ornat et illustrat, ne scilicet sit locus excusationi, quin Deus nos abunde docuerit, erudierit ac monuerit omni tempore et loco ad justitiam et veritatem.

Sed hic videre est nostram ignaviam. Ita enim ignavi discipuli sumus, postquam semel audivimus doctrinam pietatis, putamus nos semel hausisse totum Spiritum sanctum, ac nauseabundi mox abjicimus librum de manibus, sectantes interim commoda et lucra carnis. At diversum fieri oportebat, ut, quoniam videmus Spiritum sanctum non gravari eandem rem saepius proponere et pingere, nos quoque non pigeat operae, quae in discendum ponitur, praesertim cum verba Spiritus sancti ejusmodi sint, quae nunquam satis disci possint. Erit igitur nobis eo gravior reddenda ratio hujus vel ignaviae vel fastidii in die judicii, cum Spiritus sanctus objiciet, fidei doctrinam ita diligenter a se nobis praescriptam et depictam esse omni genere colorum, ut herbarum et florum non sit tanta

varietas, quanta est in scripturis. Tantam enim varietatem scripturae eandem rem docentis et inculcantis ubique ideo proposuit, ut nos retineret in studio discendi, et excitaret contra fastidium, quo alioqui laboramus.

Porro hic psalmus est mire jucundus, et plenus laetissimis allegoriis sponsi et sponsae. Totus enim in idea nuptiali consumitur, quae est jucunda et laeta, ut scilicet tegat crucem et externam speciem ecclesiae, sicut econtra alii psalmi in speciem horridi et tristes sunt, quos tamen, si diligentius introspicias, laetissimos et plenissimos consolatione invenies, qualis superior psalmus fuit: „Miserere", de poenitentia et remissione peccatorum, de sacrificio Dei, et cultu Dei, mire efficax ad consolandas afflictas mentes. Hic contrarium vides. Verba enim sunt laeta et jucunda, et plane nuptialia. Hic nihil audis nec vides quam citharas, tibias, choreas, serta, flores, ornatissimas vestes et alia, quae visu et auditu jucundissima sunt, et tamen, si spiritum spectes, docetur crux et persecutio, tum afflictiones cordis, et omnia illa, quae in superiore psalmo gementi et tristi audivimus. Sic solet Spiritus sanctus temperare omnia, ut, sive ingrediamur sive egrediamur, laetissima pascua inveniamus, quibus reficit et consolatur nos contra varia pericula et incommoda, quibus oppressi jacemus. Haec paucis de phrasi indicare volui, ne quis carnalis Judaeus irrepat et accipiat haec de laetitia carnis et mundi. Jam de titulo quoque pauca admonebimus.

In finem pro his, qui commutabuntur etc.

Vocem לַמְנַצֵּחַ varie tractant Hebraei, nec est, quod ullus vel graecus vel latinus praesumat se eam intelligere. Quare saepe monui, ut hebraeam linguam disceretis, nec eam ita negligeretis. Etsi enim ejus linguae nullus alius esset usus, tamen pro gratiarum

actione discenda erat, quod pars quaedam religionis et cultus Dei est, eam linguam docere vel discere, quae sola, quidquid usquam divini est, docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur sancti invocantes et maximas res gerentes, ut studium, quod in hanc linguam discendam collocatur, missa quaedam seu cultus Dei merito vocari posset. Quare serio vos hortor, ne eam negligatis. Periculum enim est, ne Deus hac ingratitudine offensus privet nos non solum cognitione hujus sanctae linguae, sed et graecae ac latinae; et totius religionis. Quam facile enim ei est excitare barbarum aliquem populum, ut hae linguae una intereant? Sed praeterquam quod pars cultus divini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem. Si enim aliqui futuri sunt theologi, sicut necesse est, neque enim omnes jura aut medicinam discemus, oportet esse eos munitos contra papatum et aliud odiosum hominum vulgus, qui, cum unam hebraeam vocem sonare didicerunt, statim putant se magistros hujus sacrae linguae. Ibi nisi nos eam tenuerimus, tanquam asinis illudent et insultabunt. Sin autem nos quoque muniti fuerimus cognitione hujus linguae, poterimus eis impudens os obstruere. Sic enim diabolo et eis ministris resistendum est.

Arbitror autem habituros nos religionis nostrae hostes Hispanos, Gallos, Italos et Turcas etiam: ibi certe cognitione hebraeae linguae opus erit. Scio enim, quantum mihi contra meos hostes profuerit. Quare hac quantulacunque cognitione infinitis millibus aureorum carere nolim, et vos quoque dabitis operam, qui aliquando docebitis religionem, ut hanc linguam discatis, si non pecora campi et indoctum vulgus haberi vultis, quod editis germanicis libellis adjutum utcunque evangelia dominicalia et catechismum docet. Sed opus etiam est ducibus quibusdam doctrinae, et oportet ha-

bere pugnatores, qui stant in acie contra aliarum nationum et linguarum homines, qui sint doctores, judices et magistri in hac lingua. Sed redeo ad titulum.

Ergo vocem לַמְנַצֵּחַ alius vertit: ad victoriam alius: ad effundendum sanguinem. Latinus et septuaginta: in finem, fecerunt. Quanquam autem nos quoque incerti simus de nostra sententia, tamen, quantum ex collatione aliorum locorum scripturae colligi potest, superiores versiones merito omnes repudiamus. Quid enim huc facit vel vincere vel fundere sanguinem? Haec igitur vox נַצֵּחַ in libris paralipomenon, Esra et Abacuc significat praeesse, urgere, instare, ut sit לַמְנַצֵּחַ: ad praecinendum, et מְנַצֵּחַ: qui excitet alios, ut vel una canant, vel respondeant cantando, sicut in nostris ecclesiis praecentorem eum vocare licet, qui in choro aliquid canit, cui respondent idiotae: amen, sicut missae et alia cantari solent. Sic Paulus 1. Cor. 14. unum jubet interpretari, ceteros dicere: amen.

Sic igitur accipio hunc titulum, ut indicet psalmum hunc fuisse tali ritu canendum, ut praecineretur a principalibus cantoribus, seu Levitis, sicut in ecclesiis cathedralibus leguntur epistola et evangelion, non a scholasticis, sed ministris. Haec mea est sententia, quodsi erro, tolerabilior error est, quam vertere: ad victoriam, quasi certaverint inter se clamando, sicut Lyra nugatur. Quid opus est illa vanitate in scripturis sanctis? Multo igitur commodius ad illam publicam ordinationem, qua in templo usi sunt, transfertur, ut, sicut Paulus monet, omnia gerantur ordine. Quae enim illa esset confusio, si omnes vel evangelion legerent vel praedicarent? Est igitur constitutus ordo, ut unus aliquis adscendat suggestum, deinde ut ab ecclesia tota oretur. Post recitat is evangelion et inter-

pretatur. Finita concione iterum oratur. Hic ordo elegans et commodus est ad vitandam confusionem, quae inde nasceretur, si singulae personae omnia officia obirent. Monet igitur titulus, quod psalmus pertineat ad eos, qui debent praecinere, ut sit מְנַצֵּחַ dux cantus, quem nos dicimus den Kapellenmeister, qui orditur et gubernat cantum, ἔξαρχος.

Alii psalmi sunt inscripti עֲלָמוֹת, quod canebantur intra cancellos ab his, qui non erant in publico officio, sicut apud nos symbolum a toto populo canitur. Alii a gradibus nomen habent, quod in altioribus gradibus canerentur. Oportet enim in ecclesiis esse diversos ritus. Qui hebraeam linguam tenent, fortasse meliora his cogitabunt. Scio tamen me melius sentire, quam vel Lyra vel Judaei vel alii superstitiosi interpretes.

Canticum pro dilecto.

Canticum amicorum vel amantium, nuptiale carmen, sicut germanice reddidimus, ein Brautlied. Pertinet autem hoc ad argumentum psalmi. Agitur enim de rege sponso et regina sponsa, item de gynaeceo. Possumus igitur hunc psalmum vocare epithalamium, ubi rex cum sponsa, ac nuptialis pompa, convivia, choreae etc. describuntur. Continet igitur haec particula argumentum, quod nuptiale carmen canet jucundum et laetum, sed in spiritu.

Filiorum Chore.

Hi sunt auctores carminis. In Mose enim legimus, miram gratiam filiis Chore factam esse, quod servati sunt, cum pater cum suis complicibus a terra haustus esset, et rabbini scribunt, cum terra se aperuisset et hausisset Chore cum reliquis, filios manifesto miraculo tanquam in aere haerentes super hiatum con-

stitisse, quod noluerint recedere a tabernaculo, sed monuerint parentem cum reliquis, ut ab errore desisteret. Valde igitur celebrantur in paralip., et psalmi, quos fecerunt, sunt laetissimi et jucundissimi, et plane nuptialia carmina, ut credam posteritatem Chore singulariter assumtam ad cultum Dei, ut essent etiam poetae religionis in populo Dei, qui concinerent et componerent carmina pro laude et gloria Dei. Sic celebrantur Ethan et Idithnu, cum aliis plerisque. Sed filii Chore prae reliquis maxime de Christo cecinerunt, alia tamen ratione quam David, sub allegoria nuptiarum. Apparet fuisse bonos et pios filios, qui crediderunt Deo contra parentum insaniam, ideo sunt propagati in laudem Dei. Fuerunt autem non sacerdotes, sed Levitae, in eo ordine manserunt, nec affectaverunt sacerdotium sicut pater.

Super lilia.

שׁוֹשַׁן rosam significat, inde שׁוֹשַׁנָּה rosina vel rosacea. Hic observanda Hebraeorum consuetudo, quod pretiosas res, imo regna etiam, nominibus florum et gemmarum appellant. Sic adhuc hodie Judaei filiabus gemmarum nomina aut florum indunt. Hinc Susanna et Margarita etc. Habent enim hoc in more, ut id, quod in deliciis habent, rosae, flosculi, violae etc. nomine appellent. Sic etiam libros suos appellant nominibus florum aut aliarum insignium rerum, ut porta nucis etc. Sic Assaph psal. 80. appellat totum regnum nomine rosae. Nos germanice reddidimus: Von den Spanrosen, quod, sicut principes gestant monilia pretiosis gemmis ornata, ita populus Judaeorum sit peculiaris populus, quem Deus gestet in pectore, tanquam singulare ornamentum, decoratum politia et cultu divinitus instituto, quem populum foveat ac defendat Deus. Ideo vocat gemmam Dei et rosam Dei. Intel-

lexerunt enim sancti viri et amplificaverunt hoc donum regni et sacerdotii divinitus instituti, et noverunt distinguere inter opera Dei et opera humana, inter creaturam et vitia, quod quanquam populus esset malus et impii principes, tamen quia ordinatio divina ibi sit, esse vere gemmam et rosam. Quando autem ultra politiam etiam ecclesiam et cultum Dei considerant, tum vocant violas, gemmas, smaragdos esc., sicut duodecim tribus duodecim gemmis notaverunt, ut Juda sit smaragdus Dei, et sic de reliquis.

Ad hunc modum hic quoque nuptiale carmen vocat rosam. Sic enim sunt posita verba: Canticum filiorum Chore super rosis, vel de rosis. Hebraei enim non habent praepositionem: de, sed utuntur litera מ vel על, sicut ad Hebr. dicitur: ad angelos. Ibi est πρὸς τοὺς ἀγγέλους hebraico more, pro: περὶ τῶν ἀγγέλων. Item cap. 4.: ad quem nobis sermo, cum sit: de quo nos dicimus. Ita hic est: de rosis. Non autem appellat hic rosam politiam, quae quoque est rosa, sed de ecclesia loquitur et de rosis futuris, deque aliis duodecim tribubus, quam illae praesentes erant, imo de omnibus tribubus terrae, et de ecclesia diffusa per orbem, deque Christo sponso. Ideo utitur plurali numero, ut significet se loqui non tantum de uno populo, sed de omnibus ecclesiis collectis in unitatem fidei.

Eruditivum.

Facit hoc epitheto auditorem attentum. Porro vox מַשְׂכִּיל 1. Regum 18. significat industrium et gnavum, cui omnia succedebant, quique dextre gerebat omnia, weis und klug, dem es schleunig abgehet, atque haec est politica significatio hujus vocis. Est enim in politia omnino hac virtute opus, ut qui ad-

ministrant respublicas, sint excitati et gnavi, non somnolenti, sed industrii, qualis fuit nostra aetate Emmericus Gorlicensis et multi alii, qui serio curant rempublicam et magno impetu feruntur ad res gerendas. Somnolenti enim et ignavi, praeterquam quod negligunt suum officium, reverentiam et timorem amittunt. Sed in psalmis alia est significatio hujus vocis, nempe theologica. Significat enim spiritualem prudentiam, sicut in psal. 2.: „Nunc reges intelligite." Nam quod reges jubet intelligere, significat se adscendere super leges et rationem naturalem et omnia, quae consistunt intra prudentiam juris naturalem. De his enim philosophi et jureconsulti docent, qui hauserunt leges ex ratione naturali, quarum finis est, honeste vivere, et defendere ab injuriis, hinc artes pacis et belli veniunt. Jam illis, qui sic sunt in regnis, quae legibus et jure constituta sunt, dicitur, ut intelligant et patiantur se erudiri, et nominat supremum hominum ordinem, reges scilicet, et qui judicant terram, quasi dicat: Vos qui habetis jam leges, et imperia constituta legibus, qui estis doctissimi viri, parate animos vestros ad capiendam eruditionem et arrigite aures. Audietis novam doctrinam, quae superat illam vestram sapientiam politicam.

Ad hunc modum psalmum vocat „eruditivum carmen" (sicut etiam psal. 32.), quod ideo scriptus sit, ut faciat eruditos in spirituali sapientia, supra sensum et politicam sapientiam, quod scilicet velit docere de novo regno et spirituali, de novo et inaudito rege, justitia, administratione regni et populi. Advertendus ergo est animus, et arrigendae aures, ut audiatur doctrina, quae tantum fide percipitur. Significat igitur מַשְׂכִּיל poema, quo docet spiritualem observationem et fidem excitat, sine qua fide et spirituali observa-

tione nemo fiet gnavus in sacris literis. Haec enim sapientia non comparatur legibus aut ratione, continetur enim verbo, quod nisi simplici fide apprehenderis, nihil unquam intelliges. Nam res, quas docet, sunt incomprehensibiles et invisibiles. Ergo audituri hunc psalmum debetis cogitare vos audituros esse „eruditivum carmen", quod paratum est nos docere res supra captum humanum, supra captum regum, principum, philosophorum, sacerdotum. Haec paulo copiosius dixi de vocabulo מַשְׂכִּיל, vos conferte locos bibliae, et invenietis, quod cum de ecclesiastico regno agunt, utuntur eo pro judicio et observatione, ut admoneant lectorem agi de excellentiore doctrina, quam sit ratio humana, ut intendant curam auditorum, ne putent dormiendo tantas res posse disci, sed summa cura opus esse. Si enim in politia et aliis artibus sine diligentia nihil proficitur, multo minus in theologia. Facit igitur titulus hic attentum lectorem. Jam ad psalmum accedamus.

Eructavit cor meum verbum bonum, dicam opera mea regi.

Incipit a captatione benevolentiae. Significat enim se dicturum de re longe gratissima et optima et longe pulcherima in orbe terrarum, non vulgarem aliquam cantilenam de cerdone quopiam, aut de militia, sed de summo magistratu, de rege, (regis enim persona summa est in mundo,) et de rege pacifico, idque pura et electa oratione verbisque jucundissimis.

Sed hic redigenda sunt in animum, quae supra diximus, quod sit mere allegoricus psalmus, et sub verbis istis metaphoricis regis et regni intelligi spiritnale regnum et ecclesiam, sic ut omnia ista debeant abstrahi a sensu et spectaculis mundani regni, et transferri in invisibilia, ubi omnia fiunt contraria a regnis mundi. Si enim speciem hujus regni spectes, omnia sunt con-

traria. Ubi praedicatur vita in hoc spirituali regno, ibi secundum speciem mors est, ubi gloria, ibi ignominia crucis, ubi sapientia, ibi stultitia, ubi virtus et victoriae, ibi infirmitas et crux, et sic de reliquis, ut sic omnia, quae hic audies de regno Christi, intelligas secundum articulum: „Credo ecclesiam sanctam." Qui dicit: credo, non videt rem sic esse, sed contrarium videt.

Prooemium igitur psal. hoc est, quod proponit se dicturum de rege et regno, et non simpliciter de rege et regno, sed de valde bono, jucundo et suavi regno, in quo non sit servitus, non penuria, non periculum, sed aeterna gloria, pax, opulentia, aeterna vita, continuus triumphus et assidua laetitia. De tali regno vult dicere, cui nihil in regno mundi sit simile, nisi secundum tenuem umbram et exiguam figuram. Nam reges et principes in mundo apparent esse laeti, quia splendide vestiti sunt, et inceduut cum magna pompa. Haec species regum mundi foris est, sed intus sunt pleni omnium malorum, curarum ac molestiarum. Hoc autem regnum quanquam foris sit miserum, tamen intus est summum bonum, et summum in quo describendo eructat cor meum. Sic respicit ad antithesin. Quod vertit: „Dicam opera mea regi," sententia est: Canam de rege.

Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.

Sum scriba, non sum propheta, non arrogo mihi tam sublimem ordinem. Porro scribae non fuerunt jurisconsulti, sed theologi, qui exponebant scripturam sanctam, sicut hodie sunt doctores theologiae. Non cantabo, inquit, de servitute aut regno corporali, sed spirituali et jucundissimo. Hoc autem est regnum, quod nos quoque praedicamus, nempe evangelion pacis et fidei, quod docet de justitia in Spiritu sancto. Sic Moses non potuit canere, qui est minister carceris, doctor pistrini

et auctor servitutis, et sicut eum Paulus solet appellare, minister mortis, peccati et tristitiae. Contra istum nos cantabimus de regno jucundo, libero, et pleno gaudii.

Respicit enim oblique ad Mosen, quod linguam suam vocat calamum velocis scribae. Nam Mose lingua fuit calamus scribae impediti, sicut confitetur quoque se blaesum esse, quare frater ejus coactus est vicem ejus implere in dicendo, Moses autem miracula faciebat, Aaron loquebatur. Fuit autem haec figura, quod regnum legis non sit jucundum. Ad id alludit et dicit: Moses non fuit eloquens, sed habuit gravem linguam et manus graves, ergo non potuit bene canere, sed fuit tardus et impeditus scriba. Ego autem habeo laetum spiritum et cor, nec doceo tyrannidem legis et peccati, sed suaves promissiones et laetas istas doctrinas pacis et securitatis conscientiae. Vides ita omnia esse allegorica, quare per totum psalmum est facienda antithesis Mosi seu legis cum evangelio, tunc erit psalmus clarior.

Speciosus prae filiis hominum.

Propheta bono ordine et distincte procedit in descriptione regis, et fere decem locos communes tractat. Quare nos hic incipiemus partiri psalmum. Scitis autem ad regnum corporale primo requiri personam, quae sit digna regno. Rex enim est caput regni. Sicut autem caput debet motum et sensum corpori addere ac inducere, et quando caput affectum est, tunc totum corpus languet et laborat, sic si princeps non est aptus ad administrationem regni, male administrabitur principatus. Igitur videmus in historiis ignavos, stultos et furiosos principes pacem, opes, imo tota regna evertisse. Ergo primum donum est habere regem aptum pro isto regno. Propheta igitur ab hoc loco communi orditur, et describit ipsum regem in persona sua propria, et dicit: De tali rege scribam, qui est speciosus. Hebraica vox

יָפְיָ est geminata, significat autem pulchrum et formosum. Vult autem dicere: Tu es formosissimus, imo solus es pulcher prae filiis hominum. Porro non loquitur de pulchritudine naturali corporis, seu metaphysica, quanquam credo etiam naturaliter formosum Christum fuisse, et habuisse justam et decoram proportionem membrorum. Sed eam nos hic non curamus, sed transimus ad pulchritudinem spiritualem, et tractamus regem spiritualiter.

Prima igitur forma et pulchritudo haec est, quod ipse Christus est verus Deus et homo verus, non defoedatus et turpis, sicut nos ceteri homines omnes, nati in peccato originali, et lacerati ira Dei, quia nemo hominum sine peccato est, sed omnes sine justitia et sapientia nascimur, vivimus et morimur, nisi succurrat Christus, et quanto sapientiores et majores reges sunt, eo sunt turpiores in conspectu Dei. Sic primo spiritualiter accipimus formam de substantia Christi, quod Christus est purus et sanctus, conceptus e Spiritu sancto et natus ex Maria virgine, ut esset absque ulla macula peccati, plenus gratia et veritate, Joh. I. per omnia sanctus in spiritu et carne, ut unus pilus, una guttula Christi sit purior quam sol.

Forte fieri potuit, ut aliquis in corpore aequaliter fuerit formosus, sicut Lucas de Stephano scribit, quod luxerit facies ejus sicut facies angeli, forte fieri potuit, ut aliqui essent formosiores Christo, non enim legimus Judaeos singulariter ejus formam admiratos esse: sed nos de naturali et metaphysica forma non agimus, sed de spirituali forma. Ea est talis, ut simpliciter sit formosissimus prae filiis hominum, ut hic solus maneat formosus, pulcher, ceteri omnes deformati, defoedati, depravati mala voluntate, infirmitate resistendi peccatis et reliquis vitiis, quae naturaliter nobis inhaerent. Haec

turpitudo hominum non apparet in oculis, non movet oculos, sicut nec spiritualis pulchritudo movet oculos, quia enim sumus caro et sanguis, movemur tantum forma et pulchritudine metaphysica, quam oculi vident. Sed si haberemus spirituales oculos, videremus, quanta turpitudo esset, hominem esse aversa voluntate a Deo, esse blasphemum, cupidum gloriae divinitatis et majestatis, plenum contemtu ac odio Dei et proximi, plenum libidine, superbia, avaritia etc. Hae sunt foedae turpitudines, de quibus aliqua ex parte etiam gentes judicare potuerunt. Ideo dixerunt justitiam esse pulchriorem Hespero seu Lucifero.

Haec est prima suavitas et jucundissima poesis, in qua canit et promittit regnum, in quo sit talis rex, in quo nihil sit vitii, sed voluntas plena virtutibus, et intellectus sapientia plenus, ardenti caritate erga omnes miseros et damnatos, et contristatos peccatores. Talis rex non est Moses, sed est carnifex et crudelis lictor ac tortor, qui nos excarnificat et discruciat suis terroribus, minis et exemplis irae, qui cogit ad bonum foris faciendum, aut cum optime facit, intus humiliat ad suspirandam gratiam. Noster autem rex, qui hic canitur, est plenus misericordia, gratia et veritate, in quo est φιλανθρωπία et summa suavitas, qui, sicut apud Esaiam est, non clamat in plateis, non est austerus et asper, sed patiens et longanimis, qui judicium contra impios et blasphemos, et misericordiam erga peccatores facit et ostendit. Ergo est rex suavissimus et formosissimus, cujus nullus similis est in orbe terrarum, in quo est summa virtus, et summa caritas erga Deum et homines.

His ornamentis haec persona decorata est, quod nihil superbiae, cupiditatis, libidinis aut ullorum aliorum pravorum affectuum in eo est, qualem et in evangeliis describi videmus, et qualem fuisse res ipsa in-

dicat. Adjungit se non sanctis, potentibus, sapientibus, sed abjectis et miseris peccatoribus, calamitosis, oppressis, gravibus et incurabilibus morbis, hos sanat, consolatur, erigit, juvat, tandem etiam pro peccatoribus moritur, non terret, non occidit, sicut Moses, sed allicit, laetificat, consolatur, sanat, juvat omnes ad se venientes. Est igitur rex regum, cujus nullus est similis, ita tamen si spiritum spectes, et non externam faciem carnis. Haec est una pars descriptionis personae, brevibus tantum verbis indicata, quam uberius describunt et amplificant sancti evangelistae, et s. Paulus in suis epistolis. Ille pingit hunc regem veris coloribus, qualis sit in sua persona, et summe expedit angustis et vexatis conscientiis haec nosse.

Sed mundus cum audit has regis laudes, non fert hanc praedicationem, sed contrarium dicit, hoc rege nihil unquam turpius auditum vel visum esse. Est igitur mundo intolerabilis ad videndum, sicut in Pharisaeis et sacerdotibus videmus, qui tanto Christi odio incensi sunt, ut ne adspicere quidem eum possint, cum tamen procederent de praesentis et loquentis ore radii, imo soles sapientiae, et de manibus ejus radii potentiae divinae, ac de toto corpore soles caritatis et omnium virtutum. Sed quidquid eis suarum pulchritudinum ostendebat, hoc erat eis nausea et abominatio, non Christi vitio, sed ipsorum. Perinde enim, sicut caecus in sole ambulans non afficitur lumine solis, sic illi quoque praesentem Christum non curabant. Hoc igitur mundi est ingenium et natura, quod hunc regem judicat turpissimum esse prae omnibus filiis hominum, ejusque dotes ac virtutes pulcherrimas habet pro diabolicis nequitiis et malitiis. Idem nos hodie experimur.

Dixi igitur latere hunc regem sub contraria specie.

in spiritu est pulcher prae filiis hominum, sed in carne omnes filii hominum sunt pulchriores, et solus hic rex est turpis, sicut Esaiae 53. describitur: „Non est species ei nec decor, vidimus eum, sed non erat talis adspectus, ut eum desideraremus. Despectus et novissimus virorum erat, plenus doloribus et infirmitatibus, et adeo contemtus, ut ab eo averteremus oculos." Videmus igitur jucunda et suavia de hoc rege in hoc psalmo praedicari, sed quae involuta sint et obumbrata externa facie crucis. Mundus non habet nec admiratur ista dona, sed persequitur, quia non credit, nobis autem dicuntur, ut cognoscamus nos talem habere regem.

Fatemur igitur et docemus, omnes homines esse damnatos, pulchritudinem eorum nihil esse coram Deo, justitiam eorum esse peccatum, fortitudinem eorum quoque nihil esse, sed omnia, quae facimus, cogitamus, dicimus ex nobis ipsis, esse reproba et digna morte aeterna, nitendum autem esse in hujus regis forma, illum praeferendum omnibus, in hujus virtute vincenda omnia pericula et mala. Qui haec ita credunt, ad hos dicitur hic psalmus, ut eum discant et canant, et ad horum usum et consolationem est scriptus. Judaei olim in templo eum cecinerunt, cecinerunt eum et canunt adhuc hodie monachi et totus papatus, contrarium autem senserunt, fecerunt et docuerunt, quare fuerunt indigni, qui haberent unam guttam odoris de vero sensu. Est igitur summa hujus primae particulae, quod filii hominum sint nihil prae hoc rege, sed quidquid sapientiae, justitiae et reliquarum virtutum habent, nihil esse prae hujus sapientia, justitia et virtutibus. Jam pergamus.

Secundo requiritur ante omnia ad personam regis sapientia, quia rex, quantumcunque sit formosus, si non

sit sapiens, est nihil, secundum proverbium: Aut regem aut fatuum nasci oportet. Nam rex formosus et tamen stultus, similis est deauratae nuci, quae praeter speciem nihil habet, aut vasi eleganter picto et pleno stercoribus, imo eo ingratior est forma, quando mente caret. Igitur hic rex sine omni hypocrisi est plenus gratia, et sapientissimus prae filiis hominum, imo solus sapiens, ad quem nihil est Moses. Hoc enim dicit:

II. Diffusa est gratia in labiis tuis.

Illa est praecipua ratio laudandi reges, etiam in regno mundi, a commendatione sapientiae. Sic enim dixerunt docti usu homines, res sapientia et consilio geri magis quam viribus et armis, imo vires et arma etiam nocere, si non sint consiliis fulta. Intueamur enim nos ipsos, quid sumus nos homines collati ad leones, ursos, equos. Unus equus si sciret suis viribus uti, centum viros sterneret. Sic etiam domesticus, sus, si vellet aut sciret uti suis viribus, decem lanios conficeret. Imo etiam inanimata longe hominem vincunt, ut ligna, lateres etc. Una turris, si collaberetur, magnam hominum multitudinem opprimeret, vincunt enim robore.

At homo quia rationem habet, omnia ista gubernat, et videmus quadrimos pueros agere jumenta. Sic ingens illud robur brutorum ab infirmiore virtute gubernatur et quasi captivatur. Hinc Romani etiam dixerunt, sapientia et consilio res geri, non fortuna, item multitudinem nihil facere ad victoriam, si desit consilium, et si accedat stultitia, multitudinem tantum dispositam esse ad caedem, cujus rei testes habent Flaminios, Varrones, Minutios, et multos alios. Sapientia igitur prima virtus et dos est, quae in rege requiritur. Hinc Moses eam unam virtutem dicit admirationi gentibus futuram, Deut. 4.: „Certe iste populus sa-

piens et intelligens, gens magna est etc.", et Salomon in sacris literis non tam ab opibus, quam a sapientia commendatur. Haec enim est summa laus.

Ita hic quoque post personam et formam absolutissimam requiritur sapientia ejusdem rationis, cujus forma fuit. Haec autem est sapientia gratiae, diffusa in labiis, et videtur ad hunc locum respexisse Lucas cap. 4., ubi dicit, quod docente Christo omnium oculi erant in eum intenti, propter verbum gratiae, quod conciliabat ei benevolentiam auditorum, „stupebant, dicit, ob doctrinam ejus." Perstringit autem hic quoque Mosen, qui etiam habuit labia, sed profunda, infacunda, impedita, irata, in quibus non est verbum gratiae, sed irae, mortis et peccati. Colligite autem omnes sapientias Mosi, gentium, philosophorum, et invenietis, eas coram Deo esse vel idololatriam, vel sapientiam hypocriticam, vel, si est politica, sapientiam irae. Ergo sicut hujus regis Christi pulchritudo sola est pulchritudo, sic sola ejus sapientia est sapientia, quia est sapientia gratiae, id est, promissionum, et verbum ejus est suave, plenum consolatione et fiducia. Sic poeta hic diligenter legit prophetias de Christo et promissiones, et vidit, quod ejus labia sunt labia dulcissima et suavissima, quae attrahunt omnium infirmorum corda.

Ergo Christus non est pingendus cum felle vel gladio in ore, sicut eum passim pingunt, nisi spiritualiter intelligas, sed ita pingendus est, ut labia ejus videantur esse merum saccharum et mel. Qui aliter pingit hoc os, is errat, et potius audiendus est hic poeta, quam papistae et Satan, auctores illius horribilis picturae. Hic enim nos non fallet, cum tribuit Christo suavissimum os. Quod diligenter observandum est. Nam Christus non debet contristare corda suo verbo, non debet terrere, et quicunque sub nomine

Christi terruerit et vexarit conscientias, is non est Christi, sed diaboli nuntius, quia Christi nomen est: „Linum fumigans non exstinguet, non conteret arundinem conquassatam, est placidus, in plateis non audietur clamor ejus," non est asper, severus, mordax ut Moses, der siehet wie der Teufel, und redet, dass eim das Herz dafur verschwindem mocht. Habet *) enim labia diffusa felle et ira, die durchbittert sind mit Kellershals, und mit Gallen, ja mit höllischem Feur dazu. Darumb immer hinweg mit dem Mose. Noster autem rex habet labia blanda, hoc est, verbum ejus est verbum remissionis peccatorum, consolationis humilium, verbum vitae et salutis pro revocatione damnatorum et morientium.

Nec vocat simpliciter gratiosa labia, sed „diffusa gratia", ut significet Christum esse abundantissimum in suis labiis, ex cujus ore ceu ex fonte quodam uberi procedant opulentissimae promissiones et doctrinae, quibus erigit et consolatur animas. Quae igitur quotidie de hoc Christo auditis, ea hic poeta, sicut videtis, quanquam breviter, tamen egregiis verbis et bene poeticis depingit: Gratia est in labiis hujus regis, nec id solum, sed diffusa, ut intelligas cum ubertate manare et scaturire hunc gratiae fontem, quasi dicat: Noster rex habet sapientiam, quam nullus hominum habet, nempe sapientiam dulcissimam et suavissimam, quia fovet contritos, consolatur afflictos, revocat desperatos, erigit lapsos et humiliatos, justificat peccatores, vivificat morientes, et quidquid praeterea est, quod verbum salutis efficit, hoc facit copiose. Est igitur suavis et jucunda sapientia, digna tanto praeconio. Hinc in Esaia cap. 50. dicit: „Deus dedit mihi lin-

*) In edit. princ. leg.: habent.

guam doctam, dominus dedit mihi linguam disertam, ut sciam eum verbo sustentare, qui lassus est."

Atque hoc diligenter nota, quod lingua Christi non est ejusmodi, quae terreat aut noceat, nisi quando cum superbis et duris loquitur, ad illos dicit: „Vae tibi Chorazin, vae tibi Bethsaida etc." Ibi facit alienum opus, ut apud Esaiam dicitur. Psalmus autem hic loquitur de proprio officio et opere, quod exercet erga suos, non de alieno, et loquitur non cum duris et superbis, sed cum iis, qui foris vexantur per tyrannidem mundi, et intus per Mosen et verbum legis, item per astus diaboli, per infirmitatem conscientiae, per cogitationes tristitiae etc. Qui credunt in Christum, habent istas tentationes, cum his loquitur, et promittit eis talem regem, qui sit sapientissimus et habeat verbum ac sapientiam talem, quibus possit mederi ipsorum malis, et promittit eis: Ecce sis bono animo, erige te fiducia hujus regis, qui non odit aut male mulctabit te, sed favet tibi, et promittit tibi vitam aeternam, quia labia habet dulcissima et abundantissima.

Meminerint igitur pii, haec opponere acutis, asperis et terrentibus Mosi labiis, item accusationibus diaboli in corde, et tyrannis persequentibus, et in summa omnibus, quae corda piorum contristant. His opponant suum regem cum suavissimis ejus promissionibus, quas hinc inde in evangelio legimus: „Ego sum, qui vici mundum, nolite terreri." „Creditis in Deum, et in me credite." „In domo patris mei multae sunt mansiones etc." Haec sunt illa suavia labia, diffusa gratia, quae tamen nemo intelligit, nisi fuerit contristatus et vexatus in conscientia, et didicerit se his promissionibus consolari. Rudes et imperitos tentationum haec

nihil afficiunt. Quia enim non sunt esurientes, sed saturi, non sapit eis hic cibus, non sunt sitientes. Qui autem vexati sunt et sentiunt veros terrores conscientiae, illi norunt, quanta consolatio sit, habere talem regem, cujus tam suavia sunt labia, qui consoletur, amplectatur, foveat et portet peccatores, sicut pastor fovet ac portat sauciam ovem, imo qui etiam moriatur pro peccatoribus. Haec possunt erigere cor contritum, quod labia regis hujus sunt diffusa gratia, quod ejus sapientia, qua administrat regnum suum, sit verbum vitae, et regnum ejus regnum gratiae, salutis et vitae, in quo nihil auditur nisi vox consolationis humilium, vox laetitiae et vox sponsi.

Sed quid mundus de his labiis judicat? nempe quod sint haeretica, quae damnent bona opera, et prohibeant bona facere, et tantum praecipiant credere, sicut hodie nos accusant, quod Lutherani nihil doceant nisi de fide. Sicut igitur Christus rex noster turpissimus prae filiis hominum a mundo judicatur, ita quoque labia ejus non gratia, sed diabolica furia diffusa clamant. Canunt igitur hunc versum ad hunc modum: Turpissimus prae filiis hominum, et furia diabolica diffusa est in labiis tuis. Verbis quidem talibus non canunt, sed sensu cordis et intellectu, sic damnant et criminantur Christum in omnibus collegiis sacerdotum, in omnibus monasteriis, in omnibus templis, quod vox ejus sit diabolica et lingua ejus sit plena satanico veneno, neque esse ullam nocentiorem pestem, quam doctrinam Christi, dignam ira et odio omnium. Nos autem, qui sumus contriti et miseri, exosculemur et retineamus haec labia. Fiet aliquando, ut templa et monasteria illorum rex noster propter has diras blasphemias ita disjiciat, ut non relinquatur lapis super lapidem. Hoc volunt, et fiet certo.

Hactenus igitur duo audivimus, quod et persona regis sit pulcherrima et sapientia suavissima, nempe sapientia gratiae et non legis. Sunt autem omnia in spiritu accipienda pro contritis et humiliatis. Jam sequitur tertia commendatio, de potentia hujus regis, quod sapientia haec non sit otiosa, sed sit efficax et fortunata, quia benedicitur ei, sicut dicit:

III. **Propterea benedixit te Deus in aeternum.**

Hic iterum ad antithesin respice. Lex est doctrina maledictionis, irae, peccati et mortis. Ideo non fortunatur, ideo nullus ibi est successus, et tandem etiam abrogatur. Haec autem doctrina est aeterna, et fructificat a principio sui usque ad finem, generantur et multiplicantur sancti, et in uno quoque multiplicantur varia dona et operationes. „Unus enim Spiritus, dona autem varia,“ dicit Paulus. Haec est benedictio illa, quae hoc verbum sequitur, quod Christus crescit et multiplicatur in multis millibus fidelium, non sequitur doctrinam legum sive moralium sive naturalium sive politicarum. Est autem abscondita in spiritu, nec cernitur a mundo, in cujus oculis occidimur, maledicimur, vexamur, damnamur, tam secundum personas nostras quam secundum dona et fructus, sed non impeditur. Quando enim unus christianus occiditur, decem alii generantur. Sic quando in uno loco verbum impeditur aut ejicitur, in aliis decem locis admittitur et crescit. Itaque verbum nulla ratione, nullo consilio exstingui potest, quia hic scriptum est, quod benedictio illa durare debet in aeternum. Hic igitur est fructus hujus sapientiae, quod non manet sterilis, sed procedit et facit mirabilia, ac perrumpit portas inferorum et omnes sapientum machinas.

IV. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua et pulchritudine tua etc.

Latinus hic turbavit seriem orationis, quare construi debet hic versus, sicut in Germanico a nobis redditus est: Gurte dein Schwert an deine Seiten du Held, und schmucke dich schon. Hebraica vox הוֹד et הָדָר valde est frequens, et est sumta ex Mose, significat autem ornatum vestimentorum, sicut Exo. 28., ubi praecipit dominus Mosi, ut faciat fratri vestes in laudem et decorem vult enim, ut eum festive vestiat, et ornet. Sic in psalmis quoque saepe repetuntur istae duae voces, decor et laus. Ita hic quoque ponuntur. Non enim dicit de pulchritudine corporis, illam supra absolvit, sed de ornatu et vestitu regio ac principali, quo reges ornantur, cum ad publicas pompas aut in bellum proficiscuntur.

Propheta igitur jam quarto loco post formae et sapientiae commendationem armaturam quoque describit seu potentiam. Nam hoc quoque in rege requiritur, ut vires et potentiam aliquam habeat, sic tamen, ut praecedat sapientia. In ecclesia igitur sic fit: Postquam Christus coepit evulgare sapientiam, et praedicare verbum salutis ac gratiae, mox sequitur crux. Opponit enim se Satan cum sapientibus, potentibus, sanctis et hypocritis, et quidquid in mundo sublime est, hoc contra verbum et fideles excitat. Neque enim potest ferre gratiam diffusam in labiis, seu verbum evangelii, quia destruit ejus regnum. Est enim Satan princeps mortis et auctor peccati, et spiritus tristitiae et perturbationis, spiritus mendaciorum et iniquitatis, atque hoc etiam mundi regnum est. Christus autem, sicut Johann. dicit, venit solvere opera diaboli et dissipare ejus regnum, ac distribuere spolia. Hic necesse

est, ut fremat et indignetur Satan, neque enim vult amittere suum regnum iniquitatis et mortis. Ideo invadit istos nuntios verbi, et occidit eos, perturbat nos, et affligit, impellit ad desperationem et contristat, suscitat sectas, haereses, tyrannos, et sic undique vi et fraude defendit se et invadit regnum Christi, et sicut Christus Satanae, sic Satan Christi opera dissolvere vult, nempe vitam, justitiam, gaudium etc.

Haec experimur hodie etiam, quod mox postquam evangelion ortum est, sublata et turbata est pax mundi. Donec enim fortis ille in otio tenuit palatium suum, pax fuit: sed posquam venit fortior, ibi excitat tumultus, ibi furit et turbat omnia. Audiuntur igitur tum illae mundi querelae, quae nunc etiam ubique sparguntur, ante hanc doctrinam omnia fuisse tranquilla, pacata, prospera, nunc postquam haec doctrina doceri coepta est, omnia perturbari tumultibus, misceri bellis ac caedibus, nihil prospere geri etc.

Verum hujusmodi voces sunt voces stultorum hominum, nescientium, quid per verbum agatur. Christus per verbum laborat, ut liberet a morte et peccatis, contra diabolus vult omnia morte et peccatis opprimi. Quomodo igitur potest aliter fieri, quam ut tollatur pax, et uterque pro suo regno retinendo dimicet, Christus contra Satanam per ministerium verbi, Satan contra Christum per membra sua, haereticos, falsos fratres, tyrannos etc.? Si igitur vis laetari in Christo, oportet te ferre propter eum tristitiam, perturbationem, vexationes intus et foris. Ratio est, quia non potes adhaerere Christo, nisi offendas principem mundi, non potes retinere Deum vitae, nisi irrites contra te auctorem mortis. Sed imperiti homines haec judicare non possunt, ideo sancto Dei verbo imputant causam tumultuum, seditionum, haeresium, et aliorum

incommodorum, quorum causa diabolus est cum membris suis. Cur enim non concedunt regnum Christi? cur regnum, quod Christo debetur, sibi vendicant? Homo enim conditus est ad vitam, ad salutem, ad justitiam: quare igitur irascitur Satan, cum Christus hoc agat, ut remittat peccata? ut vivificet? ut salvet? ut regnum suum sibi vendicet? Ergo quod irascitur Satan, et excitat turbas in mundo, non est culpa Dei, nos visitantis ex mera misericordia per verbum, sed diaboli furentis pro suo regno peccati et mortis contra verbum. Sed non credit hoc mundus. Deus igitur nihil moratur querelas eorum, sed perrumpit verbo suo, quantumvis illi murmurent et fremant, et dicit: Regnabit dominus super terram, homines, creaturae, mundus, et quidquid est, totum meum est.

Hinc oritur bellum cum diabolo, qui non vult dimittere populum Dei, sicut Pharao nolebat dimittere Judaeos, et contra Mosen pugnabat. Idem adhuc hodie fit nobiscum. Cum volumus educere populum Dei, intumescit et insurgit contra nos Pharao. Ibi virtus verbi se exserit, quod Christus in nobis pugnat armatura sua, thorace fidei et gladio verbi, Ephe. 6., ut ab omni parte feriamus hostem, primo detegendo fraudem et mendacia ejus in haereticis, deinde eripiendo et defendendo nostros, ut perseverent in sancta fide et vita. Hoc bellum perpetuum est, nec est ulla pacis spes, ergo munire nos debemus per patientiam, per fidem, per exemplum crucis Christi contra tyrannos, quos sola patientia et silentio vincimus. Mendaces autem doctores non vincimus patientia et silentio, sed contra illos necesse est ut educamus gladium ancipitem, quo destruimus omnem scientiam, quae se exaltat contra scientiam Dei.

Vides igitur hic, qualem habeamus regem, qui

postquam nos docuit et effudit suas promissiones in nos, nosque sic per verbum in regnum transtulit, mox adest Satan, et crucifigit nos, quia „omnes, qui pie volent vivere in Christo, persecutionem patientur," item: „Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei," Act. 14. Non tamen deserit nos rex noster, sed adest et pugnat in nobis contra vim tyrannorum et contra mendacia diaboli, imo reddit invictos contra mendaces doctores, et tutos contra vim tyrannorum.

Ergo vos fratres et patres mei, qui sustinebitis aliquando curam ecclesiarum, sitis armati et instructi non solum ad docendum et exhortandos bonos, qui recte sentiunt, ad fidem, sed etiam ad pugnandum et ad arguendos adversarios. Alioqui mox dissipabuntur ecclesiae, nisi sint qui pugnent in acie et adversarios confutent, qui dicta et sententias scripturae ab ipsis usurpatas explicent, et veritatem defendant. Dicit igitur hic: Dominus est potens in proelio, vincens per patientiam omnem potestatem et tyrannidem mundi, et faciens ex nobis (sicut in Jere. dicit cap. 1.) civitates validas, ferream columnam et aeneum murum, et Esaiae 50. petreas facies, ut possimus tolerare omnia verbera, carceres, vincula, mortem, in summa, ut quidquid mundus et diabolus in summa sua ira possunt facere, possumus vincere per eum, qui habitat in nobis. Sic primo vim tyrannorum vincimus, deinde vincit in nobis etiam, quando pugnamus contra diaboli dolos. Hoc est bellum nostrum, quanquam periculosum et asperum, tamen jucundissimum, quia victoria manet apud nos.

Quod igitur dicit „accingere", est promissio, quasi dicat: Tu eris potentissimus gigas, qui verbum tuum

in sanctis, et dona Spiritus sancti defendes patientia et confutatione adversariorum.

Addit autem: „Accingere gladio super femur tuum," et sumsit similitudinem a militibus, quasi dicat: Tu debes esse paratus omni momento et instructus, ut gladius ad manum sit, non in aliquo angulo ferrugine obsitus ad parietem pendeat, ut, quanquam non assiduo feriat, tamen in promtu sit. Sic ad Ephe. 6.: „Sitis calceati in praeparatione evangelii pacis." Oportet enim ministrum esse instructum, ut habeat ad manum gladium. Nam etsi diabolus interdum quiescit, tamen redit, nec est stertendum, quasi in totum sit quieturus, potest aliquamdiu cessare, non tamen omittit, quin redeat. Debemus igitur semper parati esse et exspectare singulis momentis hostem, sicut de Christo hic dicitur, quod id faciat, qui est גִּבּוֹר, id est, gigas, robustus bellator, idque pro nobis, ut, quanquam mundus et diabolus contra Christum pugnant, non formidemus. Est enim noster rex גִּבּוֹר, id est, fortissimus rex, cujus certa sit victoria. Sequitur:

Et laude et ornatu, id est, schmucke dich schon, orna te pulcherrime. Cur hoc addit? Explicat nostri bellatoris arma, quod sint pulchra, non ita deformia et terribilia, sicut diaboli arma, quae sunt arma mortis, peccati, iniquitatis, tristitiae. Nam Satan etiam habet gladium, sed cruentum, turpissimum et pessimum, nostri autem regis arma sunt gratiosa. Nostri enim regis gladius non ideo percutit, ut perdat homines, sed ut salvet. Sic ego pugno contra Carlstadium, Zinglium, et ceteros, ut malim eos vivere, quam perire et mori, vulneramus, non ut damnemus hominem, sed ut curemus et eradicemus vitia, volumus servare eos, non perdere, sicut Christus dicit: „Non veni perdere mundum, sed ut vivat."

Ideo noster gladius proponit verbum salutis, vitae, justitiae, et conatur reducere in viam. Sunt igitur pulchra arma, quia sunt ornata virtute docendi, vivificandi et justificandi, sed arma diaboli occidunt corpus et animam. Nos contra vivificamus. Multi per nostra scripta convertuntur, multi conservantur et eripiuntur diabolo. Ideo sunt nostri regis arma pulcherrima, arma plena vita, salute, virtute. His accingere et ornare, ut sis talis miles, cujus vulnerare est sanare, cujus occidere est vivificare, cujus perdere est salvare, quia nostris bellis nihil aliud quaerimus, quam ut purgemus naturam a suis vitiis, et eripiamus ex captivitate diaboli. Ubi non ferit hic gladius, ibi nihil ejusmodi fit, econtra ubi ferit, ibi efficit justitiam, vitam, salutem.

Haec est ratio, cur arma hujus regis vocet laudem et decorem, et mallet quidem ea simpliciter laudem et decorem, et non arma vocare, et tamen utitur illa appellatione armorum et gladii propter verbum et virtutem verbi, quod cum admittitur in corda, est tanquam gladius, qui occidit, et occidendo vivificat et ornat, ut laetum cor ob fiduciam in hunc regem omnia pericula et mala contemnat et superet. Neque enim sunt carnalia arma, quae corpus vulnerent, sed sunt spiritualia et potentia Dei induta, quibus defendimus nos contra Satanam, cum novas sectas et haereses producit, quibus dementat mundum et abripit a verbo. Ibi horum armorum usus est, ut nos defendamus, alios conservemus, tueamur et muniamus, ne Satan omnia evertat, sicut cogitat. Qui autem contemnunt et aversantur nos, illi putant nostra arma nihil esse, dicunt nos non intelligere scripturam, et carere spiritu, sicut Munzerus dicebat. Illi infirmant nostrum gladium, et conspurcant ornatum nostrum, coram illis nostra doctrina non est doctrina vitae, et nos non sumus גִבּוֹר, sed confossi et occisi milites.

Intende prospere.

Melius verteretur: In ornatu tuo prosperare, es musse dir gelingen in deinem Schmuck. Scitis autem, quomodo in papatu hic versus sit laceratus, et accommodarunt eum ad beatam virginem, de qua hic nihil agitur. Loquitur enim de regno Christi, significat igitur fructum hujus armaturae, quasi dicat: Non frustra confutamus adversarios, non frustra defendimus verbum veritatis contra sectas, non frustra consolamur pusillanimes per verbum patientiae, est efficax hoc verbum, quia est Dei verbum, nec abit sine fructu, sicut est apud Esaiam.

V. Procede et regna.

Vertendum erat: Adscende, vel prospere equita, ingredere velut rex aliquis invehitur in urbem, vel ad bellum proficiscitur. Eris enim felix cum ista tua armatura. Sic debet verti in futuro indicativi: Arma tua erunt felicia, eris fortunatus in bello. Atque haec quinta commendatio est a successu. Pertinet enim ad bonum imperatorem, ut etiam sit fortunatus, sicut prudenter disputat Cicero de Pompejo. Quare addit eam quoque commendationem. Asperum, inquit, est bellum, rex ingreditur curru, nos quoque in curribus militiae una vehimur (loquitur enim pro more veteris militiae) vel una equitamus, sed cum magno successu. Quanquam enim adversarii sunt potentissimi et plurimi, tamen vincimus. In hac enim acie unus minister verbi audet cum decem millibus congredi, audet adoriri papatum totum, pontificem, episcopos, principes, regna, sectas infinitas. Sic unus Paulus contra totum orbem terrarum pugnavit.

Quis autem unus ausit contra tantam sapientiam et potentiam dimicare, et non solum sapientiam et potentiam mundi, sed etiam Satanae et portarum inferni?

Ideò bellum hoc est asperum, non solum propter nostram infirmitatem, quae in speciem est, et paucitatem, sed etiam propter adversariorum potentiam, sapientiam et multitudinem. Nam et Christus pronuntiat Lucae 16. filios hujus mundi sapientiores esse filiis lucis. Ergo non esset mirum, potius discedere ab officio docendi infirmos homines, quam irritare contra se tot ingenia, tot sanctos, tot potentes, universum etiam mundum una cum portis inferi, ad quae accedunt ingratitudo populi, contemtus et fastidium verbi, in summa ubique apparet merum infortunium, foris persequuntur verbum, apud nos contemnunt et negligunt, pastores paene fame enecantur, et nullum praemium ferunt pii laboris sui, quam ingratitudinem et odium. Ubi hic est prosperitas? Nimirum in spiritu.

Ergo erige te, tu ne cede malis, sed contra audentior ito, persevera, noli frangi vel contemtu et ingratitudine intrinseca, vel tumultibus et furiis extrinsecis, sed sic cogita: Cum infirmor, sum fortissimus, cum supprimor, emergor, sicut palma insurgens contra onus. Sic Augustae putabamur perire, sed ibi maxime emersimus. Sic in tristitia, cum jam proximi sumus desperationi, tum maxime oritur spes. Sic hodie cum maximus contemtus et fastidium verbi est, incipit vera gloria verbi. Quare discamus hunc versum intelligere de profectu et successu invisibili. Noster enim rex habet successum et fortunam, etiamsi tu non videas, neque etiam expediret nos eum successum videre, quia tum inflaremur. Jam autem per fidem nos erigit, ut speremus, ut, etiamsi nullum verbi fructum videamus, tamen quia hic scriptum est, certi simus non defuturum fructum, sed certo secuturum, tantum ne frangamur intuentes in praesentia, quae molestant, sed intueamur potius in istas promissiones, quod christianos exemplo

domini sui Christi oportet esse infirmos et contemtos, qui nihil mereantur suis beneficiis, quam summum contemtum et extremam ingratitudinem, ut, qui in officio docendi sunt, summa fide doceant, et nihil aliud mercedis exspectent, quam ut a mundo occidantur, et a suis conculcentur et contemnantur. Sed hoc valde est difficile.

Quare ego quoque, cum haec ita video, nonnunquam impatientia frangor, et serio cogito, nisi illa doctrina in mundum jam sparsa esset, me quidvis potius facturum, quam ut ingrato mundo eam ostenderem. Sed hae cogitationes sunt cogitationes carnis, et sunt malae. Sit enim mundus ingratus quantum velit, abutatur verbo quantum velit, non tamen discedendum est ab officio docendi, sed oportet perdurare ac perseverare, et commendare successum et fortunam verbi Deo. Est enim talis rex, qui vult habere successum, fortitudinem et victoriam, si non in hoc loco, hoc tempore, at in alio loco et tempore. Hic splendor et successus est clarior omnibus stellis, etiamsi nos non videmus.

Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam.

Debent conjungi cum superiori verbo, ut sit sententia: Prosperaberis, eris felix in tuo bello, in equitatu tuo. Ad quid? ut promoveas veritatem et afflictam justitiam. Sic enim nos reddimus, nec sequimur Hieronymum. Nam vocabulum, quo hic utitur propheta, singnificat afflictam, miseram, oppressam. Sententia igitur est: Tua veritas et justitia tua patitur, est contemta et oppressa, extra nos per tyrannidem et mendacium diaboli, intra nos per contemtum et ingratitudinem, tum etiam in conscientia nostra. Sic nihil est miserius, nihil contemtius veritate et justitia Christi. Quia enim volunt destruere regnum diaboli, hoc est,

regnum peccati, mortis et inferni, non patitur eas diabolus, qui habet majorem partem mundi, potentiores, sanctiores, sapientiores, ditiores, ergo quod ipsi statuunt, dicunt, hoc videtur in speciem esse ipsissima veritas, sicut Oecolampadius scribebat de sua causa: Certissima veritas stat a nobis. Videntur quoque omnium fortunatissimi esse, econtra nos videmur infelicissimi, qui ubique haereamus. Es will nirgend fortgehen mit uns, sed quadrigae nostrae sunt in luto aquarum multarum. Tale est ministerium et doctrina nostra.

Scribuntur autem haec ideo, ut discamus, oportere hanc nostram fortunam esse, sicut Christus dicit discipulis: „Haec praedixi vobis, ut, cum venerit hora, reminiscamini.“ Quare sincere et fideliter doce, et omnia faciendo exspecta non gloriam, sed ignominiam et contemtum, non opes, sed paupertatem, vim, carcerem, mortem et omnia pericula. Haec praedicit tuus rex, aliud in hac vita nihil exspectes: sed in futura vita, ibi demum praemia digna laboris tui reddet, ut cum alii in infernum praecipitabuntur, tibi insignis prae reliquis locus in coelo designabitur, tantum persevera. Merum infortunium est ex parte nostra, sed apud hunc regem nostrum est fortuna et victoria, etsi abscondita in fide. Postquam autem fides fortiter in bello luctata fuerit, tum veniet quoque et videbitur victoria, ut etiam in hac vita pacem et alia plura bona acquiramus. Ideo dicit ad Christum:

Invehere, ut glorifices veritatem et afflictam justitiam, ut statuas regnum veritatis, et exaltes illam humiliatam justitiam, quia totum pondus diaboli eo incumbit, ut excitet mendacium, et destruat veritatem, quae veritas est ipsa fides, quae verum cultum et religionem statuit. Ideo eam Satan non potest ferre, sed suscitat contra eam infinitas et varias religiones et

hypocrises, ut, si Christus nos non adjuvaret in stabiliendo suo regno solide et defendenda veritate, periremus, nec possemus consistere contra tot sectas, quibus nos Satan oppugnat, contra tot mendacia et pugnas, quae omnes tendunt ad statuenda mendacia et idololatriam, ad serendas impias opiniones de Deo et avertendum a fide et veritate. Igitur bone Christe juves nos, sis tu fortis bellator, ut defendas veritatem, quae in nobis etiam est afflicta, coram mundo autem est haeresis, error, blasphemia, nec quidquam magis impium aut miserum est veritate.

Sic etiam sola Dei justitia misera et afflicta est. Omnes aliae justitiae habent quandam speciem et suam quandam gloriam. Philosophi commendant suam justitiam, et ornant ingentibus laudibus, caesar suam quoque praedicat et statuit, haec autem unica Christi justitia est, in quam omnes reliquae saeviunt, contemta, ignominiosa, jacens sub pedibus et in pulvere. Ideo bone Christe urge verbum tuum, et serva nobis conculcatam hanc justitiam, quae tamen sola et vera est justitia. Serva veritatem, quae arguitur mendacium. Quando autem sic ingressus fueris bellum cum equitatu tuo, ut juves veritatem et humiliatam justitiam fidei, tum

Deducet te mirabiliter dextera tua.

Urge bellum et mirabilem successum experieris, halt feste, man wird noch Wunder sehen, was draus werden wird. Hic evolvite veteris ecclesiae historias, et intelligetis hunc versum. Sanctus Hilarius fuit tempore humiliatissimae justitiae et damnatissimae veritatis, cum vix duo episcopi sinceri suas ecclesias tenerent, et omnes alias ecclesias furor Arii occupasset, bi veritas et justitia jacebant plane prostratae, et tamen venit Christus et fugavit Arianos cum sua haere-

si, et manet veritas incolumis. Sic Pelagiani, sic hodie sacramentarii et anabaptistae reddunt hanc justitiam et veritatem nostram humiliatam, et erunt adhuc plures. Quare munite vos istis promissionibus, quod Christus erit fortunatus bellator in nobis, et videbitis mirabilia in dextera Christi, quae jam infirmata videtur. Sic nunc causa nostra evasit aliquot certa pericula, ut retro spectantibus nihil appareat, nisi mirabilia, et antequam fierent, plane incredibilia: Christus omnia haec sic mirabiliter gubernavit.

Monet igitur nos hoc loco propheta, cum dicit visuros mirabilia, quod invicta haec sit veritas, ut discamus ferre, stare et perseverare, ac cogitare: Cadant qui cadunt *), sive pastor, sive pater, sive mater, sive princeps etc. Ego tamen non deficiam, sed manebo cum afflicta justitia, si ideo opprimor et occidor, sit sane, modo perdurem, et videbo mirabilia dexterae hujus, et retributionem peccatorum affligentium justitiam et veritatem. Munzerus, Zinglius et alii putabant se perventuros eo, quo cogitabant, sie meineten, sie wollten das Liedlin so hinaus singen, sed priusquam vere incipiunt, pereunt.

Idem principibus et episcopis nostris accidet, qui asinorum carmen canunt, quod alte incipit, et profunde desinit. Neque enim prius cessant, quam haec dextera nostri Dei mirabilia ostendat, et ea faciat, quae nunc nemo concipere animo potest, sicut si retro respicias, videbis Deum plus fecisse, quam quisquam sperare potuit. Ego quidem ante duodecim annos non potui sperare, fieri posse, ut uno in angulo missae privatae caderent, ut vota monastica contemnerentur, ut conjugia sacerdotum publice fierent, quae tamen nunc fiunt.

---

*) In edit. princip. leg.: c a l u n t.

Quamquam enim apud papistas nondum fiunt, tamen difficulter sua retinent et defendunt.

Hoc est, quod dicit: Mirabilia dextera tua faciet; est enim dextera Dei. Sic consolatur nos in tribulationibus nostrae afflictae justitiae et veritatis, quam licet damnent caesar, pontifex, principes, episcopi, cives et rustici, licet patiamur vim, dolum, fraudem, paupertatem, ignominiam, turbas, tamen nihil ex ea re nobis est periculi. Noster enim bellator est potens. Major est, qui in nobis est, quam qui in mundo est. Is dicit: Ego elegi vos, mundus odit vos, sed confidite, vici mundum, sum enim fortunatus bellator, qui justitiam humiliatam triumphare facio, sicut dicit: Tibi ostendet dextera tua mirabilia, id est, in regno tuo videbuntur mirabilia, quae dextera tua operatur per gladium, id est, per verbum. Nos enim nihil aliud facimus, quam quod docemus verbum, credimus et oramus: haec cum fiunt, sequuntur mirabilia.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corde inimicorum regis.

Verte: In medio inimicorum regis. Hic arma et fortunam describit. Non solum eris bene armatus, sed etiam habebis fortunam te dignam et regiam victoriam, quia populi sub te cadent in corde etc. Hic est hebraismus. Cor semper eis significat per metaphoram medium. Sic dicunt: in corde terrae et corde maris, id est, in medio terrae et medio maris, sicut etiam Christus loquitur in evangelio. Sic in Mose: „Vidisti ignem usque in cor coeli," id est, in medium. Ita hic ponitur: „in corde inimicorum", id est, in medio. Hujusmodi Hierosolymis fuerunt Joseph Nicodemus et alii, quos Christus e medio inimicorum, Pilati, Herodis, Caiphe et aliorum eripuit. Sic Romae in ipsa aula caesaris Romani aliquot milites conversi sunt. Ita apud nos ho-

in aula et ipsis cameris principum, episcoporum, papae et ubicunque sunt hostes regis nostri, est invenire populum, qui reciderit sub Christi pedes, qui conjecti sunt istis sagittis saluberrimis, hoc est, qui audiunt evangelion et vulnerantur verbo caritatis Christi, quo erudit ad fidem, et ferit, sicut quoque fatentur tales conversi, hanc doctrinam ita penetrare et ferire cor, ut nullam aliam.

Verbum igitur est sagitta, de qua hic propheta dicit, sicut nos quoque germanica figura verbum sagittam dicimus: Der Pfeil kompt nicht aus dem Kocher. Item: Ein Stich, der nicht blutet. Et est emphasis in hac figura, quod non simpliciter verbum significatur, sed acutissima verba penetrantia et stimulantia animum, sicut Matth. 7. de Christo dicunt, quod populus stupuerit ad doctrinam Christi, docuisse enim eum cum potentia, et non sicut scribae, qui quasi stertentes docebant, sicut Erasmus alias eloquentissimus, in theologia tamen ita frigide, stupide et plumbee scribit, ut appareat eum nihil serio agere, dass es weder haft noch klappet, es trifft noch wundet nicht, non ferit, non relinquit stimulos in animis lectorum. Christi autem verbum perrumpit et sauciat, omnia praesidia fiduciae adimens, et soli sanguini Christi redemtionem tribuens, haec pungunt animum et vulnerant. Est autem haec vulneratio salutifera. Sic enim occidunt haec arma, ut vivificent. Nam verbum Dei est efficax et penetrantius quovis gladio. Ideo sequitur:

Populi cadunt sub te.

Id est, humiliantur sub te, deserunt sua studia, opiniones, religiones, voluptates suas, et adorant te. Hic est felicissimus casus, et ruina in salutem, ut, qui ante male steterunt in fiducia propriae justitiae, hi jam felicissime jaceant in justitia Christi. Haec autem

fiunt," dicit, non in finibus, sed in medio inimicorum regis, id est, ubi minime speratur. Penetrat enim evangelion non solum in domos rusticorum, sed in aulas, in cameras et corda principum. Haec est insignis victoria, qua declaratur potentia et efficacia verbi, quod urget successum et fortunam suam, nec cessat, donec acquirat multos populos, qui percussi salutaribus sagittis fiant alii homines, et incipiant Christum amare, quem oderant ante, incipiant timere et revereri Christum, quem antea neglexerant. Hoc est, cadere sub eo. Est autem ruina felix et plena consolationis, quae ostendit potentiam et fortunam verbi.

Coepimus autem, sicut scitis, totum psalmum distribuere in certas partes, quibus hunc regem et dominum nostrum describit, verbis valde poeticis vel potius allegoricis. Atque audivimus hactenus de armis et profectione in bellum, quomodo instructus et armatus sit gladio et specioso equitatu, item de successu, quod prospere succedat ei, ut sit adjutor et auctor afflictae justitiae. Quae omnia videntur regem foris speciosum et mundanum depingere, sed sunt transferenda a carne ad spiritum, in quo gloria illa videbitur. Nam foris multo aliter fit, ibi hujus regis subditi sunt afflictissimi, non tantum membris corporalibus, sed ipsa tota carne, quae vexatur terroribus, afflictione, tristitia, desperatione et aliis Satanae cruciatibus. Subindicat igitur hoc optimus poeta et doctor, cum dicit, Christum esse regem tristium et desperantium, apprehensorum et oppressorum a turbinibus conscientiae et jaculis ignitis diaboli, qui nos fatigat nocte et die, in corpore et anima, ut spem in Christum nobis eripiat. Ideo et prophetiae de hoc rege sunt suavissimae, et rex ipse est jucundissimus. Est enim rex, qui non venit conculcare arundinem fractam, aut exstinguere

linum fumigans, sed venit, ut refocillet, medeatur et consoletur. Hoc psalmus his verbis dicit, venire eum ad defendendam justitiam miserorum, vel miseram et afflictam justitiam. Atque haec scitis apud nos doceri quotidie, ut scilicet rex ille plene cognoscatur, ne faciamus ex eo Mosen, qui sit formidabilis et terreat. Talis Christus non est, non enim venit judicare mundum, sed ut mundus per ipsum salvetur et sanetur. In hoc enim consentiunt omnes scripturae, quod sit rex pusillanimorum et afflictorum, quae summa consolatio est piarum mentium.

Atque hic opportunam mentionem successus fecit, neque enim satis est, sicut supra dixi, regem armatum esse et potentem, sed oportet etiam accedere successum, sicut Cicero commendat Pompejum suum, quod sit fortunatus imperator. Quantumvis enim magna potentia, si sit sine successu, nihil est. In bello autem dominatur fortuna, quia est res magna, quae humana prudentia non potest regi. Nusquam enim minus respondent eventus consiliis quam in bello. Quare necesse est fortunam divinitus donari et adesse penes eum, qui vincit, angelos. Neque enim robur exercitus ad victoriam comparandam satis est, sed successus etiam requiritur.

Porro propheta inter felicia nostri regis arma sagittas tantum nominat, complectitur autem hoc nomine, tanquam praecipuo, omnia alia tela, sicut nos bombardas inter praecipua numeramus. Emphasis autem est, quod sagittas vocat acutas, nempe quod acuantur de coelo, et dirigantur per Spiritum sanctum. Quando enim is adest, tum demum sagittae acutae sunt. Hostium arma in speciem quoque acuta videntur, sed quia acuuntur tantum a fabris et hominibus, non penetrant. Haec autem ita feriunt et penetrant, ut pro-

sternantur adversarii, et quod mirabilius est, ut noster rex in medio fremitu adversariorum habeat populum sibi servientem. Christus enim habet regnum suum in mundo sine muro, sine ullis munitionibus, expositum omnibus periculis et malis, tanquam oves positas in medio luporum. Has oves quis defendet? Haud enim dubia est victoria, si ovis cum lupo committatur, et tamen Christus hoc solet, ponit suos fideles milites tanquam oves in medio inimicorum, subministrat eis vim et tela, quibus prosternantur hostes, convertantur autem et serventur sui, invitis etiam portis inferorum.

Hoc autem tum pateret, si oculis spiritualibus possemus cernere multitudinem diabolorum, quibus sumus septi. Quanquam enim septi sumus undique indignantibus et frementibus episcopis ac principibus, qui cupiunt nos exstinctos, qui jaculantur proditionibus et tectis consiliis ad nos perdendos, tamen hoc nihil est ad bellum illud spirituale, quod sumus circumfusi undique multis millibus daemonum, qui evomunt contra nos totum infernum, et maximis exercitibus nos adoriuntur. Neque enim dubium est, quin petat nos Satan totis viribus, et quo minus nocere potest, eo plus vult et conatur nocere, nec est simpliciter furiosus, sed ipsa furia. Desperaremus igitur, si ista pericula et conatus Satanae omnes videremus. Deus autem et rex noster consolatur nos: Estote fortes, inquit, in bello, pugnate, habetis tela et sagittas acutas, eas ejaculemini in hostem, aderit successus. Sed quam impar hic est congressus? Quid ego sum, imo quid mille nostrum sunt ad unum diabolum? Hic opus est, ut dicamus cum Helisaeo: „Plures nobiscum sunt quam cum illis." Ubi enim sunt viginti diaboli, ibi sunt centum angeli, et nisi hoc esset, jamdudum periissemus. Tum enim sumus in acie, quando docemus verbum, quando

praedicamus et laudamus Christum, et deinde vivimus, quantum potest fieri, secundum evangelion et verbum Dei.

Accipiamus igitur hunc locum etiam pro consolatione, quod dicit: In medio inimicorum regis, quanquam est mutatio secundae personae in tertiam, Hebraeis valde communis. Deus enim avertit per haec verba omnes nostros timores in suam personam, quod vocat non nostros inimicos sed inimicos regis, quasi dicat: Vos patimini ista a diabolo, non propter vos, sed propter me, ego sum reus, ego sum, quem petit Satan, mea culpa est, contra me insanit mundus. Quare igitur vos desperatis? quare vexamini terroribus et desperatione? Non sunt inimici vestri, sed mei, qui sum rex vester. Vos igitur pergite docendo et praedicando, sustinete afflictiones, et sinite me contra illos pugnare. Ego videbo, quo modo defendam vos, ero vobis murus ignitus in circuitu vestri, qui estis populus meus, non opus habetis fossis aut aeneis muris, bene defendam vos, sicut defendi populum meum ad mare rubrum, quando posui inter eum et Pharaonem nubem igneam, per quam non potest ne Satan quidem perrumpere, qui videt illum igneum murum: nos non videmus.

Credamus autem Deo affirmanti, quod nos tueatur, quod simus circumvallati igneo muro, per quem Satan perrumpere non potest. E longinquo igitur jaculatur in nos ignita tela, ut contristet nos: nos vicissim latentes post illum murum in ipsum jaculamur, et eos, qui sunt contristati, aut non conversi, consolamur verbo, et convertimus, sicque ad Christum reducimus. Id quia dolet diabolo, parat in nos alia tela: ibi iterum respicimus ad regem nostrum Christum et vincimus. Sic nullum ab armis otium est, sed pugnamus cum daemonibus die noctuque. Hoc est, quod dicit psalmus: In medio ini-

micorum tuorum cadent populi. Nisi enim Christus esset murus et dux noster, non consisteremus uno momento, quia diabolus tam potens est, ut et fidem eripere, et veritatem Christi obscurare possit. Si igitur Christus manum subtraheret, non solum corpora Satan perderet, sed et spiritum subverteret. Ergo nihil contra eum nostris viribus efficere possumus, sed est respiciendum ad hunc regem, et sciendum, quod sit ejusmodi rex, quem diabolus persequitur. Si igitur propter Christum patimur, irruat in nos, quidquid est malorum et periculorum, noster rex habebit victoriam, nec solum nos defendet, sed etiam vincet, rapiet, spoliabit adversarios, et plures lucrifaciet, ut, qui hactenus fuerint diaboli spolia et arma, illi a nobis per verbum erepti traducantur ad fidem. Hoc est, quod dicit: In medio inimicorum, vel in corde, ubi plurimum videtur roboris esse contra Christum, ut in aulis principum etc.

Parum autem refert, sicut supra dixi, accipiasne sagittam pro verbo ipso, an pro doctore et ministro verbi, sicut apud Esaiam: „Assumam te mihi in arcum," et ca. 49.: „Posuit me sicut electam sagittam." Apostolus enim, qui docet verbum, est quasi sagitta acuta. Sic etiam verbum Spiritus sancti est sagitta acuta, id est, felix et fortunata et efficax. Neque enim verbum est otiosum, sed multa ac magna efficit, contristatos erigit, perplexos dirigit, errantes revocat et redarguit, et multos alios innumerabiles fructus parit, ac plane est res quaedam omnipotens: merito igitur vocatur sagitta acuta.

Ergo noster rex est defensor et salvator miserorum, plenissimus consolatione erga humiles et afflictos, et victoriosissimus contra hostes et induratos, ac quidem certi sumus de victoria, modo retineamus hunc regem. Cujusmodi enim hoc esset regnum, semper in mediis

hostibus versari, expositum omnibus omnium insidiis et telis esse, semper pati et premi? Necesse est vicissitudinem aliquam esse, et tam multa passis aliquando victoriam contingere. Certa igitur est victoria, modo perduremus, sicut Paulus 2. Cor. 2. dicit: „Gratias Deo ago, qui nos semper triumphare facit in Christo Jesu," neque enim succumbunt christiani desperationi et diffidentiae, non mutant verbum non negant Christum, sed perseverant docendo, et confitentur, aliquando quidem robuste, aliquando autem debiliter. Est enim rex victoriosus, et rex miserorum, qui nos potest erigere, etiamsi aliquando simus infirmi.

Hactenus descripsit regem in sua persona, sapientia, armis, victoriis, administratione etc., et fecit eum elegantissimum et jucundissimum regem miserorum. Videmus autem in hujusmodi suavibus descriptionibus sanctos homines solo auditu futuri Christi magis laetatos esse magisque incensos amore ejus, quam nos jam exhibito Christo laetamur aut afficimur, ut verum esse appareat proverbium, quo propius sunt homines Romam, eo nequiores esse. „Impinguatus, incrassatus, dilatatus est servus meus, inquit Moses, et recalcitravit." Quia enim obruti sumus verbo, ideo negligimus. Si verbum non esset tam copiosum, fortasse essemus diligentiores. Oportet tamen abundare verbum propter pios. Sed redeo ad psalmum.

Sequitur jam altera pars de rege domestico, et domi sedente ac dicente jus. Nam hoc quoque ad officium regis pertinet, ut habeat consistorium et tribunal, et pingitur imperator non solum gladium altera manu tenens, sed altera etiam librum. Hactenus igitur gladium descripsit, nunc librum describet, sicut Justinianus dicit de imperatore, oportere eum armis decoratum et legibus armatum esse, mira et nova figura ora-

tionis, quod leges armant, gladius ornat. Voluit autem significare conjuncta haec esse debere, administrationem tempore belli foris, et tempore pacis domi. Ad tempus pacis requiritur justitia et aequitas, ad tempus belli arma, ut foris sit fortunatus et fortis, domi autem justus.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi.

His versus satis tractatus est in epistola ad Hebraeos ca. 1., quanquam ibi tantum pars ejus tractatur, et applicatur ad probandam divinitatem Christi. Nos autem ex hoc loco non solum id discimus, Christum esse natura verum Deum, sed etiam monemur de officio ejus, de dicendo jure et conservanda disciplina imperii. Sedes tua, inquit, id est, thronus tuus regius, est aeternus. Est libera confessio et plena admirationis, quod ante revelatum evangelium praedicit ejusmodi regem, cui non succedat alia persona, sed qui aeternus administret regnum suum in saecula. Non ergo potest intelligi psalmus de regno temporali, aut de rege qui tantum sit homo, quia definitum est omnes debere mori, secundum illud: „In Adam omnes mortui sunt." Ergo impossibile est posse de homine dici, quod sit rex aeternus, sed est clara probatio, non esse regnum corporale, de quo hic dicit. Nam cum dicit sedem aeternam, et ipsum quoque qui regit aeternum esse, sequitur non esse corporalem aut temporalem regem, qui curet aurum, argentum et cetera, quae sunt regni temporalis.

Secundo hoc quoque sequitur, cum sit verus homo (quia dicit esse speciosum prae filiis hominum), habere eum aliam vitam, quam haec est, in qua nos vivimus, et tamen, quia scriptum est, esse eum speciosum, et apparet esse hominem et per consequens etiam esse mortalem, et tamen quoque aeternum, quia sedes tua in aeternum Deus. Haec jam inter se compara. Textus enim dicit, eum esse inter filios hominum, ubi mors

regnat, ergo necesse est eum mori, et tamen dicit aeternum fore. Concluditur ergo ex hoc loco resurrectio mortuorum, quod noster rex ejusmodi sit, qui verus Deus homo factus, tandem sicut alii homines moriatur, et relinquat hanc vitam, ac resurgens ex morte accipiat vitam aeternam, ut sit rex vitae aeternae, qui tamen in hac mortali vita vixerit, sicut dicit in Johann.: „Desero mundum et vado ad patrem," id est, derelinquam hoc ministerium, quod hactenus in mundo inter vos gessi, et ibo ad patrem, hoc est, accipiam regnum et aliam vitam, ut sim rex aeternae vitae pro omnibus meis fidelibus, quam aeternam vitam hic quoque incipit in corde nostro. Nam cum incipimus credere in Christum, postquam baptizati sumus, tunc secundum fidem et verbum sumus liberi a morte, a peccato et a diabolo. Ergo principium vitae aeternae et primitias habemus in hac vita, et tenuem quendam gustum, irrupimus ad vestibulum, mox exuti hac carne, omnia plenissime percepturi.

Patet igitur ex hoc loco, Christum esse verum hominem, et tamen esse quoque regem non temporalem, sed aeternum, hoc est, verum etiam Deum, qui, quanquam mortuus sit, tamen resurrexerit a morte. Nam mortem vincere non est hominis aut creaturae. Sicut enim tota creatio unius Dei est, ita quoque vitam, quae ipsa quoque creatura Dei est, nemo praeter Deum creat. Consequitur igitur Christum verum esse Deum, siquidem creat vitam, et mortem devorat. Ideo expresse hic Deum nominat, et eum sic describit, quod sit Deus et homo, et naturaliter Deus, et dominus mortis, qui mortem in semet ipso pro omnibus nobis vicit, quem mors tenere non potuit, sicut Petrus dicit, quia tenuisset divinam personam, compositam (quanquam sophistae vetant sic loqui) seu unitam ex duabus naturis, ut unam

personam constituat, quae sit verus Deus et verus homo, quam si vorasset Satan, diceretur vorasse divinitatem seu divinam personam. Deus autem nescit mori, sic nec humanitas cum divinitate unita mori potuit.

Ergo etiam quidquid illa persona divina apprehendit, quidquid ei adhaeserit, hoc etiam evadet mortem, non suis viribus, sed beneficio hujus personae divinae, sicut dixit: „Confidite, ego vici mundum,“ item: „Ego vivo et vos vivetis.“ „Ego sum factus mors morti et peccatum peccato,“ sicut prophetae et apostoli loquuntur. Quod igitur ego mortem evado, qui tamen morti ob peccatum addictus sum, est effectus non mearum virium, sed Christi donantis, qui dicit: Ego sum princeps vitae, persona immortalis, a morte invincibilis. Nunc ergo conglutinemini mecum, et adhaerete mihi, efficiamini membra mea: tunc fiet, ut, ubi ego sum, ibi etiam vos sitis. Talem igitur habemus regem, qui sic regnat in hac vita incipiens aeternam vitam. Est autem imperfectum regnum quoad nos, quia inchoatum tantum est, non est perfectum, tum autem perficietur, cum tradet regnum patri, ibi perfecte cernetur Deus de facie ad faciem.

Interim dum hic vivimus, est hoc officium Christi, ut incipiat regnum vitae, et destruat regnum mortis et peccati, donec transferat suos ex hac miseria in aeternam vitam. Non est igitur sic cogitandum de Christo, sicut vel Turcae, qui relegant Christum otiosum in angulum quendam, et arbitrantur ei successisse Mahometum, vel papistae, qui nihilo melius existimant Christum otiose alicubi sedere et exspectare judicii diem, quo sit fulminaturus in peccatores. Ideo confugiunt ad intercessiones sanctorum, invocant beatam virginem et alios sanctos. Hoc autem est Christum otiosum reddere, quod non est faciendum, sed oportet eum red-

dere operantem, credere regnantem, pugnare, habere sedem et sceptrum, conservare justitiam et donare, et haec omnia quotidie magna virtute in ecclesia facere, sicut videmus, quod scripturae tractantur et exponuntur, et vivitur etiam, quantum per infirmitatem innatam licet. Quotquot ibi verba de Christo audiuntur, ea hoc sonant, quod ipse omnia facit. Quicunque defenditur a peccato, a spiritibus fanaticis, et aliis malis, a Christo defenditur, qui facit haec in nobis et per nos. Nisi enim in nobis esset, ne unum quidem verbum de ipso possemus loqui, sicut Paulus testatur 1. Cor. 12.: „Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto." Igitur Christus non est otiosus, sicut esset, si nos taceremus, sicut apud papistas, et alias sectas, et Turcas est otiosus, apud quos nihil facit, quia nolunt eum regere super se. Sed apud nos cogitat, facit, vivit, omnia nostra.

Regnum Christi igitur proprie hoc est, quod administrat in hac vita, et post hanc vitam perfecte conferet justitiam et vitam aeternam. Id tamen hoc modo facit: Postquam sumus baptizati et illuminati evangelio, ac coepimus confidere et adhaerere huic regi, nihilominus tamen manet reliquum in carne nostra peccatum, et erumpunt infinita diaboli tela, mali mores, sectae, infirmitas, quod christiani sunt negligentes tam in operibus quam in verbo, nec valde luctantur. Ibi maxime cernitur sedes Christi et officium, ut expurget vetus fermentum, et augeat suum regnum, et vincat subnascentia mala. Atque haec est divina justitia, quae subinde crescit, ut, si quis labitur, revertatur, si nolit, ut excommunicetur, ut annuntietur ei ira Dei et negatio communionis, quae est in Christo.

Pertineat autem omnia haec eo, ut fides augescat, et nos crescamus in agnitione Dei, et corpus quoque

nostrum mortificetur, et conservetur in castitate, patientia et aliis christianis virtutibus, et pugnemus contra faeces peccati. Sunt autem omnia haec Christi officia. Quando igitur vel publice in concionibus vel privatim arguo et corripio homines, Christus corripit. Atque hoc est repugnare peccato repullulanti, et deponere pondus et circumstans peccatum, sicut ad Ebr. 12. vocat. Gravat enim nos et sollicitat assidue, sicut videmus christianos crebro labi. Jam labor cogitatione irae aut superbiae, jam a Satana vexor tristitia aut desperatione, jam papa et sectae irruunt pleni scandalis, qui contra me pugnant. Ibi oppono me et resisto, arguo et adhortor. Haec autem omnia quis facit? Christus nimirum, qui sedet, et judicat contra peccatum repullulans. Judicium igitur hujus regis est, quod Paulus dicit: „ne regnet peccatum in mortali corpore vestro, sed dominemini ejus concupiscentiae.“ Sicut enim nulla unquam civitas tam habet obedientes et bonos cives, ut non opus habeat judiciis et magistratibus, ita semper latent apud christianos in carne et sensibus animae reliquiae irae, superbiae, libidinis etc., quae conantur caput exserere, et subinde tentant nos. Ibi opus verbo est, ut verbum legas, audias, mediteris, abeas in cubiculum et flexo genu ores. Hoc demum est repullulans peccatum premere, quod militat contra nos, et captivat nos.

Quare christiano necesse est sic repugnare. Quodsi non repugnaverimus hoc modo, sed otiosi erimus, et non vel nos vel alios arguerimus, non poterimus observare, verene credamus nec ne. Hoc autem est signum Christum judicare et esse efficacem inter nos, quod auditur adhuc vox objurgationis et consilii, vox increpationis diaboli, vox qua vexantur et affliguntur sectae, qua impediuntur et reprehenduntur scandala. Haec fulmina ex throno Christi procedunt, et sunt certa in-

dicia, quod adsit Christus et judicet. Crescit autem fides et ceteri fidei fructus per illud judicium, quod Christus in nobis exercet.

Quare vos discite aperire oculos, et ecclesiam cognoscere et credere sanctam. Omnes enim sapientes homines offenduntur hodie hac specie ecclesiae. Quia enim ratio audit, ecclesiam esse sanctam et sine macula, putat christianos esse sine omni macula. Et quidem ipsi christiani aegre scandala illa, in quibus aliquando sunt, superare possunt, et ipsi quoque ex operibus concludunt: Tu non es sic purus a peccatis, ergo non es christianus. Quare oportet hic certe definire, quid sit sanctus. Non enim dicitur sancta ecclesia, quod nullum habeat peccatum. Nam Paulus dicit: „Non regnet peccatum, scilicet ut obediatis ei.“ Fatetur in christianis esse peccatum et concupiscentiam, et adhortatur, ne sinant peccatum regnare. Ergo sancta ecclesia est et dicitur sancta secundum primitias, non secundum decimas et plenitudinem. Est sancta fide in nomine Christi, in quo habet puritatem, in se non habet, sed propter ejus nomen est sancta. Latent enim peccata in sanctis, sed tamen peccata servientia, non regnantia, quae aliquando erumpunt quidem, ut commoveantur impatientia, tristitia, desperatione etc. Hae sunt concupiscentiae peccati, sed non dominium. Quanquam enim premunt me, nihilominus tamen arripio Christum, et conculco istam impatientiam, tristitiam, ac reliquias peccati coerceo.

Ecclesia igitur est sancta in capite Christo, et est pura in nomine Christi, sed non est sancta et pura in se, et in peccatis latentibus et murmurantibus, sicut ferae bestiae catenis vinctae murmurant et nocere cupiunt. Nam peccatum nostrum est constrictum vinculis et incarceratum, libenter quidem esset solutum

vinculis et liberum, sed repugnandum est. Si diabolus vult te conjicere in tristitiam, et fidem auferre, ibi erige te in fide, et dic ad eum: Fuge Satan et tace, Christus meus vivit. Sic cum sectae turbas movent, dic: Taceatis, hic est verbum Dei, quod non evertetis etc.

Debet igitur ecclesia intelligi et credi sancta, non debet videri sancta, quia articulus fidei dicit: „Credo sanctam," non: video sanctam. Quodsi secundum visum judicare voles, videbis eam peccatricem esse, videbis multa et infinita scandala, fratres passionatos (ut vocant), alium impatientia, alium ira, alium alio modo irritari. Non igitur scriptum est: Video ecclesiam sanctam, sed: credo, quia non habet propriam justitiam ex se, sed ex Christo, qui caput ejus est, et in hac fide perspicio ejus sanctitatem, quae est sanctitas credibilis, non palpabilis aut visibilis.

Dico autem haec ideo copiosius, ad consolationem contra quosdam, qui, cum vident in nostro corpore exiguam quandam scabiem, eam mire exaggerant: Ecce hi sunt evangelii fructus, et similia, cum ipsi interim sint penitus leprosi. Non vident nec curant periculosa apostemata et ulcera, quibus abundant, et in nobis levissima quaeque reprehendunt. Suntne (dicunt) hi christiani censendi, in quibus nulla singularis sanctitas apparet? edunt, bibunt, vestiunt, laborant, sicut alii homines etc. Scilicet veram sanctitatem ecclesiae tuis impuris oculis cerneres? Ut autem nihil aliud videas, hoc tamen vides, non esse istam acerbitatem odiorum apud eos, quae apud adversarios est, et habent praeterea purum verbum, id tractant studiose, consolantur se mutuo verbo de Christo, et alia christianorum officia faciunt, quae tu non vides, nec etiam dignus es ut videas, quia sunt veri fructus et signa certa ecclesiae ab oculis tuis abscondita, qui tamen levicula vitia judicare

sit eum, qui regit, multis facere injuriam. Quare institutum est orare pro magistratu, quod impossibile sit sine vitiis regere. Hinc exstant etiam apud philosophos disputationes, utrum regna possint administrari sine injustitia, utrum tolerabilius sit regnum justum an injustum. Concludunt autem Plato et Cicero, regna non posse administrari sine injustitia et mendacio.

Sed in regno Christi non est ullum vitium, non fit ulla injuria, non toleratur injustitia, ne in puncto quidem, quae injustitia, in mundi regnis non punctis, sed magnis molibus fit. Ibi enim infinita maria et monstra injuriarum cernuntur, quae caveri non possunt, ne ab iis quidem, qui bene regunt. David enim sanctus rex fuit, et gubernavit divina ope et favore, sicut Petrus in actis testatur, administrasse eum regnum ex voluntate Dei, et in lib. regum dicit Deus: „Inveni virum, qui faciat omnes voluntates meas,“ et tamen multos affecit injuria, sicut miserum pupillum Miphiboseth, item Uriam, quem occidi jussit, ut caperet uxorem ejus. Et ut summatim dicam, impossibile est, quin ii, qui cum imperio sunt, non peccent, nec possunt omnibus administrare justitiam. Ratio est, quia superantur eorum vires magnitudine negotii et malitia Satanae. Satis autem est, si non studio et ex proposito peccent, sed habeant voluntatem bene gerendi magistratus. Quae autem casu aliter fiunt, quam velint, ea quasi spongia abolentur et absorbentur per remissionem peccatorum. Quis enim alioqui vellet accedere ad administrationem rerumpublicarum? Jubemur autem in sacris literis oblivisci et tegere illa magistratus peccata, et prohibemur videre festucas illas in oculis principum.

Et quid mirum est de magistratibus civilibus, nobis quoque verbi ministris eadem accidunt. Nullus enim nostrum est, qui suum officium sine multis vitiis

administret. Quodsi laudatissimi reges in sancto populo Dei non potuerunt sine peccato praeesse regnis, ut David, Ezechias et alii, non est possibile, ut quisquam sit, qui ubique faciat officium suum, qui non alicubi injuriam faciat immeritis, occidat, rapiat, saeviat, et tyrannicas illas virtutes non aliquando ostentet, ut fingat clementiam, benevolentiam erga cives, sicut Julius Caesar et alii, qui potuerunt saevire, et tamen arte quadam hominum animos trahere.

Est igitur haec summa, quod alii reges omnes sunt aliqua ex parte tyranni, nec habent sceptrum rectitudinis, imperia eorum non constant sine vitiis et criminibus et tyrannide, sicut videmus in optimis regibus, Davide et aliis. Solus autem Christus in suo regno habet rectum sceptrum. Quare hoc? Quia rex noster habet verbum Dei, quod est purum etiam puncto mathematico. Scitis autem, quod Aristoteles in ethicis comparat moralia puncto physico, et non mathematico. Jureconsultus, qui jus dicit, non attingit punctum mathematicum seu indivisibile, satis est attigisse circumferentiam, ut, quanto propior centro, eo melius, der Zweck trifft er nicht, ist gnug, dass er nicht gar uber das hin scheusst. Nam in materia morali punctum debet constitui magnitudine duorum passuum, circumferentia autem magnitudine alicujus oppidi. Sic fiet, ut non plane aberretur a scopo. Nullae enim usquam sunt leges, quae careant vitiis, nec ulli usquam sunt reges, qui sine injustitia regant. Satis autem est, quod leges et reges conantur attingere scopum, ne plane aberrent.

Hinc fit, quod studium juris est infinitum studium, quia tendit ad physicum punctum et divisibile. Necesse igitur est multos libros inde nasci. Data enim lege aliqua, statim exceptio aliqua se offert, quam deinde aliae decem sequuntur, ut sic in infinitum pate-

sint, nec possint leges redigi in justitiae punctum mathematicum et indivisibile. Semper enim casus incidunt, et circumstantiae, quae leges vitiant aut variant. Ideo justitia civilis et leges per se sunt vitiosae, etiamsi homines obediant. Neque enim ratio assequi potest varietatem omnium casuum, qui incidere possunt, ne legem mutare sit necesse. Quare uno ore fatentur epiikian esse necessario adhibendam ad leges, dass man es musse flicken und lappen, und zun Ortern einschlagen, ut leges et justitia civilis vere sint quasi mendici pallium consutum ex variis laciniis, quas subinde mutare, corrigere, quibus addere et demere ob negotiorum varietatem necesse sit.

Ergo imperia et regna mundi, si hac in parte ad regnum Christi conferantur, plane nihil sunt. Merito igitur inter primas laudes hanc quoque ponit: „Sceptrum tuum est rectum. Christi enim regnum nullum patitur vitium, idque duplici ratione, primo ratione legis divinae, quia patimur judicari et argui peccata nostra. Quanquam enim Christus in vita nostra peccata tolerat, non tamen tolerat in lege et doctrina, sed lex est purissima, et purissime occidit peccatum, nec quidquam circumstantiarum vel accidentium relinquit, sicut apocal. 21. dicit, quod nihil coinquinatum in hanc Jerusalem intrabit. Secundo ratione capitis et regis nostri Christi, in quem credimus. Nam quoad Christum nihil in nobis est vitiosum, sed quoad nos sumus inquinatissimi et pleni concupiscentia, timore mortis, desperatione. Christus autem non est talis, quia de eo scriptum est: „Non est inventus dolus in lingua ejus." Quando igitur in eum credimus, reputamur propter eum absolute justi in fide. Deinde post mortem hujus carnis in altera vita attingemus punctum mathematicum justitiae, et habebimus in nobis illam

absolutam justitiam, quam jam credentes in Christum imputative tantum habemus merito Christi. Tum autem cum ista revelabuntur in futura vita, aberit universa tyrannis mortis, ut nullus timor, pallor nullus in nobis haereat, sed sint omnia securissima et jucundissima. In hac autem vita habemus ista sub umbraculo, et sub velamento alarum solis justitiae, ac fide tantum justi sumus propter ipsum: tunc etiam in nobis vere justi erimus.

Est igitur hoc sceptrum rectum, quia doctrina Christi et leges regni hujus sunt rectissimae et purissimae, nempe ut credamus in Christum, et diligamus Deum ac proximum. In hac lege nihil est vitii, sed in nobis est, quia nos non satis credimus, non satis diligimus, non sumus satis fortes in tribulatione, et tamen, quia sumus sub isto umbraculo Christo, qui est purus dilector Dei et hominum, ideo fruimur ejus beneficio, et reputamur sancti etiam in hac vita. Sic primum in lege non est vitium, in sceptro nulla est curvitas. Verbum enim est purum, quod promittit gratiam, et docet diligere Deum. Haec est rectitudo sceptri. Deinde in nobis quoque nihil est vitii, primum quoad caput nostrum, Christus enim absorbet peccata nostra, secundo quoad futuram vitam, in qua justitia, quam nunc credimus, revelabitur. Hoc canit et praedicat hoc loco propheta, et hunc unum regem omnibus aliis longissime praefert, sive sit David, sive Salomo, sive Ezechias. Non enim possunt sua regna sine stultitia et insignibus vitiis administrare. Sic Ezechias stulte gloriatur: „Memento domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate.“ Stulte etiam gloriatur coram legatis regis Babylonis. Sic Josias ob errorem occiditur. Summa summarum, omnes, etiam

optimi reges a principio mundi sine magnis vitiis et injuriis regna sua non administrarunt.

Valent autem haec eo, ut intelligatis politiam mundi sine peccato non posse administrari. Hoc nesciunt furiosi quidam concionatores et vulgus, qui faciles sunt in carpendis principum et regum vitiis. Est autem haec quoque singularis Satanae fraus, quod principum vitia tam facile cernimus et observamus. Rusticus aliquis, qui viginti aut plures annos sicut porcus vixit, et nullum suum peccatum unquam observavit, is in levi aliquo principis sui peccato est eloquentissimus, cum interim absorbeat tota maria et silvas suorum privatorum peccatorum. Quare vos, qui aliquando vel ad politiam accedetis, vel ecclesiis praeficiemini; sic vos parate, ut dicatis: Domine Deus, nos etiam habemus nomen, quod regamus, et, sicut trito proverbio dicitur, nos poma natamus; si nostrum regnum conferatur ad hoc rectum sceptrum. Non enim possibile est, ut omnia vitia caveantur.

Haec igitur vitia si videritis, ne discatis cum vulgo insanire, sed discite ea mitigare, patienter ferre et condonare, praesertim autem quando ii, qui praesunt, non sunt mali homines, qui libidine peccent, sed qui libenter vellent omnia cavere, et tamen non succedit. Hos non debemus insectari, quia hoc esset seditiose docere, et sicut Petrus dicit, blasphemare glorias. Quin si ad tua vitia connivere et ea occulere potes, quare non ad illorum etiam vitia connives, praesertim cum id debeas ex mandato Dei? Quare non sic potius dicis: De Christi regno dictum est: Sceptrum tuum rectum, haec est hujus regni praerogativa, quam alia regna non habent, quare patientia in regnis mundi et politia est opus. Nabuchodonosor sine dubio fuit vir bonus et prudens, sed vide, quam crudeliter leonibus

homines objicit? Sic Alexander maxima industria res maximas gessit, sed qualis fuit in amicos suos? Sic Augustus. In summa, perlustrate omnes historias, et videbitis in omnibus fuisse aliquid vitii, nullus eorum est, qui non saepe et periculose impegerit. Et quid mirum est, in republica administranda labi homines, quo nullum majus opus in hac vita civili est. Considera recte domum tuam, aut si non habes, uxorem duc, et guberna domum tuam, et vide, an uxor, liberi, servi, ancillae omnia ita faciant, ut tu fieri recte praecipis?

Ergo tantum de Christi regno dictum est: Sceptrum tuum rectum. Reliqui, qui sunt in politica administratione, si peccant, absorbentur peccata illa remissione peccatorum, quam in oratione dominica rogamus. Sed ecclesia etiamsi rugosa sit et maculata in se, tamen est sancta et sine macula in suo capite. Christus enim est sine macula, qui igitur in eum credit, etiam sine macula est, sed fide. Deinde lex quoque est pura, promissio est pura, tum nos etiam ex parte sumus puri. Sic sceptrum undique est rectum, nec fit ulla injuria populo Christi, quia gubernatur puro verbo. Debetis autem hoc diligenter discere, ut tam ecclesiam quam politiam secundum externam faciem sic inspiciatis, quod non sit omnino pura, et debetis etiam hoc ingenium induere, quod oportet vitia tolerare in oeconomia, politia et ecclesia. Qui autem hoc non vult facere, is sane eat in alium mundum. Est enim homo imperitus, vanus, rusticus, qui nihil neque novit neque vidit, qui si admitteretur ad ea gubernanda, quae in aliis reprehendit, nihilo felicius gubernaret, quam Phaeton solem, dem kunnt die Sonne auch nirgend recht gehen. Reprehendebat gubernationem patris, ipse admissus ad gubernationem omnia paene evertisset. Plane idem faciunt, qui sic ingeniosi sunt in aliis judicandis, sicut

apud nos quidam falsi fratres fecerunt, qui sunt meri asini, qui nihil norunt quam ut doceant, quomodo debeat res geri, wie es soll zugehen. Ea autem levis ars est, quam ego etiam novi, et melius quam isti. Sed facere ea, quae recte praecipiuntur, hoc vere artis est. Sed ibi experimur plerumque nos destitui. Hoc nesciunt illi asini, ideo tam docti sunt in calumniandis aliorum factis.

Oportet autem in ecclesia judicanda separare hanc vitam a futura vita, et in judicanda politia oportet separare leges et mores, quae ambo vitiosa sunt, ab hoc regno Christi, quod habet rectum sceptrum. Ibi satis est prodire aliquotenus, siquidem, ut ille ait, non datur ultra, man thue, so viel man kann, dass man es aber alles soll rein machen, da wird nichts aus, wie die jungen Regenten, die meinen, sie wollen eilf Kegel treffen, so ihr nur neune auf dem Platz stehen. Vidi aliquot Erfurdiae sic regere, ut suspenderentur et plecterentur capite, quia praesumebant speculative regere, et nesciebant diabolum esse in mundo. Dico autem haec omnia contra seditiosas opiniones furiosorum hominum, qui nihil norunt, quam (ut vocant) reformare alios et reprehendere. Talis etiam fuit Absalom, qui detrahebat patri, stans quotidie sub porta: „Audio, justa est causa tua, si modo aequum habeas judicem, sed in aula patris nihil rite geritur, me oportuit regem esse." Sed quomodo successerit, eventus docuit.

Qui autem volunt magistratum lapsum corrigere, faciant id primum oratione apud Deum, deinde humili consilio, non cum detractione et susurratione in angulis apud factiosos homines, sed libere et aperte. Sic possunt corrigere magistratus ii, qui sunt in ministerio verbi, modeste tamen, ut fiat sine seditione, et ut homines doceant, non posse teneri aut administrari regna

sicut nec oeconomiam sine peccatis, quae postea tegat remissio peccatorum. In ecclesia autem non est remissio peccatorum quoad verbum, sed est punctum mathematicum et summa puritas. Verbum enim sic est irreprehensibile, ut ne jota quidem vitiosum sit in lege et promissionibus divinis. Quare nulli sectae cedendum est, ne in uno quidem apice scripturae, quantumcunque clament et calumnientur nos caritatem dissolvere, dum verba sic stricte retinemus, quia omnis caritatis principium est, ut sceptrum aequitatis maneat. Quodsi aliter obtineri non potest, rumpenda caritas et si quid etiam majus est, ut tantum verbum maneat purum. Stante autem hac puritate verbi et sceptro rectitudinis volo libenter in caritate tolerare mores et vitia fratris. Ideo diligenter distinguenda est politia et ecclesia, regnum Christi et regnum mundi, nec potest hoc discrimen satis disci, ut scilicet in politica administratione cum patientia toleremus et cum epiikia excusemus omnia, et tamen nitamur, quantum potest, ut fiat justitia civilis, quod si alicubi non succedit, ut dicamus: Soli Christo gloria haec debetur, ut ejus sceptrum sit rectum, aliis regnis non.

Sententia igitur est: Sceptrum tuum rectum, id est, tu juste administras omnia, quia administras per verbum, quod non potest non esse summa rectitudo et justitia. Damnata igitur hic sunt ad purissimum punctum omnia nostra peccata, et sic tamen sunt damnata, ut cogitet ea expurgare per remissionem peccatorum, et per mortem tandem extinguere, idque propter Christum, quem cum fide sic intueor, quod omnia mea peccata sua morte sustulerit, pronunciat Deus me quoque justum et purum, propter caput meum Christum, qui purissime est purus. Sic igitur ecclesia quoque est pura, quanquam in se sit plena peccatis. Cetera

igitur si vides, nempe fervere concupiscentias, pusillanimitatem, tristitiam, negligentiam in verbo, dicito: Ecclesia in se est impura quoad veterem hominem, sed purificatur per sceptrum, quod sceptrum veterem hominem quotidie mortificat. Ergo moriamur et sepeliamur, et in novissimo die comburamur igni, tum resurgemus puri, sicut sceptrum nostrum est purum. Jam non sumus, sed efficimur, et sicut Aristotelici loquuntur, sumus in fieri sancti, et non in facto esse. Sed jam latius sceptrum hoc quoad usum suum declarabit.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.

Hic est usus sceptri. Porro neque hoc est invenire in sceptro mundi, ibi enim lex est, quae vocatur: compelle intrare. Scribitur quidem: „Diligite justitiam, qui judicatis terram," sed non invenitur in ullo corde perfecte, ne apud christianos quidem, quia manet ex Adam in nobis versus contrarius huic, nempe: Odisti justitiam, et diligis iniquitatem. Et tamen si sumus christiani, vocamur nos quoque diligentes justitiam, propterea quod coepimus ex parte eam diligere, sed multo tamen magis, imo proprie, inde quod credimus in eum, qui vere diligit justitiam, et impietatem vere odit. Eousque pervenimus. Sed extra Christum nihil est, nisi diligere injustitiam, et non odisse impietatem. Quia manet in corde piorum etiam diffidentia, terror et fuga mortis, judicii ac irae Dei, non adest pura fides, quae vere Christo confidat, quanquam est in fieri, sed non est in facto esse.

Multo autem magis cernuntur haec, quod non adsit dilectio justitiae et odium impietatis, quando egredimur ad communem hominum vitam. Ibi da mihi regem aliquem, qui diligat justitiam. Omnes enim coguntur vel ambitione vel alia quadam vanitate ad administrationem justitiae, quin persequuntur plerumque justos,

et impios amplectuntur et fovent, ut aulae principum vere possint dici sedes et thronus diaboli, ubi tot sunt diaboli, quot fere aulici. Hoc igitur ibi est amare justitiam, sed tenere eam necessitate potius quam voluntate, et sunt rarissimi, qui propter ipsam justitiam velint esse reges, omnes autem diligunt impietatem, et oderunt justitiam. Sed in Christi regno, ibi est diligere justitiam per totum.

Accipiendum autem est nomen justitiae generalissime, ut sit justitia, credere in Jesum Christum, et diligere Deum ac proximum, hoc est, ut intelligatur simul de justitia fidei et operum, servire Deo, et proximo, in oeconomia et politia, et omnibus aliis officiis, quae mandat Deus. Haec justitia tam fidei quam operum administratur per sceptrum, et ipse eam diligit, er hat Lust dazu, nos omnes eam natura odimus, quia ego mallem Deum habere propitium sine fide, ex meo merito, et saepe mecum ea de re disputo, quod mihi videtur difficillimum esse, sic haerere in invisibilibus, et ea tanti facere, ut in iis laeter et consoler me, quae neque video neque audio, imo quae ratione dictante plane nihil sunt, et ut sinam me occidi, et omnia deseram, tantum ut Christum habeam. Qui autem non expertus est haec, putat facilem rem esse credere, sed ego saepe contra hanc justitiam murmuro, et diligo impietatem, hoc est, non credo, quod gratis sim Deo acceptus, sine ullo meo opere, et horreo a judicio divino, murmuro ac sum impatiens in flagello Dei, sic amo contraria Deo. Hoc autem non facit Christus, sed purissimo amore justitiam dilexit, et pro nobis ista omnia fecit, et nunc sedens in regno, cogitat nobis idem odium impietatis inserere, ut ipsius exemplo simus justi. Interim illa justitia per verbum quotidie inseritur, et tolerat nos Deus, ac propter Christum nos pro diligentibus justitiam habet.

Est igitur haec quoque nova differentia, qua regnum Christi differt a regnis mundi, ubi est odisse justitiam, etiam tum cum omnia optime succedunt. In regno autem Christi est vera dilectio justitiae, quia verbum est purum, quod nullius jocum patitur, sed docet purissimam fidem, et monet vitia fugienda esse. In doctrina igitur non relinquitur pulvisculus, quem non redarguamus et damnemus. Hoc autem leges et civilia judicia non faciunt, quae ingentes trabes vitiorum tolerant. Sed in nostra doctrina nihil manet irreprehensum, et etiamsi ea, quae reprehendimus, toleramus, tamen admonemus: Tu male agis, quod turbaris et obliviesceris interim Christi, sed tamen tolerabo tuam infirmitatem. Sic quanquam tolero peccata, non tamen justifico, sed emendo, atque hoc est regno Christi proprium.

Ubicunque igitur verbum est, ibi res sic geritur a Christo, quod odit impietatem, sicut eam tum odit, cum inter Judaeos viveret. Videmus enim, quam ubique insectetur pharisaeos amore justitiae et odio impietatis, alioqui enim non tradidissent Caiphae. Quo enim volunt sanctiores et puriores esse, eo magis eos contaminat et defoedat arguendis peccatis, quae ipsi non videbant, quia diligit justitiam, nec potest ferre impietatem, quam ipsi admiscuerunt omnibus operibus suis. Facit autem hoc tam diu, donec dicant: Samaritanus es, habes daemonium, et cruci eum affigi curent. Sic nos, si pateremur abominationes papae et rusticorum furta et libidinem nobilitatis, diligerent nos, sed quia libere omnia reprehendimus, ideo et acerbissime nos oderunt, et vitae nostrae insidiantur.

Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae, prae consortibus tuis.

Necessario hoc additum est, quia, quando incipimus et volumus justitiam diligere, tunc adest Satan, et va-

sic nos persequitur gladio, igni, aqua, et omnibus generibus cruciatuum, ac vere potat aceto et felle, sicut Christum in cruce. Praeterea mundus etiam extreme odit et persequitur nos, quia arguimus eum de peccato. Quodsi conniveremus ad peccata ejus, amaret nos, sicut Christus dicit: „Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia autem de mundo non estis, et ego elegi vos, ideo mundus vos odio habet," et quia constanter perseveratis in reprehendendis vitiis hominum, hoc mercedis inde habeatis, quod mundus vos persequitur, potat felle et aceto, donec tandem crucifigat. Sed quid Deus contra facit? Ille unget te oleo laetitiae, id est, consolabitur hinc, et eriget te contra mundum et omnia pericula. Tales multi alii loci sunt, ut psal. 15. [16.]: „Adimplebis me laetitia cum vultu tuo," et psal. 8.: „Gloria et honore coronasti eum," ubi significat retributam Christo aeternam gloriam pro cruce, quam propter dilectionem justitiae et odium iniquitatis sustinuit. Est igitur versus valde consolatorius, quod certi esse debemus de gloria secutura passionem nostram. Sic enim Petrus quoque haec duo conjungit 1. Petri 1.: „Spiritus Christi praenuncians eas, quae in Christo sunt, passiones et posteriores glorias." Quanquam autem etiam in hoc tempore instillat gaudium in cor nostrum, tamen cum revelabitur, ibi toti perfundemur gaudio.

Hebraismus est, quod appellat oleum justitiae. Is enim erat mos gentis, quod festis diebus vestiebantur splendidius et ungebantur etiam, sicut Christus indicat Matth. 6.: „Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes, sed unge caput tuum, et faciem tuam lava etc." In nostris moribus illa hodie non sunt, ipsi autem solebant tempore laetitiae ungi, et vocabant balsamum festivitatis, laetitiae, gloriae. Sed nos habemus non oleum balsami, quo inungatur corpus, sed oleum Spiritus

sancti, quem diffundit per cor, et erigit nos etiam in hac vita. Sic in evangeliis legimus, Christum aliquando exsultasse spiritu, et laetatum esse. Ea fuit unctio Spiritus sancti, de qua hic dicit. Post hanc vitam autem sic est unctus, ut nunquam in aeternum sit contristandus.

Non improbo, quod verterunt: „prae consortibus," ut significet excellentiam, quanquam etiam potest verti: propter consortes tuos. Utrum autem legas, magna consolatio est, quod dicit propheta, Christum sic esse laetificatum et gloriosum, ut habeat consortes, ut sceptrum illud rectum non pertineat ad eum solum, sed ut habeat consortes et socios, participes istius olei et laetitiae. Diligenter igitur est observandum, omnia, quae Christus habet, esse consociata et communicata cum suis consortibus, qui in ipsum credunt. Habent eandem dilectionem justitiae, idem odium iniquitatis, idem oleum laetitiae, sic tamen, ne nos aliquid in Christum conferamus, sed ut accipiamus omnia ab eo, sicut dicit textus: „De plenitudine ejus accepimus omnes." Sic igitur constituitur hoc caput, ut necesse sit habere membra et consortes, propter quos talis est et describitur. Est autem haec nostra consolatio, ne fingamus Christum otiosum esse regem, qui propter se tantum sit resuscitatus et glorificatus, sed discamus eum esse fontem justitiae et caput veritatis, vitae et omnium bonorum, et sic fontem, ut influere faciat vitam in eos, qui sunt morti destinati, ac justitiam in eos, qui sunt peccatis oppressi etc. Ideo textus dicit: „prae consortibus" vel: propter consortes, id est, participes, qui pertinent ad eum.

Est igitur haec insignis pictura regis nostri Jesu Christi, quod sedeat super thronum ad jus dicendum, ad exercendos christianos et sanctificandos, ut de die in diem magis crescant in fide et justitia operum, ut

magis purgentur a vitiis, ut concupiscentia minuatur, minuatur tristitia, desperatio etc., et haec omnia per sceptrum, sicut diserte addidit, quia fanatici spiritus rident verbum vocale et ministerium Spiritus sancti. Vos ne facite, sed sequimini auctoritatem Spiritus sancti, qui verbum glorioso titulo appellat sceptrum rectum. Est enim signum et vexillum, quod levavit in gentibus. Nam Christus non voluit palpari visibiliter a nobis. Ideo sceptrum suum dedit, in quod intendamus, quod audiamus, per quod Spiritus sanctus est efficax. Hoc sceptrum quando habemus, satis habemus, quia nihil vult dare per visibilem pompam et speciem regni, sed sceptrum suum offert, per quod nobis omnia sua bona confert. Jam accedet ad alias descriptiones personae.

Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

Dixi jam saepe esse descriptionem regis valde politicam, quomodo contra hostes suos pugnet et vincat, deinde quomodo judicet et administret jus suum domi apud suos, mortificans carnem et vivificans spiritum, ac faciens crescere de die in diem in cognitione sui, sicut Petrus inquit. Neque enim haec doctrina subito discitur, neque etiam speculative potest concipi, sed vult quotidiano usu et exercitio disci, in mediis tentationibus mundi, diaboli, carnis, in desperatione, in diffidentia, ac aliis infinitis monstris, ac sine his exercitiis non potest teneri. Falluntur igitur stulti homines, qui una et altera pagina sacrarum literarum perlecta, uno aliquo sermone audito putant se statim hanc doctrinam perdidicisse, cum tamen videant hoc non fieri in aliis levioribus artibus, ut statim magistri reddamur: multo minus in hac omnium maxima doctrina

fieri potest, ut ex corde fidamus Deo, et contemnamus omnia pericula mundi, mortis ac diaboli. Haec uno die disci non possunt, sed requiritur usus et exercitium ingens et singulare Dei donum. Nunc autem propheta etiam de vestitu et pompa domestica addet.

Hebraeus hic paulo aliter legit: Myrrha et aloe et kezia omnia vestimenta tua, cum procedis de eburneis palatiis. Videtis autem pergere poetam in ista allegoria regis temporalis vel mundani. In mundo enim ita est, et quidem necessario, ut singularibus ceremoniis, pompis, vestibus reges et principes fulgeant prae vulgo, et juste quidem, debent enim splendidius vestire ad differentiam reliquorum ordinum. Haec allegoria nobis valde utilis et necessaria est, quia contrarium in speciem videtur. Necesse igitur est sic pingi et ornari a Spiritu sancto hoc regnum allegorica pompa, ut fides consistere possit, etiamsi diversum appareat, quia si consulas tuos sensus, plane contrarium judicabunt. Ecclesia enim in mundo non est odor vitae, sed odor mortis, in mortem et ignominiam. Ibi non est lux, sed crux, infirmitas, desperatio, intus pavor, foris gladius, hic est ornatus, haec est facies ecclesiae, si speciem videas, nempe facies mortis et inferni, econtra mundi facies est paradisus gloriae et laetitiae. Deinde fama ecclesiae haec est, quod sint perturbatores et eversores rerumpublicarum et omnium honestarum rerum, seditiosi, haeretici, filii diaboli, ex medio inferno in mundum emissi.

Contra istas teterrimas facies et horrenda scandala opus est illa commendatione Spiritus sancti, quod ecclesia oleat myrrham et aloën et kezian, quia nimis conspuitur et blasphematur, et maledicitur hoc totum, quidquid est ecclesia. Ergo hic versus est mirabiliter spiritualis, quod dicit: Omnia vestimenta tua myrrha

etc. Sunt autem ignota nobis haec aromata. Quare nescio, an recte a nobis sint versa, certum tamen est ejusmodi esse, quae valent ad conservandas vestes et ad odorem vestium. Myrrham tantum utcunque habemus, vocant autem primam myrrham, quae sponte fluit, arbore non incisa, stacten, ea est mirabili virtute contra putrefactionem. Deinde etiam incidi solet arbor. De aloe dubitatur, propterea, quod in omnibus linguis vocabula rerum fere perierunt. De kezia autem nihil affirmare possum, dicunt eam casiam esse, sed ea nobis ignota est. Sufficiet igitur manere in genere generalissimo, quod sint aromata, quae valent ad unguenta corporum et vestium, sicut balsamum, quod hic omissum est, miror.

Summa igitur est: Reges cum incedunt in pompa, habent illum luxum, et merito quidem, quod incedunt vestiti splendidis et bene odoratis vestibus, perfusis pretiosissimo unguento, sicut apud nos quidam utuntur aqua rosacea aut spicae. Sed illae regiones abundant optimis odoribus, sicut in Mose praecipitur de unguento conficiendo, item de pulvere, quibus utantur in templo, et prohibitum erat in privatos usus id conficere. Ungebant autem isto unguento vestes sacerdotum, sicut in psalm.: „Sicut unguentum, quod descendit in oram vestimenti ejus." Nos quia non habemus in nostris moribus hanc consuetudinem, cum audimus nomen unguenti, cogitamus de unguentis chirurgorum, sed significat nobilissimos liquores, ut est balsamum, et apud nos aqua rosarum, spicae etc., quibus usi sunt in solennitatibus, ut, quacunque incederet sacerdos magnus, suavissimo odore omnia perfunderet, sicut legimus de Christo, cum effudisset muliercula in caput ejus pretiosam nardum, quod tota domus est impleta odore suavissimo, Johann. 12. Atque hic fere totius orientis

mos fuit, quod in pompis et solennitatibus unguentis sunt usi, quibus vestes et utensilia perfuderunt. Nos magis amamus in pompis ornatum ex auro et serico, quare ad illorum mores respiciendum est. Summa ergo hujus loci est, quod rex Christus debet procedere in sua pompa domestica, nobilissimis unguentis perfusus, ut, quacunque incedit, suavissimo odore omnia impleat.

Cum procedis de palatiis eburneis in tuo ornatu.

Est descriptio regiae pompae, ubi cernitur corona, vestitus splendidus, et habitationes amoenissimae et pulcherrimae, ex ebore factae. Talis, inquit, est etiam nostri regis Christi pompa. Sed hic requiritur fides, sine qua non potest statui Christi regnum tale esse. Ergo applicemus allegoriam mundanae pompae, odorum et palatiorum.

Vestes in scriptura dicuntur ornamenta virtutum Spiritus sancti, quod sumus induti variis donis, sicut est 1. Cor. 12. Roma. 12. Aliis datur sermo sapientiae, aliis aliud donum. Dona enim et operationes sunt diversissimae, Spiritus autem idem, sicut clare Paulus docet. Procedunt autem haec dona, postquam baptisati sumus, et loti a peccatis nostris, per fidem justificantem. Tunc ornat Deus sponsam suam, et induit eam hoc vestitu, hoc est, fidem sequuntur dona ista docendi, orandi, erigendi, regendi, gubernandi, et si qua alia ad ecclesiam pertinent.

Haec dona optimum odorem spargunt, id est, christiani fiunt celebres, sic, quod vicinae gentes audiunt hanc sapientiam, et admirantur hanc lucem veritatis, ac laetantur, sicut Paulus odor vitae fuit piis, alios enim, quibus odor mortis fuit, eos non curemus. Est enim docendum et judicandum, non secundum quod mundus judicat, sed Deus. Quid igitur ad me,

quod rustici ac nobiles me contemnunt, et nostra dona vituperant? Erit cum ipsi quoque sordebunt. Non enim est pendendum e judicio mundi aut carnis, imo ne ex nostri quidem cordis judicio de nobis pendendum est, sed sic est dicendum: Si sum indignus peccator, sicut cor mihi dictat, non volo hac in parte credere cordi meo. Neque enim res illa pendet ex meo arbitrio aut judicio, sed inde pendet, quod Jesus Christus est rex, ejus baptismum habeo, in illum credo, in ipso etiam vivam et moriar. Quae autem fiunt, haec omnia fiunt ex verbo ejus, et non ex corde meo, in quo sunt exigua, et sordent, et coram filiis hominum sunt haeretica. Sed ego non curo, quid mundus dicat, sed quid christiani, quid ecclesia, quid angeli, quid ipse Deus de me dicat, ac pluris facio unius christiani testimonium, quod doctrina mea et vita quoque sit laudata, quam si quatuor mundi in me crimina fingant. Nam ratio quoque sic judicat, quod sit virtus odio haberi a malis, econtra, quod laus est placuisse bonis. Nullum majus convitium est, quam si quis malus homo me laudet.

Ergo non est spectandum, quid mundus aut etiam nostra conscientia de nobis judicet, sed quid Deus, angeli et sancti ejus de me judicent: ibi est verus odor et gloria. Jam hoc certum est (furiat mundus quantum velit), primum quod sum baptisatus, deinde quod habeo etiam evangelion, hic auditur vox ecclesiae. Video vitam quoque utcunque imitantem hoc verbum, quanquam non perfecte imitetur. Audio quoque fratres posse consolari, judicare de omni doctrina, vita, moribus, et quidquid in mundo est. Hoc nec jurista nec medicus nec artista nec ullus homo sapiens facit, ut possit de suo vitae genere judicare, quale sit coram Deo, solus autem christianus certo statuit:

Ista vita placet Deo, ista non. Haec sapientia tantus thesaurus est, qui nullo pretio potest aestimari, ac si nihil aliud boni haberet haec doctrina, quam quod conscientias certas facit, magistratum et juristas et alias professiones esse in bono statu, tamen mundi opes hoc unum beneficium non possent pensare. Nullus enim fuit ante hanc doctrinam, qui potuisset affirmare certo de suo vitae genere et politia, quod Deo placeret. Quid igitur est sapientia mundi, cum ipsa nesciat de se judicare, quid sit? Haec autem minima virtus verbi est, scire: hoc genus vitae placet Deo, illud non, et tamen est infiniti odoris. Fruuntur autem eo reges et principes pro suo commodo, et vertunt contra evangelion, sicut juristae etiam faciunt. Fiet autem ut, sicut ipsi pro hoc beneficio Dei gratias agunt, ita quoque ferant dignum praemium hujus ingratitudinis.

Sed majora sunt illa beneficia, posse erigere hac doctrina conscientias, et hominem perterrefactum consolari. Hoc beneficium majus est quam decem regna possidere. Neque enim possunt illa uno momento redimere conscientiam ex periculo unius venialis peccati, taceo de mortali peccato. Christianus autem potest, qui certo potest affirmare, hoc placere Deo, si credamus eum nobis gratis per Christum ignoscere. Sic de remissione peccatorum, de vita aeterna promittenda, de claudendo inferno, et aperiendo coelo, de commutanda morte cum vita solus christianus potest docere, quia habet verbum Dei, ex quo ista omnia veniunt, quanquam viluerunt ista assiduitate et copia, quod verba facile imitari omnes possunt, quod omnium est pessimum. Hinc enim fit, quod cognitio Christi obscuratur, ac perit aestimatio atque pretium hujus doctrinae, et vilescit in cordibus nostris misericordia et

beneficentia Christi, quod obliviscimur et beneficiorum, quae per Christum habemus, et malorum, ex quibus sumus erepti.

Deus autem praecipit Judaeis, ne obliviscantur bonorum ac malorum. Oblivio enim malorum facit, ut beneficia quoque excidant. Sic nunc, quia obliti sumus, in quantis infernis (ut sic dicam) sub papatu vixerimus, ideo obscuratur in oculis nostris beneficium evangelii, nec cernitur, quanta res sit, unam conscientiam laborantem solide confirmare, consolari, docere, mortem commutare in vitam, peccatum in justitiam, Satanam in Deum. Haec bona nos negligimus, at Spiritus sanctus libenter vellet ea amplificari. Ideo praedicat odorem vestium Christi, quod spirent ejus vestes odorem vitae, ut omnis, qui audit evangelion, veram consolationem animo concipiat, ac quando adest afflicta conscientia, quae cum peccato et morte luctatur, quid jucundius audire potest illo odore vestium, ut audias fratrem, qui expedite et solide erigat ac consoletur? Qui autem securi sunt, illi non curant, his est odor in mortem, quod aliis est odor in vitam.

Sic sanctus Paulus et reliqui apostoli sunt etiam pars hujus vestis, et spargunt odorem in totum orbem terrarum, quo reficiuntur pia corda. Alii offenduntur eo, et dicunt esse stercus diaboli, sicut adversarii nostri accusant doctrinam nostram, quod nihil boni pariat, sed sit inventum diaboli. Sic Judaei de Paulo dicebant: Quid praedicat boni? nempe hoc, quod lex non sit servanda, et: „Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem seditiones omnibus Judaeis in universo orbe.“ Act. 24. Sic apostolos quoque seditiosos mentiti sunt, sicut nos hodie, et vocarunt eversores rerumpublicarum ac regnorum, et qui concedant licentiam omnibus malis. Quid faciemus? Perduran-

dum est, et erunt sibi ipsis prophetae, ut vere simus ipsis perturbatores et eversores regnorum, non effective, sed per ἀντιπαρίστασιν. Quoniam enim ipsi verbum, quod nos docemus, persequuntur, fiet, ut impingant et sibi ipsis accersent judicium, ut pereant, sicut Judaeis quoque accidit cum Christo. Nam illi quoque idem prophetabant, quod nostri adversarii hodie: „Si patiemur eum diutius, venient (inquit Caiphas) Romani et tollent nostrum regnum et gentem." Johann. 11. Volunt igitur id cavere, crucifigunt Christum, crucifixo autem Christo, cum putarent se probe constabilivisse regnum, veniebant Romani et tollebant locum et gentem.

Sic nunc de nobis cogitant, nobis sublatis Germaniam pacatam fore, et eo ipso, quo praecavere suum exitium volent, diversum accidet, ut ipsi pereant. Nos enim hodie sumus conservatores regnorum, rerumpublicarum, legum, et quidquid est boni creatum a Deo, hoc totum retinemus et sustinemus nos, qui docemus verbum Dei. Nemo est, qui sic ornavit conjugium et magistratum, sicut nos. Hoc vident et inviti coguntur fateri, et tamen vocant perturbatores. Fiet igitur, ut vere simus eis perturbatores, et eversores omnium rerum, et sicut Christus Judaeorum regnum, Paulus Romanorum regnum evertit, ita nos Germaniam et papam evertemus. Quia enim vocant verbum, quod ista omnia conservat, verbum perturbationis, ideo dicit Christus: Fiat tibi, sicut dicis, quia me talem esse putas, ero talis, non mea aut verbi culpa, sed tuo furore et pertinacia, ea te evertet.

Nihil igitur moveat nos, quod conspurcant blasphemiis et falsis criminibus nostra optima dona et divinam sapientiam, ex qua habent salutem et pacem. Non enim potest aliter fieri, quin coram mundo male oleat, sed

coram nobis, qui credimus, est tanquam vestis perfusa myrrha et balsamo, est suavissimus odor, quo nihil in mundo est jucundius, et mundus quoque sentit et fruitur eo, quanquam damnet. Principes, qui nobis adversantur, non auderent ea, quae hodie audent, nisi ex nobis didicissent, nosque magistratum tam magnifice decorassemus. Ac sane Munzerus, anabaptistae, sacramentarii jam dudum majores dedissent turbas, neque resisti eis potuisset, nisi verbum obstitisset.

Tota igitur defensio et religionis contra haereticos, et politiae contra seditiosos ex verbo est, quod illa omnia servat. Quodsi nullum finem injuriarum et blasphemiarum facient, et conservatorem suum pedibus conculcare pergent, cum verbum sublatum fuerit, non diu durabit eorum dominium, sicut Judaeis accidit, qui, cum Christus et Paulus, quos eversores judaismi vocabant, viverent, bene habebant, sublatis autem iis veniebant salvatores et conservatores judaismi Vespasianus et Romani, ii salvabant eos, sicut adhuc hodie videmus. Tales salvatores nostri adversarii quoque habere volunt, et contingent eis. Hoc est, quod hoc loco propheta dicit, Christum habere optimum odorem, sed solum apud pios. Loquitur enim de donis Christi, quae per Spiritum sanctum per totam ecclesiam diffundit. Divisio enim donorum est per Spiritum sanctum. Unus autem est Spiritus.

Cum procedis de palatiis eburneis.

Est haec quoque pulchra allegoria, et facilis intellectu, nisi quod oculos nostros spirituales vult aperire, ut ecclesiam sic intueamur, sicut vestes, quia in speciem nihil vilius, nihil contemtius est. Pauper aliquis pastor animarum contemtissimus homo est, adeo ut nullus rusticus sit, qui eum non putet quasi lutum esse, quod pedibus proculcandum sit, sicut faciunt quoque.

Contra hanc speciem munit nos Spiritus sanctus, et docet, ut aliter, quam mundus solet, de eis judicemus, et dicamus: Si iste habet verbum Dei, si docet Christum, tunc est nobilis et pretiosa gemma, est adamas aut smaragdus quidam in oculis Dei, quia verbum Dei est inaestimabile donum, quod Deus sic aestimat et ponderat, ut coelum et terram, solem, lunam ac stellas prae verbo pro nihilo habeat. Nam per verbum illa omnia creata sunt et creantur.

Pastor igitur, qui habet verbum, est ornatior quam sol et stellae, sicut Daniel etiam vocat Dani. 12.: „Qui erudiunt ad justitiam, fulgebunt sicut stellae." Hoc verum est in oculis Dei et sanctorum angelorum et sanctorum hominum. Et s. Johannes baptista, Petrus, Paulus dicunt eum pulchriorem esse omnibus stellis, sed mundus contemnit tanquam hominem nihili. Hic igitur aperiendus est oculus spiritualis, et dicendum ad tales contemtores: Tu es unus porcus, quodsi me devoras, sum devoratus, sed tamen quia credo in Jesum Christum, habeo, qui me vindicabit in gloriam. Mea enim gloria et vestes sunt in domino, qui vocatur Christus. Si igitur me contemnis, nec dignaris adspicere, sit sane, non curo, gratius mihi est, si me uno momento Gabriel angelus laeto vultu inspiciat, quam si me decem reges ferant in oculis et exosculentur. Jam vero non solum inspicit me Gabriel et angeli reliqui ut gemmam pretiosam, propterea quod verbum Dei doceo, sed laudant etiam et mirantur, hoc mihi satis est.

Hoc vocat palatia eburnea. Nominat enim Spiritus sanctus nobilissimam materiam. Ebur enim notum est, quod sit solidum, candidum et perpetuum. Quare aedificia ex ebore sine dubio sunt pulcherrima et praestantissima. Saepe autem alibi fit mentio aedificiorum ex ebore. Quod si non fuit solidum ebur, fuit tamen

alia materia pretiosa, ut per metaphoram dicatur eburnea domus. Dicit igitur: Noster rex Christus habet palatia facta non ex luto, ligno, stipula, sicut apud nos aedificatur, sed ex ebore. Quis autem est, qui credat, quod ecclesia Vuittebergensis, Kembergensis, et aliae, ubi est baptismus et verbum, sit in oculis Dei palatium eburneum? Et tamen vere sic est, quia baptismus non est inanis, sic nec verbum, nec gubernatio ecclesiae, nec consolatio afflictorum est inanis. Quodsi speciem consideres, quid hic Vuittenbergae pretiosi vides? Nihil vides de ecclesia speciosum, est vere lutea civitas, et tamen est palatium eburneum Christi. Sic vilissimus pagus etiam est palatium eburneum, in quo est pastor et credentes aliqui. Sed ut hoc videas, aliis oculis quam oculis carnis opus est. Nam pretium hoc non aestimatur ex specie aut judicio quinque sensuum et rationis, non ex legibus, non ex artibus aut philosophia, sed ex verbo Dei, quod ibi est verbum, baptismus, eucharistia, gubernatio divina, consolatio conscientiarum, timor Dei, fiducia in Deum, patientia Dei, imitatio Christi etc. Haec sunt inspicienda, quae cum vides alicubi, nihil te nec species nec aliae res moveant, sed simpliciter conclude: Hic est Christus in palatiis eburneis, hic habitat Christus. Hoc regnum, quanquam in speciem nihil sit, tamen in oculis Dei est jucundissimum.

Ergo haec allegorica omnia eo scribuntur a Spiritu sancto, ut aperiat nobis oculos spirituales contra illa scandala ecclesiae, ut discamus nostra dona inspicere et magnifacere. In hoc enim datur Spiritus sanctus, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis 1. Cor. 2. Dona enim Dei adsunt, sed majus donum est, ea scire et agnoscere, sicut de quodam scribitur, qui cum forte incidisset in baptismum pueri, et audisset grandia illa

verba, quae in baptismo recitantur, admiratus eorum vim: Si scirem, me quoque talibus verbis baptisatum esse, nunquam vellem mihi metuere a diabolo. Et est verum; dona adsunt, audimus verbum, videmus baptismum, item gubernationem ecclesiae et discrimen ecclesiae, quomodo defendatur contra hostes, quomodo vincat diabolum et maneat contra eum invicta, haec dona adsunt, sed beatus qui intelligit. Nam si ego possem aestimare pro dignitate baptismum meum, ministerium et vocationem meam in verbo, item, opera mea, quae sunt in Christo, tunc nulla tanta res, periculum nullum incidere posset, quod non contemnerem forti et laeto animo.

Est igitur donum super donum, habere verbum et Christum, sed cognoscere etiam et quasi in speculo illa dona intueri perinde esset, ac si homo resurrexisset ac esset in paradiso et meliore vita, quam Adam fuit in paradiso. Sed diabolus non permittit, ut ea perfecte videamus. Cum igitur rustici aut nobiles tam ingrati sunt in verbum et ministros, commovemur et indignamur, et tam afficimur, ut prae iis obliviscamur donorum nostrorum, cum contra sic deberemus dicere: Was ists umb ein Sack voll zorniger Fursten, Konig, Turkisch Kaiser, ja umb ein Sack voll Teufel? Quid est, etiamsi male propitii nobis sint principes, et reges furiant? quid est persecutio, si huc spectes, quod Christus est tuus? qui est filius Dei, cujus verbum et baptismum habemus et videmus, item, si spectes fructus et effectus verbi, consolationem conscientiarum, claves Christi, quibus possis aperire coelum et claudere infernum. Sed opus est Spiritu sancto, ut haec dona sic videas, et hic psalmus id facit, ut pingat nobis ob oculos magnitudinem rei et inaestimabilia dona ista. Ad hunc igitur modum Vuittebergа et omnes aliae ec-

clesiae sunt arces et palatia amoenissima, in quibus habitat et regnat Christus.

Ex quibus delectaverunt te.

Hebraeus conjungit hoc membrum cum superioribus: Cum procedis de eburneis palatiis, quae laetificant te, id est, odor ille et palatia exhilarant et delectant te et homines, sed in oculis apertis et spiritualibus. Sed secundum judicium mundi et speciem contrarium est. Verum ibi ecclesia dicitur turba mendicorum, ita ut nullum infelicius stabulum sit quam ecclesia. Sic in oculis adversariorum nostrorum nulla colluvies latronum sic mala est ac nostra ecclesia Vuittebergensis, quam si funditus delere possent, putarent se officium Deo praestare. Beatus igitur est, qui intelligit. Nam qui ecclesiam, pastorem, fratrem sic potest intueri, quod sit baptisatus et habeat dona evangelii et fidei, is coelum et paradisum intuetur. Huc igitur fige oculos, et disce ista cognoscere et magnifacere, alia autem omnia prae his contemne, ut dicas: Potentia mundi, aurum, argentum, pompa, imo ipsa vita sunt merae sordes prae his donis, ut ista, quae mundus maxima et pretiosissima esse judicat, tu pro vilissimo et contemtissimo habeas.

Haec igitur est allegoria ista et commendatio regis nostri, a sapientia, potentia, felicitate, fortuna, victoriis et omnibus virtutibus regni, et quidem regni aeterni, tam pacis quam belli tempore. Sequitur jam fere ultima particula hujus pompae, de regina. Decet enim, ut talis rex, qui habet tantam potentiam et gloriam, tantum palatiorum et opum, habeat etiam reginam, et generet filios, ne sit solitarius. Usque ad finem igitur aget de foecunditate et multitudine prolis. Ideo addit ei duas reginas uxores, alteram Judaeorum, alteram gentium ecclesiam, et describit sobolem valde

magnifice, et sicut hactenus regem pulchre instruxit armis, potentia et pompis, ita reginam quoque producit, quae habeat filios et filias, quod est maximum donum et benedictio divina. Nam sterilitas in lege maledicta fuit, et Deus singulari consilio in principio creavit hominem ad procreationem, cum dicit: „Non est bonum hominem esse solum etc." Visum igitur est in oculis majestatis egregium donum, multiplicare genus humanum. Ideo non procreavit hominem sine adhibito consilio, sicut ceteras bestias, sed dicit scriptura, Deum secum deliberasse, et addidisse conjugem, ut multiplicaretur homo, et esset benedictus in generatione.

Filiae regum in honore tuo, stat regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Sic disponit versum Hebraeus, nec est „deaurato" sed: de solido et nobilissimo auro ex Ophir. Sic pingit hic sponsam, nuptias et gynaeceum. Pertinet enim ad nuptias, quod dicit, filias regum invitatas adesse, et omnes incedere in ornatu regis, in des Koniges Farbe, hoc enim significat Hebraeis vocabulum honor. Accipio autem filias regum simpliciter ad literam, quia evangelion non tantum vocat faeces hominum, sicut I. ad Cor. I. est, sed etiam nobiles et capita mundi, et quanquam non multi potentes evangelio credant, tamen non soli pauperes et viles homines, sed etiam aliquot principes vocantur, et veniunt ad fidem. Neque divites et potentes omnes sunt diaboli, sed habet Deus partem quoque ex principibus. Accipimus igitur filias regum ad literam, reginas conversas ad hunc regem. Sumta autem est allegoria ab aula Salomonis, qui habuit in gynaeceo suo filias finitimorum regum Ammon, Moab etc., quae etiam subverterunt tandem ejus cor. Bonus enim princeps nimis familiaris eis erat.

Quodsi quis magis probat allegoriam, potest eam sequi, quod infimae conditionis homines vocet reginas, qui coronas habent in capite, sicut in apo. pingitur ecclesia, ut quaeque anima sit filia regis, quia corona est fides in Christum Jesum. Citharae in manibus sunt praedicatio, qua Christus per totam ecclesiam praedicatur, ut omnis praedicator sit citharoedus Dei. Sic habent thymiamata, id est, orationem. Haec enim duo sunt principalia in ecclesia, praedicatio et oratio, quae sunt nostra sacrificia et officia, quae proprie ad Deum pertinent, et quibus sacerdotes efficimur. Sic possem reginas allegorice accipere, sed nolo, simpliciter accipio sicut sonat, quod etiam reges sint inclinati et submittant cervices suas jugo evangelii, ut sic loquar, quanquam proprie loquendo non sit jugum. Nam multi divites et nobiles adhaeserunt Christo, item nobiles quaedam foeminae, quae saepe sunt ardentiores viris, sicut s. Anastasia, quae una videtur habuisse centum corda. Quanquam enim natura sit infirmior sexus, tamen accensus Spiritu aliquando facit mirabilia. Sic Maria Magdalena fortiore animo erat, quam Petrus. Sententia igitur est: Christi regnum tam erit amplum et magnificum, ut etiam regum filiae convertendae sint ad fidem.

In honore tuo.

Est vis in his vocabulis, quasi dicat: Relinquent suum ornatum et honorem, non gloriabuntur in suis principalibus vestibus, sed induentur novo auro et vestitu, nempe coelesti ac christiano. Per antithesin igitur est accipiendum „tuo“, quasi dicat: non suo. Quae autem sunt Christi vestes? cum non habeat, quo reclinet caput suum, et in tota terra ne quidem pedis spatium habeat, quod posset dicere suum esse, in quo mori posset, sed sublimis in aere moritur,

Ergo est alius ornatus quam mundi, nempe corona fidei, qua caput christianorum ornatum est, velut pulcherrimo auro, deinde quoque caritate, spe, patientia et aliis donis Spiritus sancti. Hae sunt vestes Christi, in quibus incedunt etiam filiae regum, ornatae per fidem, habentes judicium de omnibus rebus, imo habentes quoque ipsum Deum et gemmas ipsius.

Allegorice quoque possunt accipi filiae regum pro ecclesiis vel qualibet particulari anima. Sed ego vito allegorias, quia non est tuta interpretatio per allegorias, sed plerumque abstrahit a veritate et simplicitate fidei. Haec de puellis et gynaeçeo dixit, pulcherrime exornatis fide, Christo, Spiritu sancto, et omnibus ejus donis. Jam sponsam quoque producit.

Stat regina a dextris tuis in vestitu aureo etc.

Reginam vocat sponsam, uxorem, illa stat in toto quasi auro. Haec sponsa est ecclesia et totum corpus, praesertim quod sumtum est ex synagoga, quia Paulus et reliqui apostoli multas civitates et gentes converterunt, inter quas etiam principes et reges fuerunt. Sic Sergius conversus est. Sed una est sponsa, collecta ex omnibus istis membris regum, principum, infirmorum, pauperum, virginum, conjugum, et ex his omnibus fit una sponsa, ecclesia. Sunt autem vulgata illa, quod Christus sit sponsus et ecclesia sponsa, sicut Ephe. 5. et aliis locis. Per baptismum enim et verbum evangelii vocat eam, ac ornat et induit eam misericordia, gratia, remissione peccatorum. Hoc est quod dicit: „A dextris stat.“ Est magnifica commendatio et etiam sic decet, ut nemo sponso propior sit, quam ipsa sponsa. Est igitur hoc summum, quod ecclesia habet omnia, quae sunt Christi, et est factum unum corpus ex utroque, ut, quae sunt ecclesiae, sint

Christi, et econtra, quae Christi sunt, sint ecclesiae. Sunt autem haec majora, quam ut humana oratione possint explicari, aut etiam a corde nostro comprehendi.

Sunt tamen adumbrata tenuiter in matrimonio, ubi summus sponsi erga sponsam amor est, una fides, unum corpus et unus animus. Inter Christum autem et ecclesiam res vera est, cum in matrimonio corporali tantum sunt spectacula et figurae istarum spiritualium nuptiarum, ubi Christus sponsus est, et omnia, quae habet, donat ecclesiae. Haec igitur est ecclesiae superbia, quod gloriamur non in nostra sapientia et justitia, sed in justitia et sapientia sponsi nostri Christi, et in omnibus, quae ipse habet. Quia in corporali matrimonio, quando conjunguntur masculus et foemina, fit unum corpus, communia bona, liberi communes et omnia, uxor aeque est domina super res mariti, ac ipse maritus, et nihil differt a marito, nisi quod maritus est dominus uxoris: sed respectu aliorum, qui non sunt mariti, est uxor domina omnium, sicut maritus. Sic ecclesia agnoscit Christum dominum, et respectu aliorum hominum dicit de omnibus donis sponsi sui: Haec mea sunt. Quodsi obstrepit peccatum, apprehendit Christi sui sponsi justitiam, et dicit: Habeo justitiam sponsi, illa mea est, tu igitur tace. Similiter cum oggannit diabolus et vult terrere, hic vertit vultum ad sponsum, et dicit diabolo: Si tu in me invenis peccatum, in Christo, qui meus est, nulla peccata invenis, mitte igitur me. Sic cum tristitia vexat, dicit: In sponso meo est vita, gratia, pax, gaudium, salus, haec mea sunt, quia Christus est meus, cur igitur me terres? Sic est simpliciter domina et regina potentissima supra mortem, peccatum, terrores, et omnia, quae sunt diaboli, et possidet plenissimo jure in Christo vitam, justitiam, gratiam et salutem tanquam regina.

Sed quia haec vulgata sunt, Christum esse sponsum ecclesiae, ideo etiam contemnuntur, et accidit ut episcopi, pontifices, sacerdotes se sponsos ecclesiae appellarint, quod tamen ne quidem Johannes baptista de se dicere ausus est, sed solum amicum sponsi se appellat. Ergo papa et episcopi, etiamsi pii sint, tamen non sunt sponsi, sed tantum amici et ministri sponsi. Nam unus est sponsus Jesus Christus, qui huic sponsae dat omnia. Diabolus igitur illas appellationes papae et episcoporum invexit, ut obscuraret nobis haec dulcissima verba. Quae quia sunt in omnium ore et assiduo usu, ideo negliguntur. Sed si bene observarentur et urgerentur cogitando, dicendo et credendo, tunc afferrent summam consolationem, quia remissio peccatorum et totus thesaurus divinae misericordiae non potuit magnificentius pingi et ostendi, quam quod ecclesia dicitur sponsa Christi, quia ex hac pictura sequitur, quod sponsa habet omnia, quae sunt Christi. Quid autem habet Christus? nempe aeternam justitiam, sapientiam, potentiam, veritatem, vitam, laetitiam, gratiam; ecclesia igitur est domina et regina misericordiae, vitae, salutis et omnium.

Quae igitur de beata Maria virgine in templis cecinerint, ea de ecclesia rectius canerentur, et cani debebant, quod ecclesia dominatur morti, peccato, inferno, diabolo, omnibus terroribus et malis, quae sunt in daemonibus et hominibus, non suis virtutibus aut meritis, sed sponsi Christi, qui omnia haec pulcherrima ornamenta collo ejus circumdedit, qui conculcavit pro ea mortem, largitus est ei vitam, ac sanguine suo redemit eam ab omnibus periculis. A sponso igitur omnia illa habet, et dicit jure ad haereticos: Mea est sapientia, ad gentes: Mea est justitia, ad Judaeos: Meus est cultus et religio, ad mortem: Mea est vita,

ad peccatum: Mea est remissio peccatorum, ad legem: Mea est libertas, ad terrores: Mea est pax et laetitia, non per me ipsam aut meis viribus, sed per Jesum Christum sponsum meum. Haec est illa pulcherrima commutatio, ut illa misera ecclesia in oculis hominum, tam sit ornata in oculis Dei.

Nam si speciem spectes, nullus est haereticus, qui non eam vincat sapientia, nullus tam infirmus diabolus, qui eam non superet viribus, nullum tam exiguum peccatum, quod non eam turbet et ad tristitiam compellat. Sic terretur morte et aliis malis, ut videatur secundum speciem diaboli esse sponsa, quae nihil commune cum Christo habeat, sed ab eo sit deserta. Est igitur assuescendum, ut paremus nobis habitum et levemus corda sursum, nec judicemus secundum id quod sentimus. Hoc enim si facimus, perimus, quia sentimus in nobis adhuc multum peccatorum ac terrorum in carne et sagittarum diaboli. Ego saepe irascor, saepe sum negligens in docendo et orando, haec cum video, perturbor.

Verum non est judicandum secundum judicium nostrum de nobis ipsis. Ratio enim sic concludit, quod quicunque habet peccatum, est odibilis Deo. Ego habeo peccatum, ergo ego sum odibilis Deo, ac timeo Deum iratum. Tu dicas: Non sic, sed aperi oculos et supera peccatum et sensum peccati, et dic: Sive sit in me peccatum sive non, nihil curo, sive adsit sensus mortis, sive non adsit. Altius est adscendendum, nempe ad sponsum meum, per fidem in verbum ejus, et dicendum: Si adest peccatum, nihil moror, est enim mihi prohibitum, ut vel de me secundum sensum meum vel de ecclesia secundum speciem externam judicem, sed est praeceptum, ut judicem secundum verbum promissionis. Evangelium autem aliud dicit et

manet, quam sensus meus, nempe quod sit unus, in quo non est peccatum, nec dolus in lingua ejus, qui vicit in se mortem, mundum et peccatum, qui dicit: „Confidite, ego vici mundum," „peccatum vobis ultra non dominabitur," et si qua sunt similia in sacris literis. Hunc unum scio, et hoc etiam scio, quod est sponsus factus, et communicavit sponsae suae ecclesiae omnia, quae habet. Ejus ecclesiae ego sum pars. Habeo enim certa symbola et signa, nempe baptismum, evangelion, eucharistiam, quae testantur me esse membrum Christi etc.

Haec est magna consolatio et cognitio, quae non tam cito intelligitur quam vellem. Nam si eam plene complecti possemus, nunquam sensum aliquem vel mortis vel peccati sentiremus. Defectus autem, quod non plene haec intelligimus, facit, ut nos vexet conscientia, perturbent pericula, perterrefaciat cogitatio mortis et afflictiones. Hic defectus est in apprehensione nostra, non est in Christo. Sicut autem, qui in medio flumine mersus forte apprehendit ramum arboris, quo se quamvis aegre sustentat, ne pereat, ita nos quoque in mediis peccatis, morte, turbationibus apprehendimus Christum infirma fide, ea tamen fides quantulacunque sit, tamen servat nos, et dominatur morti, ac conculcat diabolum et omnia.

Sunt ergo magna verba et inaestimabilia, quando audis Jesum Christum esse sponsum, et ecclesiam esse sponsam, imo sunt coelestia et infinita verba, quae nullius hominis corde capiuntur, nec unquam perdisci possunt. Qui igitur gloriantur se haec nosse, illis dic, quod tantum sonum quendam hujus doctrinae audiverint, et quasi procul fumum viderint, rem autem plane ignorent. *Dico* autem *haec* ideo, ut vos excitem ad illa verba Spiritus sancti ponderanda, quae in nostram consolationem loquitur, ut discamus ea magnifice

dilatare. Nemo enim est, qui in hac parte nimis audere possit, et Christum nimis fortiter amplecti, nihil hic est nimium. Apprehende quantum potes, et tamen videbis te deficere, nec posse tantum fidere in hunc sponsum, quantum ipse exigit et nobis opus erat. Adsunt enim Satan, peccatum, caro, sanguis, ratio nostra, ea repugnant huic apprehensioni, et tamen si apprehendis, sive parum sive multum, habes sponsum, et per eum vitam et salutem.

Facies igitur ecclesiae est facies peccatricis, vexatae, desertae, morientis et contristatae. Quidquid enim totus Satan est et habet, hoc ecclesia patitur. Sic igitur haec distinguenda sunt, quod ecclesia cum reliqua parte, quae adhuc superest, hoc est, cum carne, fluctuat in his malis, sed corde regnat et triumphat in Christo, ut Paulus dicit Ephe. 2.: „Consedere nos fecit in coelestibus cum Christo etc., conresuscitavit, convivificavit.“ Per quid? Per fidem. In vocabulo igitur sponsi comprehenditur infinita misericordia et inaestimabilis gratia, qua sumus participes omnium rerum sponsi. Sicut igitur materfamilias in domo se gerit erga illos, qui non sunt mariti, sic christianus, gerere se debet erga omne, quod non est Christus, quia scit se esse dominum super peccatum, mortem, et omnia mala diaboli, non per cucullum aut alia opera ac ne quidem per legem Dei, sed per suum sponsum Christum, in quo fide haeret.

Haec discenda sunt, ut gloriam nostram exaltemus, et sciamus dona nostra amplificare et dilatare, ut sol et luna prae nostris donis vilescant, et Satan cum omnibus caedibus et terroribus rideatur. Amara quidem est mors, amarae aliae calamitates et afflictiones, sed nihil ad Christum, in cujus comparatione sunt sicut una gutta aquae ad mare vel potius ad incendium

extremi diei comparata, ut sic magnificetur Christus in cordibus nostris et ore nostro, ut discamus apprehendere infinitum et inenarrabile nostrum donum, quod quanquam nullius oratione digne potest dici, tamen assuescendum est, ut de eo multum loquamur, idque quantum possimus amplificemus. Neque enim est superbia dicere ad peccatum: Fuge hinc, ad diabolum: Sine me. Sum enim dominus tuus, quia Christus est dominus, cum hoc sum consuscitatus et collocatus cum eo in coelestibus. Regno igitur, et debeo exercere regnum, ut assuescam.

Haec dicere, inquam, non est superbia, sed vendica tibi omnia, quae sunt Christi, et assuefac te ad jus tuum possidendum, et videbis, quam sit difficile. Sumus enim re vera reges super ista mala, et domini omnium bonorum, quae sunt in Christo, ac gestamus omnes aureas coronas, sed fide, quae fides cum specie diversa luctatur. Nihil igitur est hac superbia spirituali difficilius, quae est in Christo, atque utinam hanc superbiam perfecte discere et exercere possimus, ut dicamus ad Satanam: Quid mihi facere potes cum omnibus peccatis, cum morte et omnibus malis? Apud sapientes mundi es aliquid, apud Turcam, papam, principes es magnus dominus, sed mihi collatus es unum nihil, mihi, inquam, non in quantum sum persona, sed in quantum sum baptisatus et credo in Christum. Et sic superbimus et gloriamur etiam in tribulatione, sicut Paulus dicit, et irridemus Satanam et mundum, ac dicimus: Quid ad me, etiamsi diabolus et Turca furiant? Quid ad me, etiamsi peccatum mordeat? Scio enim, quod dominus meus Jesus Christus non contristat, sed diabolus contristat sub specie Christi! Christus autem nihil est nisi vita, gaudium, gratia et pax etc.

Ergo in hoc omnes incumbamus praecipue, ut Chri-

stum hoc discamus cognoscere, ut arrogemus nobis cum omni superbia illum triumphum et majestatem illam, quam habemus in Christo, et dicamus diabolo vale, quantumvis indignetur et furiat. Est enim in gloria Dei superbiendum, non in stercoribus operum et meritorum nostrorum, sed quod sponsus est omnipotens in ecclesia, quae, quanquam onerata est variis malis, tamen habet sponsum, qui in se recipit ejus mala, et communicat ei potentiam et gloriam suam. Atque hoc est, quod dicit: Stat regina in auro Ophir. Debet enim egregie ornata esse prae ceteris, quod tota ecclesia plus habet donorum, quam singuli christiani. Omnia enim bona in ea sunt, hoc est, est in ea merus Christus, mera sapientia fidei, vita et gloria. His est ornata ab imo pedis usque ad verticem, ut nihil malorum in ea conspiciatur, et nulla macula deformitatis appareat, sed coram Deo et extra conspectum hominum. Deus enim nullam rugam in ea conspicit, quia nihil in ea videt nisi suum filium, quo ecclesia induta est, ex quo habet salutem, vitam et gloriam, quae in Christo est. Quodsi peccatum adest, id diabolus cernit, et singuli in conscientia sentimus, sed Deus non videt. Nam propter filium Christum, quo est induta, tota est formosa, sine macula et rugis, quia Christus totus formosus et sine macula est. Quare ecclesia quoque per ipsum et in ipso vestita talis est. Sic igitur et regem in sua pompa et reginam descripsit, quod Christus habet ecclesiam, quam apostoli ei parant, quae est in primo flore. Jam addit etiam exhortationes.

Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Alloquitur Spiritus sanctus in communi ecclesiam

et synagogam, quasi dicat: Difficile erit, quod praescribo, siquidem hoc solum et praecipuum vobis praestandum est, ut tantum hunc regem audiatis, omnibus aliis regibus et magistris sepositis, et huic uni intendatis. Porro, quia populus Judaeorum mirabiliter a diabolo vexatus est, et undique cinctus fuit hostibus, qui diversam religionem sequebantur, ideo eorum exemplo ipsi quoque ad idololatriam flectebantur, et jam cum Aegyptiis, jam cum Assyriis, jam cum Moab, jam cum Ammon etc. se conjungebant, nec retineri in vera religione et cultu templi sui poterant. Cum igitur Christus jam natus esset, et doceret, hoc eis faciendum fuit, ut omnes ejus verbo, tanquam sponso suo uxor, adhaererent. Sed quid fit? Non solum non audiunt eum, sed etiam persequuntur et occidunt. Ergo propheta hic summum et difficillimum argumentum, quod ab initio in mundo fuit et adhuc hodie est, attingit, nempe, quod contra doctrinam Christi et apostolorum ingeminabant: Patres, patres, templum, templum, Moses, Moses, prophetae, prophetae. Hoc scandalum superare non potuerunt, cum tamen essent manifestae prophetiae, fore ut lex et regnum aliquando cessarent, sed impegerunt et corruerunt, sicut hodie apud papistas insuperabile argumentum est, quod opponunt: Anne putas ecclesiam tot annis errasse, quae est sancta et catholica, et habet promissionem, quod sit duratura usque in finem mundi? Quia autem contra hanc ecclesiam, quam ipsi jactant, nobis docendum est, ideo offenduntur.

Judaei opponebant evangelio Mosen, promittentem sub conditione, quam non animadvertebant, regnum, sicut in psalmo quoque est: „Si custodierint filii tui testamentum meum etc.," psal. 132., et pronuntiabant evangelion esse doctrinam contra primum praeceptum.

Sic nostram doctrinam accusant papistae, quod sit contra ipsum Christum et ecclesiam. Idem igitur argumentum est, quo et Judaei tum, et nostri adversarii hodie offenduntur, et nos etiam aliquando offendimur, quando conscientia nobiscum disputat: Putasne omnia illorum esse damnata, ac te solum plus videre et sapere censes, quam tot summos viros, qui in ecclesia fuere? Hoc argumentum est quasi ingens mons et immensum mare, quod nobis superandum et trajiciendum est, et certe nisi Paulus in epistola ad Roma. tam graviter id solvisset, plurimum negotii nobis cum Judaeis, gentibus et nobis ipsis quoque fuisset.

Et propheta hoc loco videt plurimum periculi et offensionis in ea re fore, quod essent gloriaturi Judaei de sanguine, patribus et promissionibus. Promissio enim sanguinis est vera, eam non revocat propheta hic, neque negat primum praeceptum, sed dicit, sic esse intelligendam promissionem, ut reducatur in Christum tanquam in caput, quem exspectare et excipere debeant, quasi dicat: Habebitis sceptrum, habebitis sacerdotium, sicut est gen. 49.: „Deus erit vobiscum," sed additum est: „Donec veniat Silo." Hoc ergo sciebant Judaei, exspectandum esse Messiam, et ei hunc honorem habendum, ut audirent eum, sed quid faciunt? Particulam „donec" praetereunt, et urgent promissiones simpliciter, ac concludunt: Nos in aeternum sumus populus Dei, quodsi venerit Messias, tamen non poterit aliquid melius docere, quam quod Moses docuit. Manebimus igitur populus Dei, sicut hactenus fuimus, nisi quod regem potentiorem tum habebimus, qui liberabit nos a Romanis. Hoc autem est depravare et absorbere promissionem de Christo, quae in se omnes alias promissiones continet.

Sic nos habemus promissionem ecclesiae, quod

Christus manebit apud ecclesiam, habemus baptismum, eucharistiam, evangelion, scripturam sanctam, pastores, dona Spiritus sancti. Haec omnia manent in ecclesia singulari beneficio Dei. Nisi enim Deus custodivisset bibliam, et dedisset aliquos, qui eam legerent, jam olim a Satana esset abolita et exstincta. Quod autem episcopi hoc addunt et dicunt: Etiamsi biblia non legamus, etiamsi nihil eorum faciamus, quae requirit officium nostrum, tamen, quia habemus auctoritatem clavium, non errabimus, quia ecclesia non errat, nec potest errare, hoc tolerari non potest, nec ipsi possunt ferre, ut impugnetur.

Habent igitur eandem fiduciam de carnali ecclesia, quam Judaei habebant de populo Dei, et vertunt promissionem spiritualissimam in promissionem carnalissimam. Qui voverit Deo religionem (dicunt), qui coelebs vixerit etc., est beatus. Haec autem sunt mere carnalia, et abducunt a Christo in nos ipsos, qui sumus carnales, omnis igitur sanctitas papatus est mere carnalis. Sed ecclesia debet vivere in promissione spirituali, et debet sedere domina vitae super mortem, peccatum, et Satanam, per Christum et remissionem peccatorum. Haec est spiritualis promissio, non debet sedere cum Mose et monachis, id enim non est sedere in imperio super diabolum et peccatum, sed in regno diaboli et abominationis. Sicut igitur Judaei haerebant in carnali promissione, et spiritualem exstinguebant, sic hodie papistae faciunt. Ergo hoc summum argumentum est, quod propheta hic tangit, ut opus est omnibus tubis et buccinis, quae id canant: Audi, audi, audi filia, expergefias, claude oculos carnis, noli judicare de carnali justitia et sapientia, quasi dicat: Nisi audieris, sed voles esse sapiens, et judicare ex specie, quid sit ecclesia, quid non sit ecclesia,

peristi. Nec utitur tam vehementibus verbis, et vult nobis inculcare veritatem, ne scandalo decipiamur; quia est firmissimum argumentum, sicut audivimus.

Est igitur exhortatio ad synagogam et populum, qui habebat de hoc regno promissiones, prophetias et cantica. Praevidet enim in spiritu incredulitatem populi propter insuperabile argumentum, quo nitebantur, quod, nisi apostolorum interpretatio intervenisset, impossibile quodammodo fuisset nobis solvere. Experimur enim in omnibus rebus difficile esse consueta relinquere, quod nova testa capit (vulgo dicunt), inveterata sapit. Quanto autem difficilius id est in maximis rebus et spiritualibus, quae pertinent ad futuram vitam, de qua maxima contentio est, quia hic sunt zelosi, qui magno studio quaerunt, quae sunt vitae aeternae. Nemo enim hic libenter falli vellet, sed agitur res summis studiis. Jam populus Judaeorum habebat istas praerogativas et privilegia de semine, et erat natus ex Abraham, et sicut Paul. Rom. 9. (ubi eandem rem agit) enumerat, habebat adoptionem, gloriam, testamenta, legislationem, cultum, promissiones, patres, in summa, nihil est, quod ad illum populum pertineat, quod non prorsus sit divinum. Haec si opponantur gentilibus, est invictum argumentum.

Quare propheta hanc difficultatem sentit, et monet: „Audi," quasi dicat: Nulla ratio juvandi est, nulla est solutio sufficiens, nisi audias. Si non audieris, non intelliges. Sed quanto magis contra eos disputatur, eo fiunt induratiores, et quid mirum est in Judaeis, cum papistas non possimus flectere, etiamsi fateantur nostram doctrinam veram esse? Quanto minus Judaei flecti potuerunt, ut desererent pristinam religionem divinitus traditam, tot miraculis ornatam, a tot ac tam magnis sanctis

patribus, prophetis et regibus cultam. Accedit huc, quod miserrimum est vivere quotidie in mortibus et periculis, sicut nos vivimus, cum ipsi habebant promissionem rerum corporalium et terram Canaan, quae eis erant relinquenda. Dicit igitur: Tantum audi, quasi dicat: Nulla salus, ratio nulla, remedium nullum est perseverandi in religione, nisi audias. Qui non vult audire, huic non potest consuli, sicut Christus subinde ad verbum remittit: „Nos quod videmus loquimur, et vos testimonium nostrum non accipitis,“ Johannis tertio. Sic papistae quia audire nolunt, frustra cum eis disputamus.

Pertinet igitur haec doctrina ad eos, qui parati sunt audire ac discere, non ad contentiosos. Ii enim non accipiunt, sive dicas, sive canas, sive pingas eis, hoc „audi“. Dicitur tamen eis ad perditionem suam, ut sint inexcusabiles, nobis autem dicitur, ut spectet animus ad verbum et discat haerere in solo verbo. Qui hoc omittit aut non admittit, illum nullis argumentis persuadere poteris. Ego etiam pugnavi contra sectas nostri temporis, sed nunquam potui hoc ab eis impetrare, ut unum verbum ad propositum responderent, etiamsi rem sic ob oculos ponerem, ut vel manu posset palpari. Ratio est: „Non recipit stultus verba prudentia, nisi ea dixeris, quae versantur in corde ejus,“ Pro. 18. Item: „Si stultum in mortario contuderis, non tamen audiet.“ Nullus vomer tam est acutus, nullum tam robustum aratrum, quod subigere eos possit, nec prophetae nec Christus nec apostoli id potuerunt, quia contentiosi nolunt audire, et semper habent, quod evomant. Ergo pertinent ista ad eos, qui habent aurem audientem, et tradunt se captivos verbo in obsequium Christi, et dicunt: Ego nolo sapere, nolo judicare secundum meam sapientiam de istis rebus, sed me tradere discipulum huic

verbo, et audire, quid mihi divina majestas dicat, sicut Spiritus sanctus hic dicit et consulit „audi“, et addit:

Et vide.

Hoc refero ad opera. Sic enim distinguenda judico pro mea simplicitate, ut „audi“ referatur ad verbum et „vide“ ad opera Christi, quia Deus semper solitus est juxta verbum signa dare vel miracula addere, neque unquam novum verbum revelatum est sine additis signis. Sic cum Abrahae daretur promissio vitae, additum est signum circumcisionis. Sic Mosi una cum mandato de populo traducendo in Canaan addita sunt signa. Sic Christus orbem miraculis replevit, cum doceret, una cum apostolis. Sic nos quoque habemus nostra signa, verbi, baptismi et eucharistiae. Quin adhuc hodie magna opera in ecclesia fiunt, ut exstent testimonia doctrinae nostrae, quae tamen opera pii tantum vident, impii non vident. Nam quod tot annos praeter omnem nostram et adversariorum spem conservata pax est, et adhuc hodie miraculose conservatur, in tanto furore et odio mundi contra evangelion, an non magni signi loco ducis?

Sed mundus et caro nec vident neque intelligunt haec. Pii tamen, qui habent oculos spirituales, et norunt potentiam Satanae ac malitiam hominum, illi haec miracula vident, quod doctrina nostra jam multis annis nec tyrannide principum nec odio et fraude papae nec haereticorum malitia everti potuit. Manet igitur hic: Audies hunc regem, videbis ejus opera, quanquam non apparebit in oculis, nec erit terrenus rex, sed verbum ejus audies, et videbis occulta ejus miracula, haec tibi sufficiant. Nam postquam audieris verbum, et videris opera ejus ac consideraveris, tunc se intus tibi revelabit etiam in spiritu! Aliter eum audire non poteris, nisi in verbo, et aliter non poteris videre, nisi in signis. Post

hanc verbi et signorum revelationem sequetur fides et certitudo, et alia, quae Spiritus sanctus afferet, qui confirmabit te contra omnes errores et dubitationes: tantum audi mea filia, quid dicat, et vide, quid faciat rex tuus Christus.

Et inclina aurem tuam.

Id est, crede. Significat enim oblique duram cervicem populi hujus, quae inclinari nesciat, quasi dicat: Mea filia (sic enim appellat populum judaicum) noli erigere te contra verbum, neque indures cervicem tuam, ubi audieris et videris verbum et opera Dei, sed crede, demitte caput tuum et humilia te. Duo enim priora externa sunt, hoc tertium est internum, ut inclinet cor, et dicat: Credo, id quod necessarium est, alioqui non est salus. Monuerunt idem quidam doctores, ut Gerson et alii, quanquam verum modum non tenuerunt, quod in casibus conscientiae sit audiendus frater consolans, et dixerunt, sufficere consilium boni viri. Sed hoc non satis est monere. Conscientia enim laborans dicit: Ubi inveniam bonum virum, et quomodo ero certus hunc esse bonum virum? Quare hoc est existimandum consilium boni viri, simpliciter abjicere omnem sensum praesentem, et pendere ex solo auditu verbi, quod ex fratre audis. Sed est hoc valde difficile, et vere est mortificare se ipsum, et extra se saltare, et omnibus sensibus clausis attendere, quid dicat consolator, quia mandatum divinum est, audire fratrem afferentem verbum evangelii in talibus periculis conscientiae. Sed Gerson et alii, quanquam hoc viderent esse faciendum, tamen non potuerunt consilium boni viri fundare in solo verbo. Nam in hoc sunt datae claves ecclesiae, ut per verbum alius alium consoletur, et dissolvantur sic opera diaboli. Qui igitur scit divinitus hoc praeceptum esse, ut alius alium consoletur, potest se consolari et dicere:

Ego teneor fratri huic credere, quia ipse tenetur expedire perplexitates conscientiarum, et eis mederi verbo, et sic Deo obedio, cum fratrem audio. Tunc vere dicitur consilium boni viri, scilicet Christi, cujus verbum mihi offertur, et ego credo.

Sic in pugna contra papam et contra diabolicum argumentum, quod jactat ecclesiam, quod, quanquam papa in sua persona sit peccator, tamen habeat legitimum officium et administrationem, cui obedire nos oporteat, ibi non alio gladio nos tueri possumus, quam hoc versu, quod praeceptum est nobis: „Audi et vide et inclina aurem tuam," ut dicamus, sicut Paulus contra Judaeos dicit capi. 9.: Audio patres, audio ecclesiam, audio officium, quod sedet papa in ministerio verbi, quod habet baptismum, quod habet communionem et titulum ecclesiae, sed distinguam, nec sinam me capi hoc argumento: Papa hoc dicit, ergo est faciendum, quia hic est praeceptum: „Audi". Quando igitur secundum verbum aliquid docet papa, audiam et faciam, sed quando contra verbum dicit, non audiam.

Longe autem gravius est hoc argumentum in corde, quando a Satana tibi soli objicitur: Ecce tu unus est et vis dissolvere istam pulcherrimam monarchiam, summo consilio constitutam. Esto enim, quod sint in papatu errores et peccata, quid tu es? numquid tu sine erroribus et peccatis es? Quare igitur confundis et facis turbas in tabernaculo domini, cum nihil objicias, quam errores et peccata, quibus tamen tu quoque abundas? Haec valde angunt, sicut apparet Paulum quoque in hoc argumento sudasse, Roma. 9. Ibi assuescendum est, quod vis omnis sita est in apprehenso verbo, in audiendo verbo, et videndis operibus Dei, ac credendis. Quod qui non facit, subvertitur a Satana.

Respondemus igitur, quod non accusamus papam

de erroribus et peccatis privatis. Ea enim quanquam damnare debemus, tamen condonamus et ignoscimus, sicut nobis nostra volumus ignosci. Non igitur de privatis personae vitiis et peccatis contra papam agimus, sed de doctrina et de audiendo verbo, quod papa cum suis praeter peccata propria etiam impugnat gloriam Dei et gratiam, et Christum ipsum, de quo dicit pater: „Hunc audite.“ Vult enim papa hunc auditum tollere a Christo, et ad se rapere, ac nos discipulos Christi a Christo ad se avertere. De hac re pugnamus. Non est quaestio de errore et peccatis vitae, sed de sublimioribus rebus, nempe, de filio Dei pro nobis mortuo et resuscitato, et de ipso praedicato et praedicando ac audiendo. Hoc cum prohibere velit papa objiciendo auctoritatem ecclesiae, dicimus: Abi retro Satana, ignoscimus tibi peccata, sed blasphemias et negationes Christi non ignoscimus, nec in eas consentimus, quia major est Christus, quam ecclesia, quam tu nobis objicis, imo quia tua ecclesia verbum Christi persequitur, non est ecclesia Dei, sed Satanae etc.

Et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Hic est clarissimus textus, quod Christus venit abrogare totam legem, sacerdotium et regnum Judaeorum. Haec enim est ratio, cur audire, videre, inclinare aurem et credere debeat, quod scilicet domus patris sit deserenda. Est valde durus textus contra Judaeos, suavis autem pro nobis, qui credimus. Non enim populum grammatice tantum pro multitudine, et domum pro lapidibus et lignis accipere debemus, sed vocat populum Dei populum, qui est divinitus constitutus, politia et religionibus a Mose datis, acceptis autem a Deo ubi principes et reges in politia, sacerdotes ac Levitae in ecclesia non constituti nec defensi sunt ab ho-

minibus, sed divinitus dati ac conservati per miracula. Qui igitur habent jam populum, patres, domum, iis dicit: „Obliviscere“, nec solum dicit: Desere aut peregrinare a populo, sed simpliciter „obliviscere“, ac scito, quod sit damnata ista politia ac religio, et repudiata, sic ut penitus oblivisci eam debeas.

Sequitur igitur inde, quod in Jesu Christo nihil valet justitia legis, cultus templi, religio, sacrificia sacerdotum et Levitarum. Hic autem vides esse Pauli argumentum, ubi contra Judaeos pugnat de religione, quam mordicus contra evangelion retinebant. Habuit enim laudem iste populus singularem a religione, sicut est Deut. 4.: „Haec est vestra sapientia et intelligentia coram populis, ut dicant: Certe iste populus sapiens et intelligens, gens magna est etc.“ Hic autem dicit: Ista gloria justitiae legis et operum nihil valet sub hoc rege, quia per haec, mea filia, non juvaberis, obliviscere igitur omnium. Pertingit autem his verbis in imum cordis, quod sic vult eos ad Christum converti, ut penitus obliviscantur priorum, ac ne respiciant quidem, sicut Abraham oblitus est terrae Chaldaeorum, et Joseph suae patriae, cum omni spe reditus abjecta filium suum Manassen appellaret. Ita hic quoque dicit: Sic transfereris ad hunc regem, ut de illa politia et sacerdotio ac toto veteri cultu plane desperandum sit. Nam pariet tibi aliud et melius regnum, quam illud legis fuit.

Ergo Spiritus sanctus hic indicat, quam tenera sit haec doctrina, et quam impatiens omnium aliorum cultuum sit fides, ut ne quidem meminisse eorum velit, sicut etiam dicit psal. 15. [16.]: „Nec memor ero nominum eorum per labia mea.“ Vocat enim nomina eo loco cultus, religionem ac totam justitiam legis, quorum non vult meminisse, non quod non liceat re-

cordari eorum, quae cum isto populo sunt facta, sed quod non sint praedicanda ac docenda, sed habenda pro rebus desperatis ac deploratis, quae nunquam sint reditura, neque ullius usus in posterum sint, et quod non sit redeundum ad vomitum, sed procedendum et tendendum in anteriora, ut Christus magis ac magis cognoscatur, donec penitus obliviscamur justitiae legis, ac si nunquam fuerit, sicut ii, qui in monasteriis et in captivitate illa Babylonis vixerunt, postquam ad Christum accesserunt, ita in uno Christo occupati esse debent (quod ad justitiam attinet), ut ne in mentem quidem veniat, quod unquam fuerint monachi, aut celebraverint missam, aut ullum sanctum unquam invocaverint etc., sed videantur sibi perpetuo fuisse christiani.

Ego quidem, cum essem monachus, valde defatigabar per quindecim fere annos quotidie sacrificando, macerando me jejuniis, vigiliis, orationibus et aliis longe gravissimis operibus, quia serio cogitabam de justitia per mea opera adipiscenda, nec putabam possibile esse, ut unquam obliviscerer ejus vitae. At nunc, Dei gratia, oblitus sum. Memini quidem adhuc ejus carnificinae, sed non sic, ut existimem redeundum ad illum carcerem. Quanquam, carnaliter loquendo non erat carcer, sed delicatum vitae genus, remotum ab omnibus illis molestiis, quas vel politia vel oeconomia infinitas habet, carcer tamen fuit bonis hominibus, qui non tantum de ventre cogitabant, sed cupiebant salvari. Sic ista vox „obliviscere" valde multa amplectitur, et praecipue, ut doctrina penitus sit pura, quae tamen facile corrumpitur et obscuratur.

Sicut autem doctrina nullum patitur additamentum, ita fides quoque est tenerrima res, et valde opus habet praecepto: „Obliviscere domus patris tui." Caro enim semper respectat ad Aegyptum et ollas carnis,

id est, naturaliter rapimur magno quodam impetu ad justitiam carnis, et quaerimus opera, in quibus gloriari et confidere possimus, ac Deo objicere: Ecce hoc et hoc feci, pronunties ergo me justum, sicut anabaptistae et alii, rejectis haereticis operum sub uno nomine, reducunt eos sub alio nomine. Alius pilea gallica damnat, et laudat tunicam griseam, ut vocant, alius nihil vult habere proprii, ut eo liberius, quae aliorum sunt, sine labore ad se transferat, ac in his nugis ponunt sanctitatem aliquam. Sic rejectis operibus monachorum veterum reducunt novos monachos.

At ne simus nimium securi ab hac peste, unusquisque nostrum gestat in sinu suo magnum monachum, hoc est, singuli vellemus tale opus, in quo possemus gloriari: Ecce hoc feci, satisfeci hodie Deo meo orando, benefaciendo, ero igitur animo magis otioso. Nam mihi quoque accidit hoc, quod, cum feci opus vocationis meae, multo sum laetior, quam si non fecissem. Ac laetari quidem per se non est malum, sed haec laetitia est sine fide, et non pura, et est ejusmodi, quae vult capere conscientiam ac turbare. Conscientia autem, quia tenerrima res est, non potest satis muniri contra hoc vitium praesumtionis. Quare nemo sit securus, sed qui confitemur Christum, ambulemus in timore, et proficiamus in fide, et agnoscamus, quod singuli gestemus in pectore ingentem et deformem monachum, hoc est, stultam et carnalem opinionem operum, pestem fidei.

Contra hanc opinionem impiam Spiritus sanctus proponit hic absolutam metam puritatis, nempe, ut primo obliviscamur hujus justitiae, saltem in externo ministerio. Id quod Dei gratia nos hic consecuti sumus, ne justitia operum praedicetur, sed pura justitia Christi pro nobis passi et a morte resuscitati. Sunt

quoque pura reliqua, quae fiunt in ministerio hoc, nempe sacramentorum administratio, consolationes, gubernationes sunt purae. Ac quemadmodum in ministerio est haec puritas, ita quoque debebat esse in nostris cordibus. Sed quid fit? In ministerio plane sum oblitus hujus monachi, nec quisquam nomen ejus ex me audit, sed in corde non servo verbum meum, quod pure per os doceo, sed obrepit nonnunquam monachus imprudenti. Est autem hoc quoque magnum beneficium Dei, quod Deus metam puritatis ponit in doctrina, ut saltem doctrina sit pura. Ad eam metam debemus tendere, ut quam pura est doctrina, tam pura quoque sit fides in apprehendendo et tenendo Christo. Sed hoc non fit. Ideo quoad vivimus, luctamur contra istum monachum et diabolum, qui regit eum et fovet, ac Spiritus sanctus quoque, quia videt naturam nostram sic monachatam, adest monendo et hortando, ut audiamus, ut discamus oblivisci omnium praeteritorum operum, etiam optimae justitiae nostrae, ut sicut doctrina oblita est monachi hujus, ita quoque cor nostrum obliviscatur omnium, et haereat pura fide in unius Christi justitia.

Hoc est, quod dicit: „Obliviscere populum tuum," nempe populum non gentilem, impium aut profanum, sed habentem legem et justitiam ejus. Imo lex bona est (objiciunt) et Deus eam praecepit, quare igitur eam rejicis? Hic credo vos bene eruditos esse, et scire, quid sit respondendum. Lex enim est abrogata propter conscientiam fidei. Quando igitur non laedit conscientiam opinione justitiae, tunc potest servari in externis moribus, sicut aliae leges politiae. Quia autem in hoc loco agimus de eo articulo: Quid dicitur Christus? quod sit rex noster et caput nostrum, ibi abrogatae et rejectae sunt non solum traditiones humanae

*) In edit. orig.: eum.

manae, sed universa lex etiam divina, ut retineatur unicus ille rex Christus purissima fide. Quia enim lex non cessat perturbare fidem et conscientiam in baptisatis, potius quam hoc patiatur Christus, etiam corporaliter eam abrogat. Est igitur sublata lex tota, primum spiritualiter, a conscientia, deinde etiam corporaliter, ubi quanquam non erat necesse eam tolli, tamen propter periculum fidei eam sustulit, ut non solum cultus cessaverit, sed templum ac Jerusalem sint destructa, et Judaei dispersi per totum orbem, ac merito. Idem fiet cum papa. Quia enim non cessat persequi verbum, ideo ruet ipse cum omnibus monasteriis, episcopis et collegiis sacerdotum.

Loquitur igitur de abrogatione legis in fide et spiritu, quia fides nihil scit de lege, operibus et justitia nostra ac viribus nostris. Longe enim sublimior est his omnibus, et debet collocari in paradisum, supra et ultra terram, in coelestibus, ubi non audias: Quid fecisti? Quid obmisisti? hae enim legis conciones non sunt admittendae ad conclave conscientiae et in paradisum, sed ubi audias tantum de isto rege, quid ille fecerit, et contulerit tibi, quid ille exigat, nempe amplexum et gratiarum actionem pro tantis beneficiis. Haec tantum audienda sunt in hoc loco. Quodsi lex venit, ejice eam ex hoc conclavi sponsi, et dic ut subsistat in terra et eat Dama cum, ad Sinai, ubi locum habet. Haec est spiritualis abrogatio, quam significat per verbum oblivisci. Nec sunt extenuanda haec vocabula: populus et domus. Sunt enim summae res in hoc orbe, nec ulla alia res in tota creatura est cum his conferenda. Invidiose autem addit pronomen „populum tuum“, „domum patris tui“, quasi audiat obstrepi filiae: Ecce est tuus populus, est tui patris domus, ergo non debes eam relinquere, sed audire et obtem-

parare, hoc temere amplecti novam doctrinam, a lege divinitus tradita dissentientem. Nam in speciem loquitur seditiose contra quartum praeceptum, perinde ac si quis principi non dandum tributum dicat, hoc enim esset exhortari ad rebellionem et subversionem politiae. Ita hic oblivisci domus patris praedicat tanquam summum cultum, cum quartum praeceptum divinitus mandatum doceat de honorandis parentibus.

Ad hoc sic respondeo: Parentes honorare, principi obedire, est bonum et pium, sed praeferendus tamen illis Deus, cui magis est obediendum. Si igitur incidat ejusmodi casus, ut aut pater aut Deus relinquendus sit, ibi dic: Vale pater cum quarto praecepto et cum tota tabula secunda, nihil de te scio, sed plane sum tui oblitus, quia jam non agitur de quarto praecepto, aut secunda tabula, sed de prima, utrum Deus sit verax, utrum debeatur ei gloria, utrum sit audiendus filius Dei. De hoc primum, postea te quoque colam omni genere pietatis. Sed non concedit, quia, quando domus patris in cor venit, tunc sic occupat cor, ut sola ibi esse velit et regere, ibi summa pertinacia repugnat fidei, sicut patet in Judaeis dicentibus: „Non deseret Deus populum suum etc."

Idem nobis cum papa accidit. Non enim solum papam adorare vellem, si mihi permitteret doctrinam sanam sequi, sed quemvis etiam scholasticum. Nihil enim nocet fidei meae adorare eum, modo relinquat mihi primam tabulam. Sum enim baptisatus in domo papae, sum catechisatus, didici scripturam. Hunc honorem libenter habebo populo meo et civibus meis carissimis, ne obliviscar domus patris mei, tantum sinat ut credam in Christum solum, et conservem conscientiam liberam ab omni onere. Sed papa hoc non concedit, et urget ut suam doctrinam sequar, neglecto

verbi Christi. Dico igitur: Quoniam non possum ambo retinere, domum patris et Christum, maneat mihi meus Christus, et domus patris cum toto populo abeat, quo velit. Sic appellat domum patris et populum hoc loco omnes religiones, omnes justitias, omnes leges, etiam gentium, philosophorum et jurisperitorum. Omnia ista abeant, tanquam inutilia ad hoc regnum, imo noxia quoque, ut stet illud: „Nec ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed qui ex Deo nati sunt.“ Joh. 1.

Et concupiscet rex decorem tuum.

Est suavissima promissio. Sentit enim Spiritus sanctus, hoc monstrum haerere in corde, quod vellemus puri et sine macula esse coram Deo. Sic in papatu omnis*) nostra tentatio erat, quod dicebamus, nos libenter ad sacramentum ituros, si essemus digni. Sic quaerimus naturaliter puritatem in nobis, et lustramus totam vitam nostram, ac cupimus invenire puritatem in nobis, ne opus sit gratia, sed ex merito pronunciemur justi. Iste habitus est radicatus in nostra carne, et sentit Spiritus sanctus, nos velle decorem ex nobis. Sic oraturi cogitemus: Libenter orarem, sed non sum dignus, ut me Deus exaudiat. Hae cogitationes veniunt ab illo magno monacho, de quo antea dixi, qui in nobis est, et intoxicat conscientiam nostram, ut respiciamus dignitatem nostram, nec prius orare velimus, quam simus meliores. At sic fiet, ut nunquam ores, si eo usque expectare vis, donec dignus fias. Si enim hoc prius requiritur, ut simus justi, quare oramus in oratione dominica: „Dimitte nobis debita nostra“? Quin potius, cum sentis te esse pec-

*) In edit. princip. leg. omnis.

catorem, et ineptum ad orandum, tunc maxime accedendum est ad orationem et ad sacramentum. Unde enim aliter vis justus fieri, nisi per verbum et sacramenta? ex te et tuis operibus certe nunquam justus fies. Sic in omnibus nobis est hoc pestilens argumentum nostri monachi, quod respicimus nostram puritatem.

Ergo Spiritus sanctus dicit: Ego dabo tibi pulcherrimum consilium, quo, si me audieris, efficieris formosissima puella. Si enim vis esse speciosa coram Deo, ut omnia tua opera ei placeant, ut dicat: Placet mihi oratio tua, placent omnia, quae dicis, facis et cogitas, sic facias: „Audi et vide, et inclina aurem tuam," et sic eris formosissima, cum audieris, videris, oblitus eris justitiae prioris, et omnis legis, omnium traditionum, et totius istius monachi, et credideris: tunc es decora, non proprio decore, sed decore regis, qui ornavit te verbo suo, quod ad te affert suam justitiam, suam sanctitatem, veritatem, fortitudinem et omnia dona Spiritus sancti.

Sed hic primum fallit nos opinio nostra, quam monachus nobiscum natus habet, quae haeret in carne et conscientia nostra, deinde vilitas verbi, quod in vulgus praedicatur, et nullam singularem speciem habet. Ideo putamus nos non satis ornatos fore, cum verbum solum habemus, cum sumus baptisati, eucharistia communicati, evangelio vocati. Hunc ornatum summum non putamus ornatum esse secundum speciem, quia est vilis et omnibus, ut videtur, communis. Qualis enim ille est ornatus (dicunt anabaptistae) perfundi aqua? Sic enim oculi carnis judicant, sed si spiritualibus oculis baptismum intuearis, videbis, quod baptismus te induat vestitu et ornatu Christi. Sic eucharistia induit te ornatu Christi, sic evangelion induit te ornatu Christi. Quem autem meliorem et magis pretiosum or-

natum optare potius, quam quo Christus ornatus est et suos ornat?

Sic monet sanctus Spiritus, nos alieno decore formosos efficiendos esse. Tunc (dicit) cum audieris et credideris et oblita fueris tuae justitiae, ut nihil velis scire, in quo tibi sit fidendum, quam in ornatu sponsi Christi, tunc eris vere decora, et rex concupiscet decorem tuum. Sed quid nos facimus? contrarium scilicet. Domum patris, cujus jubet oblivisci, revocamus. Ah (dicimus) sum peccator, volo prius dignus fieri et purus, quam accedam ad hunc sponsum. Hoc quid est, quam revocare domum patris, et velle offerre propriam justitiam, quam jubet deserere, et monachum illum accersere? Atqui sic debebas dicere: Nihil scio de illa dignitate, sive dignus sim, sive indignus, non curo, illa jamdudum praeterierunt. Si sum indignus externe et in secunda tabula, sit sane, illae enim sunt meae sordes, interne tamen sum formosus ornatu alieno; ibi sum sanctissimus et optime decoratus, quia rex amat illum decorem, quando verbum audio, et obliviscor mei monachi, et regi meo Christo credo, quod ejus sanguine redemtus sim, et ejus merito justificatus.

Haec fides cum adest, quidquid post facio, placet ei, et delectatur pulchritudine mea, quam ipse mihi contulit. Ergo nihil debeo dubitare, me esse formosissimum, et maxime placere Deo omnia, quae facio, propter Christum, quem fide apprehendo tanquam redemtorem, ut cum os aperio ad docendum vel orandum, debeo credere, quod omnes angeli arrideant et laetentur, et qui audit me docentem, is sciat se sacrificium suavissimi odoris praestare Deo. Huc enim est eundum, et hoc est oblivisci domus patris et populi, statuere praesentem justitiam fidei, contra veterem operum justitiam, tunc fiet, ut Deo simus gratissimi.

Utitur autem Spiritus sanctus amplissimis verbis: „Rex concupiscet decorem tuum," hoc est, coges eum ista fide, ut faciat, quae voles, ut amoris stimulis concitatus te ultro sequatur, ut apud te sit ac mansionem apud te faciat, quia, quando Deus dedit verbum, tunc non obmittit opus suum, quod in te coepit, sed dat primum tentationes mundi, diaboli et carnis, quibus te exercet. Hi sunt amplexus ejus, quibus complectitur sponsam prae impatientia amoris; quia, si essemus sine tentationibus, non quaereremus eum, non disceremus audire, videre, et inclinare aurem. Urget igitur nos, ut fortius adhaereamus verbo, et credamus ei, idque facit nimio amore nostri. Sed ille complexus tam suaves sunt carni nostrae, ut lacrymas saepe exprimant, prosunt tamen nobis. Sunt igitur hae maximae consolationes, si modo eas possemus prae magnitudine complecti, quod rex noster Christus non solum complacentiam habet in verbo et fide, sed amore, qualis in sponso erga sponsam est, erga nos fertur, ac urgetur, ut ultro sectetur nos. Eo adigimus eum, modo verbum audiamus, et credamus, et obliviscamur nostrae justitiae. Sed est difficile. Deus det gratiam, ut haec saltem in doctrina et ministerio verbi et signorum, ac ex parte in vita etiam praestemus, et sicut coepimus, discamus oblivisci monachi istius, saltem ne regnet in nobis, sicut in sacramentariis, anabaptistis et papistis, quos monachus ille totos voravit, ut nihil sint nisi monachi meri, a qua peste Deus nos benigne servet, amen.

Haec igitur summa est, nostram pulchritudinem non consistere in propriis virtutibus, nec etiam in donis acceptis a Deo, per quae operamur virtutes, et facimus omnia, quae pertinent ad vitam legis, sed in eo, si Christum apprehendamus, et credamus in eum, tunc sumus vere formosi, ut solum eum decorem spectat

Christus, ac praeterea nullum. Ergo docere, quod velimus religionibus electis et justitiis propriis pulchri esse, nihil est. Apud homines quidem et in aulis sapientum sunt speciosa, sed in aulis Dei necesse est habere nos aliam pulchritudinem. Ibi est haec una et sola pulchritudo, credere in dominum Jesum Christum. Ille detergit omnes maculas et rugas, ac facit gratos Deo. Haec fides est res omnipotens et pulchritudo maxima, praeter quam nulla pulchritudo est. Nam sine et extra Christum sumus damnati et perditi, cum omnibus, quae habemus et sumus.

Quoniam ipse est dominus Deus tuus, et adorabis eum.

In proximo versu audivimus doctrinam valde difficilem iis, qui assueverunt ad justitiam legis, quare pauci sunt, qui tam plene eam apprehendunt, ut confidant soli gratiae Christi, et repudient suam justitiam, ac ad repudiatam suam justitiam non redeant. Et quid mirum Judaeos non apprehendere, qui in lege educati sunt, cum papistae eam non recipiant, cum quibus jam multis annis luctamur, non alia de re, quam quod sola fide justificari peccatores docemus, et non operibus legis, multo minus autem operibus, quae sine certo Dei mandato eliguntur. Huic argumento difficillimo subjicit aliud longe difficilius, quod Judaei ne audire quidem possunt, et de quo in ecclesia quoque magnas turbas haeretici excitarunt. Postquam enim docuit synagogam, ut obliviscatur et populum et domum patris sui, ac in solo auditu evangelii haereat (quod per se gravissimum est), addit jam rationem minus tolerabilem Judaeis, nempe, quod Christus sit dominus eorum et Deus eorum, quem adorare debeant, hoc est, quod Christus sit dominus legis, cui cedere debeat et populus et domus patris et universa lex, idque ideo, quod lex per se non

sit tradita, nunc autem adsit ipse dominus et rex et Deus.

Hic igitur institue differentiam inter donum et donatorem. Deus dedit Mosen, dedit sanguinem Abrahae, dedit legem, dedit justitiam legis, dedit miracula in veteri lege, dedit multa alia dona Spiritus sancti, sed quid haec sunt ad id, quod tandem se ipsum dedit? Quidquid igitur est legum et donorum, in summa, quidquid non est dominus, hoc totum cedat huic regi, et pareant omnia regnanti domino, Christo, in cujus unius pulchritudine tuto confidere possumus et debemus, quia in eo placuit inhabitare omnem plenitudinem divinitatis, in ceteris rebus est tantum particula quaedam minuta divinitatis. Varia enim sunt dona, et variae distributiones operum, sed hic in Christo (inquit Petrus) estis ὁλόκληροι, habetis totam sortem, quia in eo est tota possessio et omnia bona cumulatissima, quia ipse est dominus. Sic ergo, inquit, in ejus complexu debetis haerere, ut omnium priorum obliviscamini, et nihil de praeteritis moribus ac justitiis vestris, nihil de externis ceremoniis sciatis, et tantum apprehendatis magnitudinem vestri regis et domini.

Ergo cum urgent adversarii aut Satan legem, et objiciunt dicta illa: Per patientiam debes vincere malum, dilige inimicos etc., dic: Concedo totum argumentum, et cum inculcat: At tu id non praestitisti, es ergo damnatus, hic responde ex hoc loco psalmi et dic: Agnosco culpam, quod peccavi, sed volo tamen esse dialecticus, et distinguere inter donum et donatorem. Num tu aequabis donum donatori, aut etiam praeferes? Non opinor. Quid ergo tam accusas, quod in dono illo deficio, et in legem peccavi, cum ipsum donatorem habeam, qui est dominus et Deus meus, debemus autem prius donatorem habere et pluris facere quam dona. Non autem rejicimus bona opera, sicut nos accusant, sed distinguimus, et damus operibus et donis suum cir-

cultum, et locum, sed ipsi domino nostro reservamus totum, coelum, et regnum. Ergo serviant dona et virtutes, et exerceant nos, sed non regnent in nobis, regnet autem in nobis Christus, is sit dominus conscientiae nostrae, in hoc maneamus soli et puri, tunc erimus salvi, et omnia placebunt Deo. Haec est ratio, quare mandet repudiare et oblivisci omnis justitiae, donorum, et virtutum, scilicet, in comparatione regis et propter regem, qui nos diligit et est dominus Deus noster.

Ipse est dominus.

אֲדֹנַיִךְ est nomen sanctum, quod in hac forma, qua hic est positum, non appropriatur, nisi uni vero et naturali Deo testibus omnibus Judaeis. Quia autem clare tribuitur hoc nomen Christo, magis exasperat haec probatio Judaeos, quam assumta propositio, quia dicit contraria: Homo est Deus. Propheta igitur hoc loco secundum Judaeos et rationem incredibile et absurdum probat per aliud magis absurdum et incredibile: sed Deus non curat, quid impii sentiant de suo verbo, sed per verbum suum sic statuit et pronuntiat, quod semper est absurdum rationi. Est autem nostrum, humiliter audire et assentiri, quod cum fecerimus, intelligemus hanc probationem esse efficacissimam. Ipse dicit hunc regem Christum esse Deum, non igitur mentietur. Si autem est Deus, ergo omnia debent ei cedere, Moses, lex et quidquid est in tota ecclesia justitiarum et legum. Est igitur hoc alterum argumentum scandalosum, quod appellat Christum Deum et regem, supra autem hominem vocavit: Tu es speciosus prae filiis hominum. Est ergo hic psalmus unus de praecipuis, qui continent regnum Christi, et praesertim descriptionem personae ejus, quod sit verus Deus et verus homo.

Sunt autem diligenter tenendi hi loci, et muniendae conscientiae contra sagittas diaboli. Videmus

enim, quod multi, qui hos locos non tenuerunt, sint subversi a diabolo, sicut Ariani, Sabelliani, Eunomiani, et ante eos Samosatenus, qui omnes voluerunt cogitationibus in coelum adscendere, et apprehendere majestatem divinam; cum tamen ea opera, in quibus ipsi vixerunt et nos vivimus, plene cognoscere non potuerint. Quis enim est, qui ausit affirmare se scire, quomodo sermo gignatur in ore, quomodo digeratur cibus et potus, ac paulatim convertatur in sanguinem et carnem, quomodo unam vocem pariter et perfecte multa millia hominum audiant, quomodo obdormiamus etc. Si igitur ea opera, inter quae versamur omnes, et quotidie vivimus, et in nobis et a nobis fiunt, non possumus attingere et dicere, quae insania, quis furor est, velle adscendere in coelum, extra nos, et metiri divinitatem secundum insulsissimam rationem humanam? Sed tales sunt superbi illi spiritus, qui non audiunt, non vident, non inclinant aurem ad Deum loquentem, sed volunt ex suo capite de tantis rebus disputare et loqui.

Quare munite vos contra tales cogitationes. Si enim nihil nostrarum virium et operum intelligimus, quomodo poterimus Deum extra nos positum, invisibilem et incomprehensibilem intelligere? Et discite, in hoc articulo et similibus simpliciter esse standum ex verbo Dei, et inclinandam esse aurem. Quodsi Deus incredibilia dicit, quid ad te, cum alia longe viliora et exposita sensibus non intelligas? sicut etiam Hilarius argumentatur, cum simus patientes in ignorantia sensuum, non convenire, ut simus impatientes in ignoratione Dei. Non scimus cibum et potum, quem sumimus, quomodo et per quid mutetur, et scilicet absurdum est me dolere non posse scire de Deo, quomo-

et pater, filius et Spiritus sanctus, tres personae, unus, verus, individuus Deus sint.

Hic igitur articulus de Christo Deo offendit primum Judaeos, ut nihil putent execrabilius esse, quam audire, Christum Deum esse, deinde offendit etiam Satanam, tertio offendit etiam rationem nostram. Horum nulli sis similis, sunt enim hostes Christi et verbi ejus, sed inclina aurem, et praeterea nihil admitte, quia, quando sine verbo de hoc articulo speculaaris, tunc de te actum est. Nam hoc quoque in inferioribus articulis accidit, ut, si sine scriptura de eis disputes, aut cogites, incidas in miram profanitatem. Nam ego quidem, cum nonnunquam de Deo creatore coeli, de baptismo et aliis hujusmodi omisso verbo cogito, nullum plane succum ea cogitatio habet, sed est quasi inane quoddam somnium. Quid putas fore in hoc articulo summo? Quare scias, quod neque doceri nec cogitari volunt articuli fidei sine verbo Dei puro et solo, praesertim hic de divinitate Christi. Discamus igitur assuefacere nos ad verbum, et inclinare aurem. Hoc autem quia Judaei non faciunt, plane furunt, cum audiunt Christum Deum dici, cum tamen hoc loco clarus habeatur textus, quem ut eludant, ad vanissimas calumnias vertuntur.

Sic Ariani offensi hoc articulo dixerunt, Christum secundum alteram naturam esse personam mediam inter divinam naturalem et creatam angelicam naturam. Tribuebant igitur ei vocabulum divinitatis, quam tamen revera negabant, quod, quanquam non esset essentialiter et natura Deus, tamen esset perfectissima creatura, ante omnes alias creaturas creata, per quam ceterae absolutissime creatae essent. Sed quae haec est sapientia, discedere a verbo, et fingere quiddam ex suo capite, et post id scripturis male detortis in speciem ornare?

Sic ergo etiam quaelibet possem speculari et depravare. Quare isti sunt homines vere odiosi, qui existimant hoc singulare artificium esse, quod alii non teneant, primum comminisci aliquid consentaneum cum ratione, deinde id confirmare scripturis. Eccles. 1.: „Prior omnium creata est sapientia.“ Ibi est verbum „creata“, ergo Christus est creatura etc. Quia enim videbant se premi scriptura, dixerunt, post divinitatem naturalem esse creatum verbum seu sapientiam Dei lucidissimam et formosissimam, per quam Deus post creaverit omnia. Egregia vero sapientia, qua omnes impostores usi sunt. Sic enim Mahmet quoque fingit, se proximum Deo esse, et Deum secum tanquam cum filio loqui, sic Franciscanus suam regulam et Franciscum suum tanquam idolum colit. . . . .

Recito autem haec ideo, ut videatis nihil esse facilius, quam novi aliquid speculari et fingere. Sic Samosatenus fingit, verbum non esse personam, sed verbum significare intellectionem Dei naturalem, Spiritum significare motionem divinam. Haec omnia sunt facilia, quia sunt philosophica, quae ratione comprehendi possunt, nec opus habent fide, neque sunt analoga fidei, sed a gentili et impio homine, imo a puero decem annorum excogitari et intelligi possunt. Posito enim hoc principio, quod Deus unus sit, facile est ista de verbo transeunte in corde, et motu divino comminisci. Consentiunt enim cum ratione, ne, quod unum est, sit triplex. Sed qualis haec fides est, quam ratio potest assequi? Qualis est quoque haec industria, postea ad illam rationalem imaginationem abuti verbo Dei?

Quare vos primum hoc scitote, articulos fidei vere esse sententias de talibus, quae oculus non vidit, auris non audivit, nec descenderunt in cor hominis, et per solum verbum et Spiritum sanctum docentur ac intel-

liguntur, et est ea natura omnium articulorum fidei, ut universa ratio ab eis abhorreat, sicut in gentibus et Judaeis cernimus. Nam sine Spiritu sancto non possunt intelligi. Sunt enim abyssi sapientiae divinae, in quibus ratio plane submergitur et occiditur. Qui igitur vult esse christianus, ille eruat oculos rationi suae et tantum audiat, quid Deus dicat, et praebeat se captivum Deo, ac dicat: Quanquam ista, quae audio, sunt mihi incomprehensibilia et incredibilia, tamen quia Deus dixit, et confirmavit potentibus miraculis, ideo credo etc.

Munite igitur conscientias vestras de isto articulo: Christus est Deus, nec multum disputate. Clarus textus est: „Quia ipse est dominus Deus tuus, et adorabis eum.“ Videtur quidem posse per calumnias eludi: David etiam est adoratus, ergo adorare non est proprium Dei, sed testimonia scripturae sunt duplicia. Quaedam sumta sunt a priori, quae manifeste dicunt Christum esse filium Dei, et verum ac naturalem Deum, qualia multa sunt in Johanne. Quae si quis evertere volet, is sciat, quod scriptura sancta evertenda sint, et non ratione humana. Quid clarius esse potest, quam quod dicit: „In principio erat verbum,“ item: „Omnia, quae facta sunt, per verbum illud facta sunt.“ Non dicit verbum esse factum, sed quod omnia per verbum facta sunt, ergo ipsum verbum non est factum, sed semper fuit. Sed haec clara sunt, et tractata a nobis alibi.

Deinde alia testimonia sumta sunt a posteriori, hoc est, ab effectibus, sicut Paulus clare dicit filium regnare super omnia, sicut in psalmo quoque est: „Omnia posuisti sub pedibus ejus.“ Item: „Sede a dextris meis.“ Item apud Johannem, ubi se dicit similem patri, omnia patris sua esse, se etiam facere,

quae pater faciat, vivificare, justificare etc. Haec sunt argumenta a posteriori, quae probant Christum Deum esse, quod arrogat sibi aequalitatem Dei; nec potest ratio contra haec quidquam afferre, nisi philosophica et rationalia vel plane fanatica. Voco autem philosophica, quae cuique facile est intelligere et fingere. Sed quaeso te: Estne hoc fidem docere, quae est rerum non apparentium et invisibilium, id est, earum rerum, quas non possumus assequi in hac vita, sed quae tantum credendae sunt, donec suo tempore revelabuntur, jam autem sunt invisibiles? Est igitur hic locus unus de praecipuis, quo maxime offenduntur Judaei et alii fanatici spiritus, quod Christum appellat Deum, cui cedant Moses et lex, et si ecclesia hodie habeat leges per Spiritum sanctum constitutas, etiam dicendum esset: Cedat ecclesia, cedant leges illae, ut extollatur ille rex super omnia, quia ei debetur gloria, honor, et sicut hic dicit: „Quia est Deus tuus, quem adorabis." Sunt enim verba hic maxime proprie posita, quia propheta non est in historiis, sicut de Davide in historia dicitur, eum esse adoratum, sed est in doctrina et summo articulo fidei. Ergo adorare hic proprie significat cultum Dei, sicut in primo praecepto ponitur: „Hunc solum adorabis," ubi certe de λατρεία dicit.

Scandalosum igitur est coram gentibus et Judaeis, quod Christus sit adorandus, cum tamen primum praeceptum tantum unum Deum adorandum esse dicat. Sed nobis est salutare et consolatorium, ne conscientia nostra dicat: Audio quidem legis justitiam esse deserendam, sed quid si idololatra fiam, cum Christum tanquam Deum adoro, contra primum praeceptum, quod unum Deum adorari jubet? Spiritus sanctus igitur his et aliis locis munit nos contra hanc cogitationem, et declarat primum praeceptum, quasi dicat:

Audis in primo praecepto unum Deum adorandum, aut fore ut Deus idololatriam puniat in tertiam et quartam generationem, metuis igitur, ne fias desertor primae tabulae. Contra audis hic etiam prophetiam de adorando Christo, eam quoque non debes deserere, quia idem Deus hic quoque loquitur. Hic haeres inter sacrum et saxum, ne vel primum praeceptum vel prophetiam hanc deseras. Me igitur audi, et confidenter adora Christum, manebit tibi salvum primum praeceptum, manebit etiam salva unitas divina, non errabis, sed derelinque cum confidentia omnia divina et humana, et tantum adora hunc Christum, ex eo pendeas totus, et tunc pendebis ex vero et uno Deo.

Ergo nos gentes, qui credimus in Christum, sumus hic certificati et securi facti, nos non errare, sed summe Deo placere, si credamus in filium ejus Jesum Christum verum, unum et naturalem Deum, et eum confiteamur. Quodsi non assequimur, quomodo Deus unus sit et tres personae, relinquamus hoc ipsi, tantum adhibeamus aurem: ipse sic dicit, quod rex noster sit Deus, et mandat, ut adoremus eum, quare nos credamus eum Deum nostrum esse, et sic nullum erit periculum ab idololatria, ne falsum Deum adores. Sed si stulta superstitione, ne primum praeceptum violes, hunc regem rejeceris, tunc totum et verum Deum rejecisti, sicut Ariani fecerunt. Dum enim vitant vitium, stulti in contraria currunt. Illi dum volunt primum praeceptum salvare, directe faciunt contra primum praeceptum, ac dum idololatriam, ut vocant, fugiunt, in duplicem idololatriam incidunt. Primum praeceptum, inquiunt, tantum docet unum Deum adorare, ergo idololatria est Christum adorare. Sic dum putant magnum peccatum esse, Christum adorare,

committunt, quod majus est, et adimunt Christo divinitatem, et per hoc verum Deum negant.

Sic miser Zinglius primum movebat auditores hoc tonitru, idololatriam esse credere, quod panis sit corpus Christi, Dei et hominis. Hoc cum audirent, primum simplices mentes deliberabant paulisper, post capti similitudine veri assentiebantur. Postquam enim diabolus a corde et oculis removit verbum, et eo nos adducit, ut sine verbo de articulis fidei cogitemus, tunc actum est. Sed tu dic: Nolo deliberare, an sit verum vel non, sed simpliciter credam, sicut Christus dicit: „Hoc est corpus meum.“ Si sum idololatra ob hanc fidem, fit culpa et periculo Christi, cujus verba sic sonant. Ipse igitur me bene defendet. Hoc enim certissimum est, quam primum dubitare et disputare de articulo aliquo fidei coeperimus, amittimus eum, et ruimus in impiam opinionem, sicut Eva, cum deliberaret secum de mandato Dei, ruebat, sie liess sich auch bereden auf ein Bedenken, da war sie schon gefallen. Initio habet mandatum in ore, et contra Satanam egregie se defendit, postquam vero incipit deliberare, victa jacet. Sic omnibus accidit.

Ergo vos, qui incumbitis sacris literis, ante omnia constituite, quid credatis in religione christiana, ut habeatis articulos fidei munitos bonis textibus scripturae sanctae, et bene meditatos. Deinde quando tecum volunt disputare vel Satan vel ejus instrumenta, haeretici, tunc objice eis illos textus, et desere eos, dicens: Cavillationes et speculationes tuas audire nolo, hoc enim dicit Spiritus sanctus, qui me monuit, ut audirem, et inclinarem aurem, fore enim doctrinam novam et magnam, in qua multi offendantur, quod omnis justitia sit deserenda, et tantum in uno Christo ejusque justitia confidendum et nitendum, deinde quod

hic Christus sit natura Deus et adorandus. Securus igitur sum, me non errare, et solutum est argumentum, quod ex primo praecepto objicitur et ex prophetis de uno Deo. Si opponant: Ergo facis plures deos, respondeo: Non facio alium aut plures deos, sed dico eundem esse Deum patrem, filium et Spiritum sanctum. Est unitas substantialis et una essentia, quanquam tres sint personae, nec volo habere plures deos, quia plures dii pugnant inter se, nec possunt esse, sed hic est unitas. Quomodo autem differant personae, si non intelligo, sufficit mihi scriptura sancta, quae dicit ac nominat patrem, filium et Spiritum sanctum, Matth. *) ulti. Si possem ista assequi ratione aut sensibus, quid opus esset fide? quid opus esset scriptura divinitus per Spiritum sanctum revelata? Quodsi nihil nisi quod ratione comprehendere possum, credere volo, amittam brevi baptismum, sacramentum altaris, verbum, gratiam, peccatum originis et omnia, nam horum ratio nihil intelligit. Sic videmus sacramentarios et anabaptistas haec omnia amisisse. De nullo enim horum recte sentiunt. Quare prima haec theologi cura sit, ut sit bonus textualis, ut appellant, et teneat hoc principium primum, in sacris rebus non esse disputandum aut philosophandum, quia, si rationalibus et verisimilibus argumentis hic esset agendum, ego tam facile calumniari possem omnes articulos fidei, quam Arius, sacramentarii et anabaptistae. Sed in theologia tantum est audiendum, et credendum, et statuendum in corde: Deus est verax, quantumcunque rationi videantur absurda, quae Deus in verbo suo dicit.

Ita hoc loco dicit, hunc regem (quem praedicamus natum ex virgine, verum hominem fuisse) natura-

*) In edit. princip. leg.: Mar.

liter esse Deum, quia hoc vocabulum per totam scripturam in hac forma, qua hic positum est, tantum uni Deo tribuitur, et adorare ejusmodi est cultus, qui etiam uni Deo debetur. Ergo loco veteris cultus, quem supra jubet oblivisci, instituit hic alium novum cultum, et transfert primum praeceptum in numeris et syllabis suis in hunc regem. Hunc adora, dicit. Qui hunc non adoraverit, is a vero Deo aberrabit, quasi dicat: Nemo debet queri, quasi omnes cultus perierint et sublati sint. Quod enim hactenus ceremonias servastis, sacrificastis, fecistis decalogum et alia legis opera, omitto jam, fuerint ista hactenus cultus. Sed novus cultus jam erit, et unicuique et mihi gratissimus, adoratio hujus regis, in quem transfero primum praeceptum, et mando, ut eum adoretis, quod cum feceritis, tunc me adorastis, mihi exhibuistis cultum. Quicunque enim hunc regem colit, ille solus implet primum praeceptum, et nemo alius, quia jussi, ut sederet a dextris meis etc.

Debemus igitur obsecundare Deo loquenti nobis de filio revelato, ut simus veri adoratores, non ut olim, sed in spiritu et veritate, id est, in fide sui filii dilecti. Qui hunc adoraverit, me adoraverit, qui hunc spreverit, me spreverit, ut omnia sint in gloriam illius filii. Nec periculum est, ut simus idololatrae. Pater enim mandat et dicit, cum filium adoraveris, se adoratum esse, se cultum esse, sibi servitum esse, quia sit unum cum filio, nec posse nos alia via aut certius pervenire ad patrem, quam per filium et in filio, in quo est omnis plenitudo divinitatis. Non possumus igitur aberrare a Deo, sed cum gaudio, laetitia, fiducia et summa certitudine possumus adorare hunc nostrum regem Christum filium Dei, dominum nostrum, et verum Deum, non speculatum a philosophis, sed divinitus sic appellatum.

Est ergo nunc cultus Dei, non servare ceremonias Mosi, papae, monachorum, gentium, Turcarum, sed adorare hunc regem, hoc est, apprehendere et credere hunc regem esse filium Dei, pro nobis passum et resuscitatum, deinde agnoscere, eum in timore, et accipere verbum ejus, et credere, et omnia in fide ejus operari, in gloriam ipsius, ut fiant omnia, sicut Paulus ait, in nomine Jesu. Sic omnes sumus sacerdotes, vestiti et ornati eadem sanctitate Christi, quam fide accipimus, multo pulchriores, quam omnes justitiae veteris testamenti, et papatus. Est insignis versus, quare eum vobis commendo.

Et filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Hic consolatur ecclesiam quasi externa consolatione. Difficile enim est Deo credere sine exemplo, et duci a Deo sicut Abrahamum duxit, solum, et videre omnes alias gentes abhorrere a religione, quam tu sequeris, teque solum diversum ab omnibus aliis hominibus credere et sequi. Spiritus sanctus igitur praevidens, quod haec res pariat magnas infirmitates, consolatur eam, et dicit: Ego sic faciam, cum ita fueris speciosa in oculis meis, et colueris me sincera fide, relictis omnibus justitiis tuis, tunc addam fortunam et successum tuae praedicationi de me, ut optima pars mundi eam amplectatur, ut, quanquam totus mundus impugnat evangelion, gentes fremant, populi conveniant, reges congregentur contra te, tamen aliquot ex nobilibus, regibus, principibus et sapientibus mundi te sibi adjungant, et verbum accipiant. Vult enim Deus ex illa multitudine regnorum et populorum decimas suas habere. Esset autem hoc impossibile, nisi fieret per benedictionem divinam. Est enim praedicatio absurdissima et incredibilis. Ideo damnatur a mundo tanquam

haeretica, blasphema, idololatrica. Deus tamen praeter omnem rationem et opinionem convertit per hanc doctrinam fidei semper aliquos, ut ecclesia augeatur, cum semper aliqui sint, qui perstant ac sanguinem fundunt pro ista doctrina.

Dicit igitur idem hic, quod in alio loco: „Omnia subjecisti sub pedibus ejus," et Esai.: „Erunt reges nutritii ejus." Deus enim ecclesiam etiam corporaliter conservat, idque necessario. Si enim debemus praedicare et confiteri Christum, indiget hoc corpus sustentatione, opus est pace, victu et aliis necessariis. Si igitur nullus usquam princeps esset, qui evangelion amplecteretur, nullus locus, nulla pax, non victus, non amictus, ecclesia brevi interiret. Suscitat ergo Deus aliquos principes, qui fovent, largiuntur et alunt pios, et faciunt hoc cum magna fide, sicut in aula Neronis fuit Processus et alii, qui etiam mortem propter Christum adierunt. Hoc est Dei opus. Ita hic promittit: Non debes esse solitaria, sed convertam ad te etiam magnos principes, sicut in Esa. quoque dicit: „Sterilis eram, unde autem mihi hi? etc."

Filiae Tyri.

Hebraismus est, id est, ipsa Tyrus. Nam quod Hebraeis צוֹר est, puto Tyrum esse, cum sit facilis commutatio Z in T.

In muneribus.

Afferet ad te munera, loquitur enim de donis mundi. Significat autem, sicut supra dixi, quod Tyrus debet converti ad ecclesiam, et recipere verbum et illos difficiles articulos, et confiteri fidem suis donis et eleemosynis in pauperes sanctos. Porro accipies Tyrum per synecdochen pro omnibus aliis potentibus urbibus gentium, Tyrus enim tempore hujus psalmi fuit nobilissima, perinde ac si hodie dicam:

Venetiae recipient evangelion, et largiter fovebunt pauperes et afflictos christianos, ut ita numerus ecclesiae augeatur.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites terrae.

Ubicunque est aliquis populus et divites, ibi erunt aliqui, qui adorent Christum propter illud verbum, et quanquam incredibile videatur, tamen dabo ex omnibus populis, qui veniant et cum summo gaudio audiant te praedicantem, et revereantur verbum etc., sicut videmus hodie etiam in impiorum principum aulis multos bonos viros esse, qui vere pii verbum reverentur, ministris verbi cum humilitate inserviunt, fratres juvant omnibus officiis quibus possunt. Hoc est confiteri Christum cum externis donis et obsequiis. Hoc ab initio hujus praedicationis in ecclesia factum est et adhuc fit. Est autem magna consolatio, quod ecclesia in mediis tribulationibus et persecutionibus habebit etiam externam consolationem, deinde quod verbum multiplicabitur etiam per divites, et aletur, sicut hodie pauci sunt principes, in quorum aulis non aliqui sint, qui faveant verbo et adorent.

Postquam igitur adhortatus est synagogam, ut populum et domum patris, legem et omnia deserat, et promisit tunc fore pulcherrimam et habituram justitiam infinitam et aeternam, qua ab ipso rege induetur, non a servo Mose, sed ab ipso domino et Deo suo, addidit hanc externam consolationem valde necessariam. Quia enim totus psalmus est allegoricus, ideo nisi in spiritu istas magnificas praedicationes consideres, singula verba videbuntur mera mendacia esse. Nihil enim minus est videre in apostolis et christianis, quam honorem regis et divitum studium, sed regnat secundus psalmus, quod gentes tumultuantur, et populi furunt.

Quare omnia sunt spectanda secundum spiritum, sic tamen ut vere etiam filiae regum sint culturae istam sanctam ecclesiam, quia alias esset impossibile manere hoc regnum. Si enim Deus nullum daret locum, ubi doceretur verbum, si nullum daret principem, qui evangelion amaret, non diu duraret ecclesia. Quare ceteris furentibus et majore parte mundi evangelion persequente suscitat Davides, Josias, Ezechias, etiam aliquando ipsum regem Babylonis, ut sit otium et pax ad ministerium verbi et propagandum verbum. Necessario igitur consolatur hic ecclesiam, quod non deerunt sancti et filiae ecclesiae, etiam ex potentibus et divitibus mundi, qui ecclesiam alant ac patroni ecclesiae futuri sint, ut stet illud psalmi: „Dominare in medio inimicorum tuorum etc."

Omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis aureis.

Latinus male reddidit hunc versum: Filia regis tota gloriosa est intus, et auro induta. Filia regis hebraismus est pro ipsa regina, sicut dicunt filium mortis, filium regni, filium petrae, filium pharetrae etc. Ego igitur de successione accipio, ut regina, de qua supra dixit, sit ipsa synagoga, vel ecclesia vocata ex veteri synagoga, filia autem regis sit ecclesia ex Judaeis et gentibus constituta, ut ex duobus populis, Judaeis et gentibus, fiat unum corpus, sicut Paulus etiam loqui solet. Est enim magna res et insigne miraculum, quo non solum Judaei offenduntur, sed omnes, qui non sunt christiani, quod Deus tollit personam, et nihil discernit inter nos gentes, qui vivimus sine lege, et Judaeos oppressos onere legis, nihil discernit inter Cornelium gentilem et Mosen circumcisum, sicut patet ex actis.

Sunt igitur portentosa verba, tollere sic simpliciter istam maceriam mediam, quae Judaeos et gentes

distinguebat, et perpetuas inimicitias pariebat. Nam et Judaei contemnebant et damnabant gentes viventes sine lege, et gentes vicissim ridebant Judaeos et oderant, tanquam populum prodigiose superstitiosum. Has inimicitias, inquit Deus, tollam, nec tu circumcisus neo tu incircumcisus praestabis, aut melior judicaberis, sed qui crediderit in Christum. Sic nec Judaeus gentilitatem ethnico, nec ethnicus stultitiam Judaeo exprobrabit, et sublatae erunt simul sanctitas Judaeorum et sapientia gentium, ut nullum plane sit discrimen, et sublata sit omnis gloriatio. Nam quanquam salus est ex Judaeis et non ex gentibus, non tamen manet in solis Judaeis. De hoc scandalo puto prophetam hic loqui, quod filia regis sit successio ecclesiae, quae coepit in Judaeis, et propagata est in gentes.

Alia sententia est, quanquam non longe distat a priori, ut filiam reginae non accipias pro corpore ecclesiae collectae ex Judaeis et gentibus, sed pro ecclesia gentium ex Judaeorum ecclesia nata, ut significet hunc regem non sterilem fore in conjugio, sed habiturum eum filios et filias, sicut in Esa. est: „Dic aquiloni: Da mihi filios etc." Nam Judaeorum ecclesia est regina per apostolos constituta, per hanc genuit filiam, ecclesiam gentium, sicut Paulus dicit act. 13.: „Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes;" et 1. ad Corinthios 4.: „Ego vos genui per evangelion, etiamsi habetis multos paedagogos (nam magistros, qui bona opera docent, multos est invenire), tamen unus tantum pater est, qui gignit." Non enim Judaei per gentes, sed gentes per Judaeos sunt christiani facti. Sic celebrat propagationem hujus regni per nativitatem filiorum usque ad finem mundi.

Filia regis tota gloriosa intus.

Id est, ecclesia amplificata per illam reginam populi Judaeorum, multiplicata per apostolos sanctos, per primitivam ecclesiam, illa est gloriosissima et pulcherrime ornata, „intus" id est, in suo gynaeceo (sicut nos dicimus), ut sit sententia: In gynaeceo hujus reginae nihil est videre, quam aurum, argentum, purpuram, sericum, non sunt ibi arma, non sordes; sed gloriae aurearum, argentearum vestium etc. Sumsit enim allegoriam a gynaeceo regio. Significat autem ecclesiam variis donis esse ornatam, praecipuo autem dono fidei in Christum. Hae enim sunt fibulae illae aureae. Sicut enim supra dixit reginam ornatam auro, ita hic filiam reginae dicit aureis fibulis ornatam. Ergo ecclesia gentium non minus habet de Christo, quam Judaeorum ecclesia, sed est quoque induta auro purissimo, id est, justitia domini nostri Jesu Christi et salute, sicut in Esaia dicit ca. 1. [61.]: „Induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis." Haec enim est nuptialis vestis, de qua in evangelio quoque dicit, capitalis scilicet fiducia et justitia, qua sumus induti ipso Christo tanquam dono. Hoc est aurum, hae sunt fibulae, quas accepit per primitivam ecclesiam et apostolos ecclesia gentium.

Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi.

Hic et versum corrupit interpres, et male reddidit sententiam. Sic enim legendum est: Deducitur ad regem in vestibus acu pictis, et virgines sectantes eam, quae ei sunt proximae, adducuntur ad te. Sententia autem est: Ecclesia, quae sic splendide ornata incedit in suo gynaeceo, ubi nec ingressus nec egressus est, sed est thalamus conscientiae, ubi sponsus et

sponsa soli cubant, ubi est totum aurum, illa ecclesia, cum deducitur ad choreas, est induta vestibus acupictis. Haec sunt dona, quae sequuntur aureum illum vestitum, id est, fidem. Postquam enim fide sumus justi, et vestiti auro puro et pretioso, tunc sequuntur alia dona Spiritus sancti, qui post operatur mirabilia in credentibus, docet, exhortatur, baptizat etc., sicut est Rom. 12. et 1. Cor. 12. In tali ornatu adducitur ad choream, in publicum, ubi rex cum ea saltat, nec solum ipsa ducitur, sed totum gynaeceum, hoc est, magna multitudo ecclesiarum passim in orbe, sicut dicit:

Post eam virgines etc.

Omnia sumta sunt ex moribus aulae, in qua regina et reginulae habent suas pedissequas, imo potius socias, scilicet filias aliorum principum, quae eas sequuntur. Significat autem tam gubernantes ecclesias, quam gubernatas. Sic enim administrat Deus hoc regnum, ut det apostolos, prophetas, evangelistas, doctores, interpretes, gubernatores etc. 1. ad Corinth. 12.: „Aliud enim donum est fidei, aliud prophetiae, aliud curationis etc.“ Hae differentiae donorum manent in ecclesia, et habet unus plus alio. Non enim omnia membra corporis possunt esse pedes aut manus aut oculi etc. Sic etiam vult ecclesiae suae corpus esse diversis muneribus et officiis pulchra harmonia compactum. Hoc non est apud fanaticos spiritus et sectarios, ubi unusquisque vult esse omnia, pes, manus, oculus, auris etc.

Ita hic pingit reginam procedere habentem multas pedissequas, quarum alia alio vestitu ornata incedit. Verum ipsae quoque adducuntur ad regem, ut sic omnia ad obsequium ac cultum hujus regis fiant. Sic apostoli docent Christum, eundem docent prophetae, doctores, episcopi, pastores, ministri, qui baptisant, qui porrigunt sacramenta, omnes adducuntur ad Christum, ut credant

et serviant in fide domini nostri Jesu Christi, unusquisque in suo genere. Omnes enim, quantumcunque diversi sint in donis, tamen sunt unanimes et consentientes in summo articulo, quod fide in Christum fiant salvi, et nulla alia re. Sic ego, si sum doctor evangelii, idem facio, quod Paulus et Petrus faciunt. Sic pastor Antiochenae ecclesiae idem facit quod prophetae. Omnes sequuntur unum Christum, nihil volunt scire, sapere, praedicare praeter Christum crucifixum. Sic in summo vestitu conveniunt, in fide scilicet, quanquam colores variant, hoc est, habent dona diversa. Sed haeretici eunt quadam alia propria via sub nomine Christi ad infernum, nec sequuntur reginam hanc, sed suas opiniones. Hic autem in vera ecclesia manet unitas fidei, verbi, doctrinae, opinionis inter differentissima dona. Quanquam enim vestitus sit varius, tamen omnes ad choream illam veniunt, ad obsequium, gloriam et pompam regis, non in lupanar, sicut haeretici. Sed faciuntne id volentes? Sequitur:

Afferentur in laetitia et exsultatione, adducentur in templum regis.

Commuta in praesentia. Fingit enim ecclesiam et populum Dei adduci in palatia, ad ipsum Christum, tanquam ad choream et convivium regale. Quare hic quoque requiruntur oculi spirituales, quales sancta Agatha habuit, quae, cum ob confessionem Christi ad supplicium raperetur, dicebat, se ad choream duci et ad lautas epulas. Sic ecclesia objicitur omnibus malis et cruciatibus, et singuli christiani aut conjiciuntur in carcerem, aut obruuntur tristitia, vexationibus, martyriis, patiuntur tamen omnia haec in laetitia conscientiae, quia Spiritus sanctus est cum eis, faciens eos irridere iram et furorem mundi et totum diabolum cum omnibus suis terroribus, ut pericula cum gaudio quodam adeant.

Qui igitur fit, quod christiani perdurant in tot tentationibus, cruciatibus internis et externis, nec tamen negant Christum? Nempe quod sentiunt se esse in cultu sui regis Christi, et adduci cum pompa ad eum. Sic ego quoque ne quidem unum sermonem publice facerem, nisi talibus promissionibus animarer, quod Christus vivit et est dominus noster. Haec enim pariunt certam fiduciam, ut sic cogitemus: Si hoc est verum, quod Christus est dominus noster et rex, ergo sive occidamur sive spoliemur, sic laeto et infracto animo. Haec est allegorica chorea, de qua propheta hic dicit, in qua est laetitia nec naturalis nec carnalis, sed supernaturalis et spiritualis, vincens terrores mortis, et ridens furias inferni et Satanae ac membrorum ejus. Ecclesia enim erudiri debet fide, ea est vestis aurea, deinde ornari caritate et patientia, ut in tribulatione glorietur, ut cum aliquis persecutionem patitur propter verbum, dicat: Recte, hoc ipsum quaesivi mea praedicatione, ut mundum et Satanam in me concitarem, non igitur ideo desistam. Sic recte saltatur haec chorea.

Paranymphi, qui ducunt reginas, sunt ministri ecclesiae. Illi consolantur eam, dicunt ut sit laeto animo, videri quidem carni hanc esse mortem, sed revera vitam esse, videri nobis desertos nos a Deo in cruce, sed tum maxime a Deo amari et custodiri. Quos enim diligit, castigat, ut sic ex cruce salutem, ex morte vitam, ex infamia gloriam, ex patientia voluptatem faciat, sicut Paulus loqui solet: „In omnibus tribulationibus patimur, sed non angustiamur, perturbamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur, sed non perimus. Semper mortificationem domini Jesu in corpore nostro circumferimus, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris etc." 2. Corinth. 4. Sic paranymphi ducunt ecclesiam, ac verbis fidei

et consolationibus Spiritus sancti confirmant, et erigunt eam: Sustine ac confide. Sed est magnae artis, scire quod haec christianorum chorea sit, quando cor palpitat in acerbissimo odio mundi, in vexatione diaboli et peccati, sicut Paulus queritur de stimulo et angelo Satanae. Est dura chorea et carni impossibilis, faciendum tamen, ut ipsos nos cohortemur, et dicamus sicut ille: Hic fac saltum. Promissiones sunt tibiae, ministri verbi sunt saltatores, qui ducunt puellas. Haec duo possunt acerbam hanc choream mitigare. Neque enim aliud gaudium habet ecclesia, quam verbum. Sic voluit Spiritus sanctus hac laeta pictura adumbrare ecclesiam afflictam. Quando igitur es in aliqua chorea, tunc cogita: Ecce haec puella incedit in allegoria alicujus vexatae ecclesiae et crucifixae. Choragus est pastor, tibiae sunt promissiones Christi et angeli. Sed hi sunt spirituales oculi, qui in tribulatione haec spectant. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.

Hic egreditur extra synagogam, et dicit de nepotibus hujus regis, quod non tantum habebit regnum in populo judaico, sed in omni terra, per totum mundum, quod baptisterium suum, suggestum suum, ex quo doceat apostolos et doctores suos, habiturus sit Christus in civitatibus et pagis, etsi vix unus aut alter ibi sit, qui credant. Sic nomen Christi, sic altare, in quo administratur sacramentum, manet, nec solum durabit in latitudinem, sed longitudinem temporis quoque, ut Christus et nomen ejus in omnibus angulis per totum orbem inveniatur. Sic sub Turca etiam sunt, qui fidem Christi et baptismum habent, et eandem vestem auream et dona, licet sint oppressi a Turca. Sic sub papatu semper fuerunt et adhuc sunt aliqui credentes, quos nos ignoramus, quos Deus per verbum et

sacramenta servat invito diabolo et papa. Sic salus quidem est ex Judaeis, et sunt Judaei patres, sicut eos hic appellat. Quia autem nolunt assentiri evangelio, eorum loco alii filii nascuntur. Nam gentes conversae ad fidem sunt, et Christo adhaerent, insitae in oleam, cujus rami fracti et concisi sunt, sicut Paulus dicit.

Constitues eos principes etc.

Miseri vero principes, sicut quoque vocat regnum et filios regis et reginam, sed omnia sunt valde occulta et abscondita ab oculis hominum. Ideo appellatur mysterium, item regnum coelorum, et principes coelorum, non autem regnum et principes terrae. Sic apostoli et omnes ministri sunt episcopi. Quis autem nostrum hoc audet credere, et sibi arrogare, se esse unum de principibus coelorum? et tamen sic est, ego et omnes alii pii ministri sumus principes. Videtur autem immanissima superbia esse, haec sibi arrogare, sed non est superbia, redundat enim in gloriam regis. Quia enim ipse est rex gloriae et coelorum, ideo qui ejus ministeria obeunt, illi sunt ei a consiliis et magni principes, etiamsi non credant se tantos esse. Sicut enim Carolus caesar suos electores, Turca suos satrapas, papa suos cardinales habet, ita etiam rex noster magnos principes habet ministros. Augustinus est quidam princeps *) elector in coelis, sic Quadratus, Irenaeus et alii etiam sunt principes et comites, sic nos qui hodie docemus evangelion. Sed coram mundo sumus contemtissimi et fere filii mortificatorum, peripsemata, catharmata, abominationes et opprobrium hominum, maledicta et abjectio plebis. Tales sumus si nos existimemus eo modo, quo nos existimant rustici, nobiles, principes et sapientes mundi, sed non debemus eorum judicium de nobis sequi, sed potius occidi, quia, si

*) In edit. princip. leg.: principes.

recte aestimo quis sim, invenio me esse baptisatum, et constitutum divinitus in ministerium Dei, quare sine dubio invenior ego quoque inter ordines hujus imperii.

Sic pertinent haec ad nostram consolationem, ut videamus et sentiamus ecclesiam magni fieri in oculis Dei, et esse reginam quandam regni aeterni, victricem mortis et peccati, beneficio sponsi et regis sui, et nos esse in regno, in quo est imperium contra mortem et diabolum, habere etiam regem nostrum suos electores, principes, comites etc. In horum numero nos quoque esse volumus, et gloriari de tanta dignitate, licet pauperes simus in mundo, licet tam nobiles quam rustici nos conculcent et conspuant, sed in oculis Dei, ubi sunt principes infinito majores quam principes mundi, ibi alius comes, alius dux, alius princeps elector est.

Rident quidem nos potentes mundi, cum talia ex nobis audiunt, et cum ludere volunt nostrorum parochorum inopiam, vocant eos episcopos Lutheranos, sicut quidam in hoc faceti esse volunt, ut, cum contemtissime de nobis loqui volunt, dicant: Est theologus, quod nomen tantum eis significat, ac si dicant: Fatuus et nescio quid. Sed sint beati, colligant opes et existimationem, videbunt tamen judicium Dei suo tempore, quod verum sit, quod hic propheta dicit: „Constitues eos principes." Quin pars hujus dignitatis etiam in hac vita incipit. Hoc enim neque principes ulli, nec papa, nec juristae possunt, ut de uno genere vitae docere possint, quale sit coram Deo, sicut vidimus ante hanc lucem verbi, quod in extremo mortis articulo, de genere vitae tanquam impio dolebant et querebantur. Neque tamen dubium est, quin illi, qui leges condiderunt, et docuerunt, tantum valuerint*) ingenio et

*) In ed. Orig.: valuerunt.

prudentia, quantum isti hodie valent, qui theologiam sic rident, et tamen hoc, quod non est maximum, nesciverunt, ut de vitae generibus possent discernere. Idem nesciverunt etiam ii, qui scripserunt libros philosophicos. Quando igitur opus est, ut judicetur de causa aliqua coram Deo, ibi nulla sapientia, leges nullae, nulla philosophia judicare potest, sed tantum ille princeps spiritualis, de quo hic dicit, ab illo coguntur requirere et audire consolationem, rogare absolutionem, et alia spiritualia officia. Tum humiliari eos necesse est, et subjici pedibus horum principum, etiamsi sint maximi reges et sapientissimi homines. Porro optabilius est, coram Deo esse gubernatorem trium pagorum in judicio spirituali, quam esse imperatorem Turciae. Neque enim mentitur Spiritus sanctus, vocans eos principes divinitus constitutos.

Habetis igitur jam totum hunc regem praeclare descriptum, cum omni administratione regni, et propagatione usque in aeternum. Jam concludit carmen. Cesset jam Moses, inquit, nihil aliud porro praedicetur et doceatur, quam hic rex, qui sic est salvificus, de illo uno canamus. Concludit igitur eodem modo, quo coepit et coronam, quam nexuit et absolvit, hic colligat, quasi dicat: Sicut dixi me canere velle de rege initio, eumque praedicare, ita etiam in fine cano, et praedico eum. Memor ero nominis tui domine in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum et in saeculum saeculi.

Quasi dicat: Hic erit vir ille, qui canendus, docendus, praedicandus, laudandus est in aeternum, cujus nomen nunquam silebitur. Memor ero sic nominis tui domine, ut lauderis et celebreris in aeternum. Hic est unicus et praestantissimus cultus novi testementi cele-

brare, laudare illum filium Dei, canendo, scribendo, praedicando. Hic cultus est simul sacrificium laudis et mortis. Nos enim ob hunc cultum, ob praedicationem hanc patimur et occidimur. Porro quia dicit, memorare nomen domini esse unicum cultum, abrogatur et damnatur Moses, et quidquid usquam est philosophicarum doctrinarum, ut in ecclesia tantum sonet vox sponsi, et fiant gratiarum actiones et laudes huic regi. Hoc debet fieri et fit, nec cessabit, donec consumetur saeculum, cum veniet hic rex noster, et se nobis ostendet de facie ad faciem. Interim regnamus nos principes sola praedicatione et ministerio verbi, item consolationibus et sacramentis, atque hoc est, memorare nomen domini. Rideat interim nos mundus, quod nihil habeamus praeter nudum verbum, et simus *) afflictissimi et miserrimi, nos tamen exspectabimus regem nostrum, cujus nuptiae cum finitae erunt, videbimus, ut in conclave ejus introducamur, et ibi cum eo maneamus et vivamus in sempiternum, amen.

ENARRATIO IN PSALMUM XC. (1541.)

Hanc enarrationem in psalmum XC, quam Lutherus anno 1534 auditoribus academicis praelegit, Vitus Theodorus cum praefatione ad D. Joannem Hessum, praedicantem Vratislaviensem Vuitebergae anno 1541. in lucem edidit. Cujus duplex versio exstat germanica, altera quidem, quae textum originalem accurate reddens Norimbergae sine anno et nomine, altera vero Joannis Spangenbergii a textus latini verbis plane declinans sensumque corruptum exhibens anno 1546. Vuitebergae prodiit. Quarum illa Lipsiensi atque Walchianae, haec Vuitebergensi et Altenburgensi Lutheri

*) In edit. orig. sumus.

operum collectioni inserta est. Multa ex hac enarratione Seckendorfius excerpsit in commentarii de Lutheranismo lib. III. Sect. 24. §. XCII. p. 374. 375.

Editiones vetustissimae.

1) Enarratio Psalmi XC. per D. Doctorem Martinum Lutherum in Schola Vitebergensi, Anno. 1534. publice absoluta. [Cum praef. Viti Theodori Nor. ad Doct. Johannem Hessum Theol. D. et Ecclesiae Uratislaviensis Pastorem.] Vitebergae. M. D. XLI. 8. (v. d. Hardt I, 412 et II. 239.)

2) Der Neüntzigst Psalm. Ein Gepet Mosi was sterben sey, vnd wie man dem todt entpfliehe, aussgelegt durch D. Mart. Luther. Gedruckt zu Nürnberg bey Christoff Gutknecht. 8. Plagg. in 4to. Ultima pag. vacua. Inscriptio figuris circumdata.

3) Das Gebet Mose, des Mans Gottes. Der XC. Psalm Durch D. Mart Luther. jnn. Latinischer sprach ausgelegt, vnd jtzt verdeudscht, Durch, M. Johann Spangenberg, der Keiserlichen Stad Northausen Prediger. Infra. Lutheri imago cum hac inscriptione: MARTINVS LVTERVS. Sinistra parte Numerus 15, dextra 46 conspicitur. In fine legitur: Gedruckt zu Wittemberg, durch Georgen Rhaw. M. D. im XLVI jar. 22¾ Plagg. in 4to. Inscriptio sine figuris.

In collectionibus.

Vuiteb. III. 491. — Jen. IV. 512. (omissa V. Theodori praefatione). — German. versio Spangenbergii: Vuiteb. III. 419. — Atenb. VIII. 164. — Norimbergensis vero: Lips. VI, 313. et Walch. V. 1080 Nos textum V. Theodori Nr. I.) repetiimus.

OPTIMO ET ORNATISSIMO VIRO,

D. JOANNI HESSO,

S. THEOLOGIAE DOCTORI, ET ECCLESIAE VRATISLAVIENSIS PASTORI FIDELISSIMO VITUS THEODORUS NORIBERGENSIS

S. D.

Saepe ostendis, mi Hesse, te non solum delectari eo labore, quem hactenus in editionem eorum psalmorum posui, quos D. Doctor Martinus Lutherus in publica schola praelegit, sed etiam adjuvari ecclesiam. Etsi autem ego quoque in ea sententia sum, ut existimem has sanctas operas D. Lutheri dignissimas esse luce, ut ab omnibus pietatis studiosis possint legi, tamen saepe deterruere me tum judicia aliorum tu mea, cujus mihi conscius sum, ingenii imbecillitas, nam temeritas videtur, velle in aliorum laboribus ingeniosum esse, quibus par esse non possis, et ego cum relego haec, quae hactenus edidi, mire mihi displicere soleo, quod nequaquam video eam suavitatem, copiam et elegantiam, quam sensi, cum praelegentem D. Lutherum audirem. Itaqué constitueram mecum, ab hoc instituto discedere, et hos labores relinquere aliis, qui et sacrarum literarum majorem usum habent, et eloquentia ceterisque ingenii dotibus instructiores sunt, praesertim cum ipse Lutherus aequo animo patiatur haec non vulgari.

Ecce autem, cum haec ita animo fixa sunt, amici, quos Vitebergae habeo, novas operas mihi imponunt, et volunt etiam genesin, sicut nunc a Luthero praelegitur, a me describi, ac mittunt simul exemplar commentariorum, quos ipsi pro usitata diligentia ex legentis ore exceperunt.

Multis modis res haec difficilis mihi visa est, nam quae hactenus a me edita sunt, ipse audiveram et exce-

peram, ac inter describendum ipsum D. Lutherum mihi videbar audire, itaque et laboris minus erat, et plus voluptatis objiciebatur. Vere enim nulla suavior et jucundior cogitatio animum meum subire potest, quam cum de praeceptoribus meis, Luthero, Philippo et aliis, cogito, quos ad annos quatuordecim audivi, et cum quibus vixi familiarissime.

At in describenda genesi non tantum hoc incommodi videbam, quod ipse Lutherum non audiveram, sed quia aliena manus sequenda erat, etiam in eo plurima videbatur difficultas fore. Itaque serio ab amicis contendi, ut me levarent hac molestia, et ipsi hanc operam sumerent, quibus sua manus esset notior, et qui Lutherum audivissent. Sed dum nullum rogandi et urgendi finem faciunt, promisi me facturum primo periculum, deinde si minus difficultatis, quam animo praesumseram, objiceretur, ipsorum monitis obtemperaturum esse.

Cum autem D. Lutherus, priusquam genesin susciperet tractandam, orationem Mosi, quae inter psalmos Davidis exstat, explicarit, existimavi ab ea faciendum exordium. Etiam eam ob causam, quod nihil in tota scriptura est, quod hujus vitae miseram conditionem et calamitates hominum tum corporales tum spirituales explicet diligentius. Hic enim diserte docemur, per peccatum Adae totum genus humanum irae Dei subjectum, et morti, ac omnibus reliquis calamitatibus hujus vitae obnoxium esse factum. Solam autem hanc esse reliquam salutis rationem, quod dominus Deus agnoscentibus sua peccata, et rogantibus ac per Christum sperantibus veniam, velit ignoscere.

Facit itaque Moses hic, quod alienum est ab officio suo, nam non solum terret commemoratione irae Dei et mortis, sed etiam ostendit spem salutis, et Deum

facit talem Deum, qui non velit peccatores perdere, sed servare et eis ignoscere, atque hoc modo pulcherrime conjungit doctrinam leges cum evangelio, sicut sunt haec necessario conjungenda, quoties de salute sua institui homines debent. Sed ineptum est, quod commemoro, quae in explicatione D. Lutheri lector abunde cognoscet, de occasione tantum hujus editionis volui dicere.

Hanc operam, mi Hesse, tibi potissimum dedicandam esse existimavi, non solum ratione communis patriae et ministerii, sed etiam ut referam tibi gratiam aliquam pro illa jucundissima consuetudine, qua proximo anno inter nos in patria usi sumus. Quare oro, ut hoc officiolum boni consulas, meque usitata benevolentia prosequare.

Christus te in sui nominis gloriam et ecclesiarum salutem gubernet ac servet, amen. Datae Noribergae ex parochia Sebaldina, idibus Junii. 1541.

ENARRATIO PSALMI XC.

Per D. Doctorem Martinum Lutherum in schola Vitebergensi anno 1534. publice absoluta.

Praefatiuncula.

De officio nostro, quos Deus ad docendas ecclesias vocavit, saepe dixi, quod, cum post mortem nostram satis multi futuri sint, imo hodie satis multi vivant, qui theologiam et omnia studia contemnant, necesse est esse aliquos, qui Deum laudent, et verbum ejus longe lateque propagare conentur. In hoc curriculo siquidem nobis decurrendum est, donec absolva-

mus cursum nostrum, et constitutam metam salutis nostrae attingamus, certo consilio post multos psalmos explicatos nunc hunc Mosi psalmum decrevi enarrare, et ita reliquum vitae, quod dominus mihi dabit, in Mose explicando consumam. Quia enim Moses fons est, ex quo prophetae sancti et apostoli quoque sapientiam divinam Spiritus sancti beneficio hauserunt, non possumus operam nostram melius aut rectius collocare, quam si nos quoque ad hunc fontem deducamus discipulos, et pro virili nostra ac modo doni nostri ostendamus semina divinae sapientiae, quae per Mosen Spiritus sanctus sic sparsit, ut nulla ratio, nulla vis humani ingenii Spiritu sancto destituta videre aut intelligere ea possit. Sed priusquam vel ad titulum vel ipsum psalmum perveniamus, paulo copiosius de argumento praefandum est.

ARGUMENTUM PSALMI.

Universum genus humanum ita lapsum et excaecatum est peccato originis [1]), ut homo non solum se et Deum ignoret, sed ne calamitates suas, quas sentit et patitur, has nec unde sint intelligit, nec videt, quo redeant. Tanta est miseria illa, quam ex peccato contraxerunt nostri primi parentes, et in posteros propagarunt. Nam vide illam gravissimam et horribilem poenam, quae est mors, et tantis calamitatibus inundat in totum genus humanum, quam stulte de ea sapientissimi homines disputarunt [2]), dum alii suadent, ut contemnatur, sicut ille dixit: Summum nec metuas diem nec optes, alii dum sentiunt, nimis esse gravem

1) Peccati originis vis etc. 2) Disputationes gentilium de morte.

rem, eo inducunt homines, ut praesentibus voluptatibus ad leniendum malum hoc indulgeant liberius, sicut exstat notus sed depravatus versiculus ex Sardanapali epitaphio sumtus: Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Sic sapientes mundi, dum poenae peccati mederi volunt, in majora peccata involvuntur. Neque enim mors contemnendo vincitur, sicut latrunculi et milites putant fortitudinis specimen se edere, cum etiam per jocum pestem, pustulas gallicas, et similes calamitates aliis imprecantur. Alia arte, aliis remediis opus est.

Fere idem recentiores theologi faciunt[3]), cum exemplo gentilium disputant in funebribus orationibus, non esse dolendum tanquam in re mala, mortem esse portum quendam, in quem conclusi, tuti simus a laboribus et calamitatibus, quibus haec communis vita subjecta est. Porro haec extrema est caecitas, et miseria alia, superaddita peccato originis, quod ipsum peccatum et mortem cum reliquis calamitatibus generis humani sic extenuamus, et pugnamus contra communem sensum, contra ipsam experientiam, ac nobis blandimur levissimis et vanissimis cogitationibus. Non enim iste est modus disputandi de morte, sed sunt, ut sic vocem, gentiles caecitates et fructus peccati originis, quod sua mala defendit non esse mala, cum tamen diversum sentiat et experiatur.

At Moses noster longe aliter in hac psalmo de morte disputat[4]). Hoc enim primum agit, ut mortem et reliquas hujus vitae calamitates quam potest maxime exaggeret. In ea re secundum officium suum legale est Mosissimus Moses, hoc est, severus minister mortis, irae Dei et peccati. Egregie igitur fungitur

3) Recentiores theologi. 4) Quomodo Mose de morte disputet.

officio legis, et pingit mortem horribilissimis coloribus, quod ira Dei sit, qua occidimur [5]), imo ostendit nos jam ante occisos et ingentibus calamitatibus oppressos, ac utitur hic nova rhetorica, vocans mortem iram Dei [6]). Addit ex sua dialectica causam efficientem et finalem mortis et omnium calamitatum hujus vitae, opponit nobis Deum iratum. Quis, inquit, norat tantam esse potestatem irae tuae? Nam quod morimur, accidit ex intolerabili ira Dei adversus peccatum. Porro, si respicias ad consequentia, facile intelliges eum non simpliciter loqui de morte corporali [7]), si enim ea sola exspectanda esset, diceremus cum poeta: Summum nec metuas diem nec optes. At nos sustinemus aeternam mortem, siquidem iram Dei, quae a nobis vinci nequit, sustinemus. Ad hunc modum de morte disputat Moses tanquam legislator contra induratos et insensatos peccatores. Qui autem conspectu peccatorum suorum et mortis territi sunt, hos suo exemplo docet orare, ut Deus ostendat illis numerum dierum esse brevem, etc.

Argumentum itaque psalmi est, quod Moses in hoc psalmo vult perterrefacere induratos et securos Epicuraeos, qui sibi hoc negotii dari putant in hac vita, ut iram Dei et mortem contemnant, et vivant sicut bruta, quibus nulla post hanc vitam spes est reliqua. His ostendit Moses, quod mors sit aeternus tyrannus, ut hoc modo perterrefacti discant calamitates suas intelligere, et etiam accendantur desiderio medicinae, quae in his extremis difficultatibus adhibenda est. Terret igitur primo, non ut perdat, aut in desperatione relinquat, sed ut territis et non amplius securis ostendat consolationem, et det locum re-

5) Mors ira Dei. 6) Mors ira Dei. 7) Moses loquitur de morte aeterna.

spirandi. Ita conjungit evangelii doctrinam cum lege, quanquam evangelium tractat paulo obscurius. Nam haec praedicatio reservanda erat domino nostro Christo Jesu et tempori novi testamenti, Mosen autem oportuit esse Mosen. Itaque evangelium parcius attingit, ut ea gloria maneret integra meliori magistro, de quo pater dicit: „Hunc audite."

Haec duo sunt in hoc psalmo praecipue observanda, primum, quod amplificat tyrannidem mortis et irae Dei, cum ostendit aeternae morti esse subjectam naturam humanam, ut scilicet duros et incredulos contemtores Dei terreat, secundum, quod orat pro remedio contra desperationem, ne homines relinquerentur in desperatione. Est igitur utilissimus psalmus, in quo audimus Mosen in suo proprio officio terrentem peccatores, et tamen obscure significantem redemtionem, ut scilicet humiliet superbos, et humiliatos consoletur.

DE TITULO PSALMI.

Jam facilis est titulus: „Oratio Mosi." Hieronymus inter cetera in hoc psalmo annotat, quod hic perpetuus mos sit psalmorum, ut semper decem sequentes psalmi pertineant ad eum auctorem, cujus manifestum nomen in praecedenti psalmo positum est. Hoc fortasse ex rabbinorum traditione dixit. Mihi autem non est dubium, hunc unicum psalmum esse Mosi, et non sequentes, qui carent titulis. Nam epistola ad Ebraeos aperte dicit [8]) de psalmi 95. versu: „Hodie, si vocem ejus audieritis etc.," quod per Davidem Deus haec locutus sit. Quare sentiamus Hieronymum Judaeorum figmentum esse secutum. Praesentem autem psalmum Mosi esse,

---

8) Cap. 4.

non titulus tantum, sed ipsa dictio, res ipsae et tota theologia ejus arguit. Vocatur autem Moses vir Dei [9]), quod peculiariter a Deo sit missus ad docendam legem in populo. Qualis autem est Moses alias in docenda lege, talis hic est in orando. Est minister mortis, peccati et damnationis, ut terreat superbos et in peccatis securos, eisque clare ob oculos ponat sua mala, nihil dissimulet nec occultet, sicut in hac oratione videbimus eum facere. Paulus appellat Timotheum quoque hominem Dei [10]), sed hujus appellationis paulo alia ratio est. Nam vocabulum אִישׁ [11]) non simpliciter virum significat, sed saepe usurpatur pro magistratu, qui publice vir est, hoc est, qui est in publico officio, sicut in regum libro: „Mors in olla, vir Dei,“ hoc est, qui es constitutus publice in officio, quod Dei est, qui es organum Dei, cujus dicta et facta accipiuntur tanquam per ipsum Deum edita. Ad hunc modum hic intellige appellationem viri Dei [12]), quod Moses tale officium habeat a Deo demandatum, ut ei docenti non minus quam ipsi Deo habeatur fides.

Complectitur itaque titulus haec tria, personam, auctoritatem et opus. Auctoritas est, ut cum Paulus vocat se servum domini Jesu Christi, ea non superbia est, sed necessaria commendatio sui verbi et officii. Sic Moses non per superbiam se appellat virum Dei, sed quia id ministerium a Deo demandatum postulat, ut ei non aliter, quam Deo concionanti credatur. Sed inquies: Tamen ad aquas contradictionis peccavit, igitur non est tutum prorsus ei credere. Respondeo [13]): Verum est, quod peccavit, sed singulari judicio Dei etiam est castigatus, et indicatum est simul, quid

9) Moses vir Dei. 10) Homo Dei. 11) אִישׁ. 12) Vir Dei. 13) Auctoritatem docendi publicam Moses non amisit per privatum peccatum.

esset peccatum, quid non. Ubi punitus est, ibi prohibuit Deus, ne crederetur ei. Sed ubi non est punitus, ibi manet Mosis legatio et auctoritas, ibi manet ejus vocatio integra, manet organum divinum. Quicunque igitur eum contemserit, contemnit Deum. Sic David[14]) mansit vir Dei seu rex, non obstante peccato ejus seu lapsu, etsi enim peccavit, tamen mansit ei sua vocatio integra. Sic nos quotidie possumus labi, sed ministerio seu verbo nihil derogatur per peccatum nostrum, quanquam nostra vocatio nescio an cum illorum vocatione possit conferri. Sic hujus Mosis facta et dicta sunt divina judicanda, et habenda pro dictis Spiritus sancti, melius intelligentis nostra mala, quam nos ipsi. Gentes quoniam ea non intelligunt, in quibus vivunt et moriuntur, quae experiuntur et sentiunt, quomodo intelligerent, quae ad Deum pertinent? Sentiamus igitur hunc psalmum ab ipso Spiritu sancto factum et nobis propositum esse, in quo docet nos de nostris calamitatibus, quas non appellat infirmitatem aut morbum, sicut quidam mathaeologi, nec disputat sicut sophistae de fomite, sed docet sicut vir Dei, cui tanquam ipsi Deo concionanti credendum est.

Admonet autem nos etiam titulus psalmi, quod oratio inscribitur regulae, quae in theologia necessaria et plena consolationis est[15]), nempe quod, ubicunque agitur de praeceptis seu operibus primae tabulae, ibi obscure significatur resurrectio mortuorum, secundum Christi pulcherrimam et eruditissimam sententiam: „Deus non est Deus mortuorum, sed vivorum.“ Etsi igitur Moses ministerio suo occidit, dum peccatum et ejus poenas ostendit, tamen quia hunc psalmum nominat orationem, obscure, quanquam certis ver-

---

14) David. 15) Regula observatu digna.

bis ostendit etiam remedium contra mortem[16]), sicque superat duplici nomine omnium gentium scripta. Aristoteles sentit, sicut monachi, meditationem mortis esse remedium, quod mortem tolerabiliorem faciat. Sed si rem recte aestimaverimus, praestat plane Epicuraeum esse, quam mortem meditari, si desit altera pars, scilicet, post iram spes illa vitae et misericordiae. Hac sublata praestat edere, bibere, et curare cuticulam, quam se frustra macerare curis ejus mali, quod vitari non potest, praesertim cum cogitationes illae, si sint sine spe remedii, concitent animos ad iram erga Deum, ad blasphemiam et impatientiam. Verum enim est, quod Cato dixit: Qui metuit mortem, etiam id quod vivit, perdit. Indigna igitur est sapientia haec humano generi, praesertim cum tantum calamitatum afferat. Altius nobis adscendendum est, et dirigendi oculi ad divinam sapientiam, quam hic Moses tradit, qui sic mortem amplificat, sicque terret, ut tamen subindicet quoque spem esse reliquam, ne, qui territi et humiliati sunt, in desperationem inducantur.

Ad hunc modum gentes docere non possunt, sed solus Spiritus sanctus, nec nascitur haec notitia domi nostrae, sed a viro Dei eam oportet accipi. Mortis tanta vis est[17]), ut nos, priusquam sentimus, devoret. Quare oportet accedere aliam lucem, de coelo revelari oportet, quomodo in hoc periculo animi sint*) erigendi. Gentes quidem rhetoricantur, sicut Cicero[18]) in Tusculanis suis, sed verum et certum remedium ostendere non potest. Nam etiam inter disputandum apparet, quam non ipse sibi hoc persuadeat, quod aliis persuadere conatur. Quod igitur Moses titulum psalmo fecit, esse orationem, hoc ipso nomine subindicat, esse

16) Vocabulum orationis ostendit reliquam esse spem vitae contra mortem. 17) Mortis vis. 18) Cicero.
*) In edit. orig.: sunt.

opem vitae reliquam. Quid enim est orare [19]? An non est quaerere opem? Quid est porro ad Deum orare in periculo peccati et mortis? An non est sentire, quod apud Deum sit locus veniae, et certum auxilium contra ista exitialia mala? An non orare contra mortem est sperare vitam? Qui enim de vita desperat, plane nihil orat, tanquam in deplorato negotio. Ita vera est regula [20], quod, ubicunque agitur de praecepto primae tabulae, seu de operibus primae tabulae (sicut oratio est opus primae tabulae), ibi necessario includitur fides et spes resurrectionis mortuorum. Hanc theologiam docuit nos Christus elicere ex simplicissimis scripturae verbis, cum dicit [21]: „Ego sum Deus Abraham, Isaac, Jacob. Deus autem non est Deus mortuorum, sed vivorum.“ Quicunque igitur hunc Deum colunt, qui in eum credunt et orant ad eum, hi etiam in morte vivent. Quare? Quia scilicet non colitur, non creditur, non adoratur Deus mortuorum, sed vivorum. Ideo cultus Dei, fides et oratio vere includit articulum resurrectionis et vitae aeternae.

Haec nemo in primo praecepto suspicatus esset ostendi, nisi doctor noster de coelo veniens nos admonuisset. Neque enim prima tabula est tradita brutis, nec hominibus in aeternum mortuis, sed hominibus habentibus Deum, qui ipsi quoque cum Deo in aeternum sunt victuri, Deus enim non est Deus mortuorum, sed vivorum. Oratio est opus secundi praecepti, ea si fit sine Deo, non est vocanda oratio. Cum autem Moses hunc psalmum inscribat, quod sit oratio, sequitur, quod et ad Deum oret, et oret in spe et fiducia remissionis peccatorum et vitae aeternae. Sic in ipso titulo ostendit remedium contra horribilem doctrinam de morte, et

19) Orare ad Deum. 20) Regula theologica. 21) Exo. 3.

sic utrumque temperat, ut neque isti desperent, qui hac doctrina sunt territi, nec alii indurentur et securi fiant. Conjungenda enim haec sunt, ut securi terreantur, et pavefacti erigantur et animentur, dum jubentur exemplo Mosi credere et orare. Legis vox[22]) terret, cum occinit securis: Media vita in morte sumus, at evangelii vox[23]) iterum erigit et canit: Media morte in vita sumus. Haec de argumento et titulo psalmi, ut admoneatur auditor, de qua re agatur, quis et qualis auctor sit, et quod sit ejus opus, oratio scilicet. Nunc ad psalmum veniamus.

PRIMUS VERSUS.

Domine habitaculum tu es nobis, a generatione in generationem.

Hoc exordium etiam spirat vitam, et pertinet ad certam spem resurrectionis et vitae aeternae, siquidem Deum, qui aeternus est, vocat nostrum habitaculum, seu ut clarius dicam, locum refugii, ad quem confugientes in tuto simus. Si enim Deus est nostrum habitaculum, et Deus est vita, nos autem habitatores, necessario sequitur, nos esse in vita et in aeternum victuros esse[24]). Haec omnia virtute primi praecepti scimus consequi optima et certissima consequentia. Quis enim Deum vocabit habitaculum mortuorum? Quis eum pro sepulchro aestimabit, aut pro cruce? Vita est, itaque quibus est habitaculum, hi quoque vivent. Ad hunc modum Moses in ipso statim exordio, priusquam horribiliter tonare et fulminare incipiat, prae-

---

22) Lex. 23) Evangelium. 24) Moses vocat Deum habitaculum hominum, Deus autem est Deus vivorum, ergo homines beneficio Dei a morte liberabuntur.

munit pavidos, ut statuant Deum esse vivum habitaculum viventium, orantium ad eum, et confitentium in eo.

Est autem mirabilis locutio, cujus simile nusquam est in sacris literis, quod Deus sit habitaculum[25]). Quin scriptura in aliis locis diversum dicit, vocat homines templa Dei, in quibus Deus habitet. „Templum Dei, inquit Paulus, intra vos est.“ Hoc invertit Moses, et dicit nos esse habitatores et dominos in hac domo. Nam ebraea vox מָעוֹן[26]) significat proprie habitaculum, ut cum scriptura dicit: „In Zion est habitatio ejus.“ Ibi vertitur hoc vocabulo מָעוֹן. Quia autem domus propter tutelam est, fit ut vocabulum hoc exponatur pro refugio aut loco refugii. Voluit autem Moses data opera sic loqui, ut ostenderet omnem spem nobis in Deo certissime esse positam, et oraturi ad hunc Deum statuerent se non frustra in mundo affligi, nec mori[27]), siquidem Deum habeant locum refugii et divinam majestatem tanquam habitaculum, in quo tuti acquiescant in aeternum. Ad hunc modum fere Paulus loquitur, cum in Coloss.[28]) dicit: „Vita vestra cum Christo abscondita est in Deo.“ Multo enim clarior et luculentior sententia est, cum dico credentes in Deo habitare[29]), quam quod Deus in ipsis habitet. Habitavit quoque corporaliter in Zion, sed locus mutatus est. At quod in Deo est, manifestum est, quod non mutetur nec possit transferri, Deus enim ejusmodi habitatio est, quae perire nequeat. Voluit itaque Moses certissimam vitam ostendere, cum dixit Deum esse habitaculum nostrum, non terram, non coelum, non paradisum, sed simpliciter Deum ipsum, idque

A generatione in generationem.

Hoc est, a principio mundi usque ad finem mundi

25) Deus habitaculum hominum. 26) מָעוֹן. 27) Piorum consolatio. 28) Col. 3. 29) Credentes in Deo habitant.

nunquam deseruit Deus suos[30]). Adam, Eva, patriarchae, prophetae, reges pii dormiunt in isto habitaculo. Si enim cum Christo nondum (ut puto) resurrexerunt, quiescunt quidem corpora eorum in sepulchris, at vita eorum cum Christo in Deo abscondita est, et revelabitur cum gloria in ultimo die. Ad hunc modum Moses, si non clare satis, tamen significantibus verbis ostendit resurrectionem mortuorum et spem vitae contra mortem. Christo enim proprie reservari debuit, ut palam in novo testamento remissionem peccatorum et resurrectionem mortuorum praedicaret, quae in veteri testamento quibusdam ceu involucris proposita fuerunt. Moses quidem attingit ista et ceu digito monstrat, sed postea in inculcanda ira est copiosior et apertior. Hoc enim praecipue studet efficere[31]), ut discant homines Deum timere, et territi ira Dei et morte humilientur coram Deo, et praeparentur ad gratiam. Impossibile enim est hominem permoveri ad timorem Dei, nisi ostensa prius ira Dei. Haec autem quomodo potest ostendi, nisi peccatum ostendatur, quod postea, ut Paulus dicit, operatur iram? Sic ad montem Sinai populus coepit metuere ab illis tonitruis et horribili tempestate, quae admonebant eos peccatorum, et faciebant eis majestatem divinam intolerabilem. Haec humiliatio seu timor ille domino gratus fuit. Ad hunc enim modum cum hominibus induratis et securis agendum est, qui verbum Dei et tum poenas omnes impietatis tum praemia pietatis negligunt.

Ideo Paulus quoque jubet recte secari verbum[32]), ne confundantur promissiones et minae, sicut Judaei olim solebant, et papistae hodie. Nam Judaei, etiamsi

30) Deus ab initio usque ad finem mundi suis adest. 31) Moses legislator terret. 32) Verbum Dei recte secandum.

omnia dura minarentur prophetae, tamen comminationes illas negligebant, et nitebantur promissionibus. Ad hunc modum exstinguebant timorem Dei, et reddebantur praesumtuosi et intractabiles. Contra in papatu tyrannici doctores [33]) et carnifices animarum omnes iras et increpationes ingesserunt in conscientias afflictas, cum potius erigendae et mollissime fuissent tractandae. Utrimque igitur peccatur, cum verbum Dei non recte secatur. Illa igitur copia, qua postea utetur Moses, proprie pertinet ad eos, quos Paulus ἀπηλγηκότας vocat, qui studiose, sicut feroces milites solent, ex animis ejiciunt cogitationes mortis et irae Dei. Hi non possunt in viam reduci, nisi amplifices eis iram Dei, ut hoc modo radicem germinantem fel et amaritudinem (sicut Deut. 29. scriptum est) praecidas. Contra illa suavissima, quae initio hic commemorat, ad eos proprie pertinent, qui timent mortem [34]), ut discant fidere bonitate Dei, et gaudeant tantum in se vitae et sensus esse, quod agnoscunt peccata sua, nec sunt de eorum numero, qui aut secure negligunt aut rident illa. Hi enim possunt doceri, et praebent se volentes ad accipiendam consolationem.

Ad hunc modum si psalmum hunc accipias, dulcescet, et in omnes partes videbitur utilissimus esse. Mihi quidem saepe accidit in monachatu, ut, cum hunc psalmum legerem, cogerer librum deponere de manibus: sed nesciebam territae menti haec terriculamenta non esse proposita, nesciebam Mosen potissimum induratae et superbae turbae concionari, quae Dei iram, mortem et omnes suas calamitates non curat nec intelligit.

Sed respiciamus hic iterum ad titulum. Inscripsit Moses psalmum hunc, quod sit oratio. Apparet

33) Doctores in papatu. 34) Timentes mortem.

autem hic primam verae et seriae orationis esse virtutem, quod apprehendit spem salutis, et statuit Deum esse propitium, ideoque confidit, in eo esse praesidium contra mortem [35]). Cur enim, nisi hoc ita esset, appellaret eum habitaculum nostrum? Sunt igitur haec verba maximae fiduciae et perfectissimae spei de vita consequenda, siquidem in ipso sensu irae et peccati dicere audet: O domine, quanquam merito irasceris nobis propter peccata nostra, tamen nunquam ita deseruisti genus humanum, quin semper tibi reservaveris ecclesiam, quin eorum fueris habitaculum et portus, qui spem salutis in te habuerunt positam. Haec prima orationis est virtus, apprehendere Deum, quod sit misericors et faveat et juvare velit.

Quis jam neget Spiritum sanctum in suis esse optimum oratorem? siquidem Moses in difficillima causa, qua se et totum mundum coram Deo reum agit, tam apte benevolentiam captat, et judicem causae conciliat, per fidem in misericordiam Dei, quam omnibus saeculis ecclesiae exhibuit. Sine hac fide oratio non potest esse oratio [36]). Quomodo enim orabit ille, qui non putat in Deo tantum bonitatis esse, ut orantes audiat, sed vel contemnit Deum, vel de Deo desperat? cujus generis sunt omnes orationes papatus. Non solum enim in fide orare non possunt, siquidem fidem non intelligunt, sed etiam postea in eo vitiant orationem, quod sanctorum meritis et intercessionibus nituntur. Quare nos hunc doctorem sequamur, qui in Spiritu sancto, hoc est, in vera fide cordis orat, et dicit: **Tu es habitaculum nostrum.** Hoc sine fide, sine dono Spiritus sancti nemo ex corde potest dicere.

Necessaria autem doctrina est, quae in exemplo

35) **Prima orationis virtus apprehendere spem salutis.**
36) **Oratio non potest exsistere sine fide.**

hoc proponitur, quod videmus in oratione vera [37]) necessariam esse fidem. Haec si adest, triumphamus. Nam propter fidem in Christum oratio accepta est, et placet, et impetrat omnia. Si credis Deum esse habitaculum tuum, est tibi vere habitaculum. Si non credis, non est. Quare qui sine fide sunt, non solum sine omni fructu orant, sed etiam vertitur eorum oratio in peccatum, et magis irritant Deum [38]). Blasphemia enim est, venire per orationem in conspectum Dei, et tamen statuere, quod frustra ores, quod non sit te auditurus Deus.

Secunda virtus verae orationis est [39]), quod se vertit ad Deum, non ad alia praesidia carnalia, atque hoc etiam fidei opus est, quae non solum nos conciliat Deo, sed simul etiam tuetur contra omnes impias doctrinas et praesidia humana. Nam hae duae sunt virtutes, habere Deum, et retinere Deum. Qui fidem habet, habet Deum faventem, ideo placent et oratio ejus et omnia reliqua vocationis opera. Sed magna diligentia et cura, imo magno Dei beneficio opus est, ut Deum sic retineamus, et non supplantemur a Satana varie sollicitante nos, si quo modo a vero Deo ad fiduciam humanorum praesidiorum nos possit abducere. Ideo Moses diserte hic dicit: Tu domine es refugium nostrum.

Sed cur addit: „A generatione in generationem"? Nimirum, ut significet unam ecclesiam durantem a principio conditi hominis usque ad finem mundi [40]). Hoc enim est, quod dicit: A quo die generatio seu aetas coepit, tu es habitaculum nostrum, quasi dicat:

---

37) Oratio vera. 38) Qualis sit oratio eorum, qui sine fide orant. 39) Secunda virtus orationis, non respicere ad carnalia praesidia. 40) Ecclesia semper est et manet.

Semper fuit ecclesia, semper fuit aliquis Dei populus, a primo homine Adam usque ad novissimum, licet aliquando ecclesia fuerit infirmissima et sic dispersa, ut nusquam appareret, sicut sub Elia[41]), ubi impius rex Ahab veris cultibus interdixerat et prophetas magno numero crudeliter occiderat, ita ut Elias quereretur se solum esse reliquum servum veri Dei. Fuit igitur ecclesia tum sic abscondita, ut nusquam esset nisi in oculis Dei, qui dicebat, se sibi servasse septem millia, qui non adorarant Baal. Sic in papatu fuit et mansit ecclesia, sed vere abscondita fuit[42]), ita ut judicanti ex specie, quae apparebat, videretur nusquam esse. Atque hoc bene et diligenter notandum est, primum quod semper fuerunt, sunt et erunt, qui confitentur Deum, qui sane docent de Deo, etiamsi sint paucissimi. Secundum, quod ecclesia non est in sanctitate perfecta, sine omnibus scandalis et maculis[43]), sicut papistae somniant. Hi[44]) cum ecclesiam audiunt in symbolo sanctam dici, cogitant de tali populo, qui sit sine omnibus peccatis et scandalis omnibus. Cum igitur postea suum coetum inspiciunt, dubitare coguntur, sitne ecclesia. Cum ad nos respiciunt, et scandala, quibus Satan nostras ecclesias deformat, vident, etiam negant nos esse ecclesiam, nec possunt ex hoc scandalo se evolvere. Idem Donatistarum fuit judicium[45]), lapsos excommunicabant, nec dabant eis reditum in suas ecclesias. Volebant enim ecclesiam esse talem, quae esset sine omnibus vitiis. Necessario igitur redigebantur ipsorum ecclesiae in exiguum numerum. Idem Manichaei[46]) et alii secuti sunt, quasi

41) Ecclesia Eliae temporibus. 42) Ecclesia sub papatu. 43) Ecclesia non est perfecte pura seu sine peccatis. 44) Judicium papistarum de ecclesia. 45) Donatistae. 46) Manichaei.

vero ecclesia esset in vita aeterna, et non in carne. Ad hunc modum de ecclesia non disputandum est. Nam ecclesia vera est, quae orat, et ex fide ac serio orat: „Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris.“ [47]) Ecclesia est, quae de die in diem proficit, quae de die in diem induitur novum hominem, et exuit veterem. Ecclesia est, quae primitias Spiritus, non decimas, multo minus plenitudinem in hac vita accipit. Nondum sumus plane exuti carne et nudi, sed sumus in exuendo et promovendo seu proficiendo. Quod igitur peccati reliquum est, offendit quidem spirituosos Donatistas, Manichaeos, papistas, Deum autem non offendit, quia propter fidem in Christum id condonat et remittit.

Quare cum de ecclesia judicare voles, non respiciendum simpliciter eo est, ubi nulla vitia et scandala nulla sint, sed [48]) ubi est verbum purum, ubi est administratio sacramentorum pura, ubi sunt homines amantes verbi, et confitentes verbum coram mundo. Haec ubi invenis, ibi statue ecclesiam esse, sive pauci numero sint, qui ista habent et faciunt, sive multi. Certum est semper fore aliquos, alioqui enim quomodo fuisset Deus habitaculum nostrum ab aeterno? Ad hunc modum recte disputat alicubi Anselmus, et colligit mirabili, sed tamen bono et vero syllogismo, Adam et Evam fuisse christianos et justos [49]), et quod oportuerit statim a lapsu eos redire per fidem in viam, ne scilicet ullum esset tempus, quo non esset ecclesia, et sane Moses in historia de lapsu ostendit, Adam et Evam statim a peccato poenitentia ductos sibi metuisse. Cum autem postea accederet promissio de semine mu-

47) Ecclesia orat pro remissione peccatorum, ergo non est prorsus sine peccatis. 48) Notae verae ecclesiae. 49) Adam et Eva christiani.

lieris, revera fide in Christum justificati sunt. Fugiebant quidem Deum, metu irae Dei et futurae poenae, sed Deus eos ultro quaerebat et revocabat. Haec fuit prima ecclesia[50]), per verbum regenerata et fide in Christum justificata.

Erudite sane disputantur haec ab Anselmo et vere. Oportet enim ecclesiam semper manere et esse, sicut etiam Moses hic indicat, cum Deum dicit esse habitaculum hominum a generatione in generationem.

SECUNDUS VERSUS.

Priusquam montes nascerentur, aut crearetur terra et mundus, es tu Deus ab aeterno usque in aeternum.

Hic Moses secundum rationem officii sui incipit esse Moses, et egregie amplificat tum miseriam nostram tum iram Dei[51]). Separat autem ista longa descriptione Deum verum a diis gentium, de quibus non potest dici, quod fuerint ab aeterno, et in aeternum maneant, quasi dicat: Non adoramus novum aut vulgarem Deum, non lignum, non aurum, sed eum, qui fuit ante mundum, qui est aeternus et verus Deus etc. Deinde hoc quoque significat, quod talis sit Deus, qui nullius creaturae sit indigus, sed simpliciter in se sit beatus, siquidem est, antequam crearetur terra et mundus. Hanc majestatem tam brevibus verbis comprehensam nemo potest explicare. Complectitur enim, si quis evolvat, omnes proprietates divinitatis, quae possunt colligi. Quia enim aeternus

---

50) Prima ecclesia in mundo. 51) Quomodo Moses describat Deum.

est[52]), sequitur esse immortalem, omnipotentem, beatum, sapientem, qui nihil a quoquam accepit, sicut scriptura dicit: „Non est, qui prior ei aliquid dederit,“ solus sibi sufficit etc.

Verbum ילדו significantius est, quam si dixisset: priusquam crearentur aut fierent montes. Significat enim proprie ipsum egressum creaturae ex nihilo in aliquid, sicut ex homine nascitur aliud corpus mirabili ortu, non sicut faber ex materia aliquid facit, dum materiam parat, aliquid vel resecat vel addit, dum materiam format etc., sed sicut arbores nascuntur ex terra tanquam ex nihilo, ut videantur omnia nasci verius, quam formari aut creari. Dicit enim montes natos tanquam gignente Deo, ut significet id, quod in psalmo[53]) ex genesi est: „Ipse dixit et facta sunt.“ Per verbum enim ita sunt omnia facta, ut verius nasci, quam creari aut formari viderentur, quia ibi defuerunt omnia instrumenta.

Verbum חולל proprie significat formari, sicut embryo formatur in utero nullo adhibito instrumento. Vult autem Moses ista verborum proprietate ostendere, quod creatio totius mundi fuerit Deo ceu parturitio quaedam, vel quod fuerit quaedam nativitas jubente Deo, ut discamus, quam facile Deo fuerit ex nihilo omnia facere, siquidem res ex ipsius verbo quasi enatae sunt[54]). Nam in nascendo apparet summa facilitas, arbor cum nascitur, non laborat.

Talem (inquit) habemus et colimus Deum, ad talem Deum oramus, quo jubente nascuntur universa creata. Quid igitur pavemus, si hic Deus favet? quid metuimus ab ira universi mundi? Si est habitaculum nostrum, an non tuti erimus, etiamsi coelum ruat?

52) Deus aeternus. 53) Psal. 33. 54) Potentia Dei verbo omnia creantis consolatur nos.

Habemus enim dominum majorem toto mundo, habemus dominum sic potentem, quo dicente omnia nascuntur, et tamen ita sumus pusillanimes, ut, si unius principis aut regis, imo unius vicini ira sustinenda sit, trepidamus, et despondeamus animum, cum tamen consideratione hujus regis omnia alia in toto mundo sint ceu levissimi pulveres, quos levis aura loco movet nec patitur consistere. Ad hunc modum haec descriptio Dei consolatur, ac animi pavidi ad hanc consolationem debent respicere in tentationibus et periculis.

Econtra hinc etiam colligitur, quanta sit magnitudo irae Dei [55]), sicut Manasse in oratione sua commemorat, merito pavere et tremere omnes a vultu virtutis Dei, cujus ira super peccatores sustineri non possit. Nam animus cum intelligit Deum sic potentem et magnum irasci ac intentare poenas, quo fugiet? Vere enim cum Davide dicet: „Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si adscendero in coelum, illic es, si stratum fecero in inferno, etiam illic ades etc.“ Quod enim potest esse refugium, si ille irascitur, cujus manu omnia facta sunt, et qui potest omnia? Recte igitur dicunt, qui existimant hanc infernalem poenam fore [56]), quod optabunt impii manum Dei effugere, et non poterunt, sicut etiam Paulus ostendit 1. Thess. 5. Talibus cogitationibus exercendi et his quasi malleis contundendi sunt ἀπηλγηκότες illi et insensati peccatores [57]), qui in summis peccatis tamen secure vivunt. Hi audiant, qualis et quantus sit, quem peccatis suis ad infligendam poenam irritant, videant hi fulmina et audiant tonitrua in monte Sina, videant contremiscere terram, omnia praesentem mortem minari. Qui autem

---

55) Potentia Dei etiam terret peccatores. 56) Poena infernalis etc. 57) Insensati peccatores terrendi.

peccata agnoscunt et jam antea trepidant, hi doceantur de habitaculo et erigantur[58]). Hoc est recte secare verbum[59]), ut aliter doceas superbos et securos, aliter eos, qui jam antea territi pavent, et etiam tuta omnia timent. Hi discant cogitare de habitaculo infinito, aeterno, omnipotente. Illi sciant se non habere iratum daemonem, sed Deum ipsum, qui est super omnia.

Ergo ex descriptione hac Dei, quod sit aeternus et omnipotens, immensus et infinitus, sequitur utrumque, quod et habitaculum ejus seu favor super timentes eum sit infinitus, et quod furor seu ira ejus super securos etiam sit immensus et infinitus. Nam effectus semper sequitur magnitudinem causae efficientis. Pertinet itaque versus hic praecipue eo, quod mors in homine sit infinitis modis major calamitas, quam aliorum animantium mors. Nam etsi equi, vaccae et omnia bruta moriantur[60]), tamen non moriuntur irascente Deo, sed est eis mors quaedam calamitas temporalis, a Deo sic ordinata, non in poenam, sed quia alioqui Deo sic videretur bonum. Hominum autem mors[61]) est miseria et ira fere infinita et aeterna, propterea quod homo sit talis creatura, quae ad hoc creata est, ut viveret in obedientia verbi, et esset similis Deo, non est creata ad moriendum, sed mors peccati poena constituta est, sicut Deus dixit ad Adam: „Quocunque die comederis de ligno hoc, morte morieris."

Non igitur hominum mors est similis morti bestiarum[62]), quae naturali lege moriuntur, nec est mors, quae casu acciderit, aut temporalis esset, sed est mors, ut sic dicam, minata et profecta ab irato et alienato Deo. Nisi enim Adam comedisset de ligno prohibito,

---

58) Agnoscentes peccata sua erigendi. 59) Recte secare verbum. 60) Mors brutorum. 61) Mors hominum. 62) Mors bestiarum.

fuisset immortalis. Nunc postquam per inobedientiam peccavit, mulctatur morte non, concreata, sicut est brutorum mors, quae sunt subjecta homini, sed per iram irrogata et inflicta, et per peccatum seu inobedientiam debita. Multo igitur miserrimum est audire, quod homo morti sit destinatus, qui tamen ad vitam bonus et integer est conditus, ut haberet habitaculum in Deo. Ab hac felicitate per peccatum excidit, id quod Moses omnibus nobis conatur ostendere, dum personam irascentem sic diligenter pingit ad terrendos securos et praefractos.

TERTIUS VERSUS.

Qui facis homines mori, et dicis: Revertimini filii hominum.

Quod in ebraeo est: Facis hominem reverti ad contritionem, revera aliud nihil est, quam quod nos vertimus: „Facis homines mori," itaque cum hoc clarius esset, malui eo uti. Porro quod ad sententiam attinet, habent hic patres suum intellectum de peccato concupiscentiae, fortasse quod non habuerunt alias tentationes praeter illas animales et carnis, nam aliarum in suis scriptis raram fecerunt mentionem. Inde fit, ut papistae nostri, cum de peccato originis disputant, etiam nihil intelligant, quam concupiscentiam carnis.

At cum ea primum sentiri incipiat a pubescentibus, sequitur peccatum originis[63]) longe esse gravius quidpiam, quod etiam in iis est et vivit, qui aetate inferiores sunt, in infantibus, imo etiam in foetu adhuc vivente in utero, sicut psal. 51. ostendit. Sed quia doctores fere restiterunt in psychicis cogitationibus, nec

63) Peccatum originis.

potuerunt scripturam ad illa occultiora et spiritualia naturae vitia accommodare, fit ut negligentius etiam in summis scripturae locis versentur. Quare sinamus eos regnare et abundare in suo sensu, nos autem sequamur veram et germanam sententiam.

Sententia igitur hujus loci haec est, quod Moses vult nos docere, per peccatum esse factum, quod homo gratia excidit, et poenam mortis sustinet [64]). Tu vertis, inquit, hominem in contritionem, et redigis eum in nihilum. Haec an non horribilis sententia et gravissima ira est, hominem per iram Dei mori, tam nobilem creaturam, quae omnibus animantibus praestat, et non angelis, non daemonibus subjecta fuit, sed soli majestati divinae, imo quae ad similitudinem Dei condita fuit, ut viveret et dominaretur? Haec profecto gravior mors et tristior casus est, quam cum vacca mactatur, praesertim si respicias propagationem mali. Hominem (inquit) vertis in contritionem, hoc est, totum humanum genus. Haurit enim uno verbo omnem posteritatem primorum parentum. Ergo quod ad vitam creatum erat, morti jam destinatur, idque Deo irascente, et est totum humanum genus prolapsum ex immortalitate in mortem aeternam.

Vide autem, quam prudenter Moses loquatur, cum hanc iram simpliciter refert in creatorem, ne veniat Manichaeus cum insana sua turba [65]), et faciat duos deos, unum propitium et bonum, alterum malum [66]). Non enim dicit: Diabolus redigit homines in nihilum, sed: tu ipse, qui fuisti antequam coelum et terra essent. Hoc enim Manichaei deliramentum fuit, et non dubium

64) Homo per iram Dei moritur. 65) Manichaei. 66) Moses dicit mortem a Deo immitti, ne constituat plures et diversos deo.

est, multos nunc in eodem errore esse positos, qui imaginantur omnia bona a bono Deo, mala autem a malo deo oriri. In hoc errore vixit Augustinus annis fere novem. Sed impietas est fingere novum Deum, et hoc modo effugere ac declinare velle iram Dei, jure nobis propter peccatum irrogatam, sicut milites, qui palam contemnunt mortem. Sed quid profecisti, etiamsi mortem extreme contemnas? Num ideo etiam mortem vicisti? Quare meminerimus, hic non disputari de Epicuri cogitationibus, quomodo mitigentur mala, quae non possunt caveri, sed doceri nos, ut bona et mala referamus ad unum Deum, et discamus, quomodo illa mala vinci possint. Hoc enim est, quod Moses praecipue instituit facere.

Prudenter itaque dixit: Tu facis homines mori, hoc est, tuum opus, imo ira tua est, quod universum genus humanum per mortem absorbetur. Non temere fiunt homines, non temere nascuntur, non temere patiuntur, non moriuntur temere. Nam ne pecudes quidem temere moriuntur, sed nostro arbitrio. Sunt enim ipsorum calamitates in dominio hominum, quanto minus mors et finis hominum sine certa ratione est. Sicut igitur vita divino et certo consilio conceditur, sic etiam mors est opus irae Dei, quo vertit creaturam hanc in contritionem, et protrudit ex vita in mortem. Ita proprie refert hunc effectum ad ipsum Deum, ut admoniti non aliunde accersamus auxilium, quam ab eo, qui inflixit malum. Qui enim percussit, idem et sanabit. Hoc enim est titulus Dei nostri[67]), quod occidit et vivificat, quod ducit ad inferos et reducit, quod (sicut hic dicit) vertit homines in contritionem, et jubet reverti filios hominum, ut, sicut per ipsum initio accepimus vitam, ita per ipsum quoque tandem vincamus mortem,

67) Titulus Dei.

quae mors non simpliciter concupiscentiae, sed totius peccati causa est. Utitur quidem Deus diabolo ad affligendos nos et occidendos, sed diabolus id non potest, nisi Deus hoc modo vellet puniri peccatum. Sumus igitur oves occisionis, subjecti morti propter iram Dei, ob peccatum.

Secunda pars versiculi: „Et dicis: Revertimini filii hominum," eo pertinet, quod, sicut moriuntur homines quotidie propter peccatum, ita quoque interim nascuntur alii, sed eadem conditione, qua illi, qui defuncti sunt. Sic saeculum illud ante diluvium periit, dixerat enim dominus: „Delebo omne animal vivum," et tamen ad Noah dicit dominus: „Fac tibi arcam, et ingredere tu et filii tui et eorum uxores." Sic ad Adam dixit: „Morte morieris, quacunque die comederis de ligno hoc," et postea: „Terra es, et in terram reverteris." Hic enim locus est, qui haurit universum genus humanum, et tamen semper alii in hanc vitam nascuntur, eisdem calamitatibus obnoxii.

Haec est sententia divina, quam aperuit nobis Moses, ratio per se videre haec non potuit. Itaque non gentes solum, sed monachi quoque multa disputarunt de contemnenda morte, sed male. Nam homines hoc modo aut securi fiunt aut blasphemi, dum exuunt timorem Dei ac commoventur adversus Deum, quasi Deus tyrannum agat, et sine ratione morti exponat hanc miseram creaturam. Longe melius Moses docet, quod, etsi abjecerit Deus hominem propter peccatum tamen, non sic abjecerit, quin etiam misereri, et juvare eum velit. Ratio utrumque nescit, primum quod mors propter peccatum, per iram Dei homini arrogata sit, deinde quod contra iram hanc sit remedium in misericordia Dei, quod ille iratus Deus sinat se flecti precibus et vinci, ut renovet nos per verbum gratiae et Spiritum suum in vitam aeternam.

Sicut autem Moses hic dicit: „Facis homines mori, et dicis: Revertimini filii hominum," ita in genesi Deus simul promittit multiplicationem seu benedictionem [68]), et involvit simul hominem calamitatibus infinitis. Quod in genesi dicit: „Crescite et multiplicamini," hic dicit: Facis filios hominum redire. Quod istic dicit: „Pulvis es, et in pulverem reverteris," hic dicit: „Facis hominem mori." Sic una brevi sententia simul constituit et haurit totum genus humanum, quod alii vertuntur in contritionem et pereunt, alii nascuntur in similes calamitates, donec veniat exspectata illa dies redemtionis nostrae, in qua vere vivemus. Tum enim non solum istae miserae carnis calamitates omnes auferentur, sed etiam revelabitur gloria Dei in filios ejus. Interim haec duo opera Dei manent, ut et perdat calamitatibus genus humanum, et generatione etiam augeat.

Quanquam autem calamitosa est vita haec, hoc tamen plenissimum consolationis est, quod mors praecedit, et vita sequitur, sicut studiose Moses hoc ostendit [69]), cum dicit: „Facis homines mori (hoc primum est), et dicis: Revertimini filii hominum" (hoc secundum seu posterius est et optimum). Sic calamitosum est, esse pauperem, sed hujus calamitatis quem poeniteat, si tandem locupletetur? Miserum est esurire, sed majore cum voluptate postea cibis fruimur. Hanc igitur spem occulte ostendit hic Moses quoque, quod post mortem secutura sit vita, nec futurum ut homines pereant, sicut reliqua animalia, sed quod moriuntur, fieri ut humilientur, non ut in morte maneant. Hanc spem ostendit iis, quorum corda consideratione peccati sui et irae Dei perterrefacta sunt. Ac sub finem oratio-

---

68) Collatio hujus loci cum genesi. 69) Moses initio mortem, post vitam ponit.

nis hanc doctrinam de vincenda morte et ira Dei clarius tradet.

Sed admonendus quoque lector est de phrasi. Singulari enim consilio retinet Moses usitatam loquendi formam, cum sic dicit: „Tu dicis[70]): Revertimini filii hominum.“ Respicit enim ad id in genesi: „Dixit Deus: Fiat firmamentum, sol, luna etc.“, item: „Faciamus hominem,“ quod omnia verbo creata sunt et conservantur. Facit autem hoc quoque ad ostendendam magnitudinem personae, quae uno verbo haurit et constituit omnia. Quid levius potest videri verbo? At cum Deus dicit verbum, statim fit, quod dicitur. Sic dicit matri meae: Concipe, et concipit, dicit mihi: Nascere, et nascor.

QUARTUS VERSUS.

Quoniam mille anni sunt coram te sicut dies hesterna, quae praeteriit, et sicut vigilia nocturna.

Hic transfert nos a conspectu rerum humanarum in divinitatem, et ex tempore in talem vitam, in qua nullum est tempus. Pertinet autem hoc quoque sicut superiora ad ostendendam magnitudinem personae irascentis Dei. Nam si quis viveret annos Methusalah, qui fere decem saecula implevit, cogitaremus, talem hominem in meliore conditione esse, quam reliquos, nec per iram abjectum esse. Sed Moses diversum dicit, quod non solum ira Dei premat homines, sed etiam festinata ira[71]), quod nimium cito morimur, nec habemus solatium differendae vel tardantis mortis aut calamitatis, quod vivimus brevissimam et tamen calamitosam vitam,

70) Tu dicis. 71) Vita hominum non calamitosa solum, sed et brevissima.

postea morimur aeterna morte. Nam etiam Methusalae vitam si consideres, non vixit mille annis. Mille anni autem quid sunt, si sunt coram Deo sicut dies hesterna?

Hanc vitae brevitatem [72]) quis homo unquam ita depinxit? Significat enim non cursum, sed ceu impetuosum jactum esse, quo ad mortem rapimur. Nos fingimus nobis longum tempus esse septuaginta annos, et semper accidit, quod Cicero [73]) dicit, neminem ita esse senem, quin speret, se unum annum adhuc victurum esse. Haec spes longioris vitae natura omnibus indita est [74]). Inde fit, ut studia et rationes omnes ita instituant homines, quasi semper sint victuri. Faciunt enim ex sua vita opinione aeternam vitam, cum tamen mors ubique insistat nostris vestigiis, et nobis nunquam non sit vicinissima. Sic ostendit Moses hanc calamitatem maximam, quod homines suas calamitates, nempe iram Dei et bevitatem vitae non sentiunt, quam tamen oculis vident et experiuntur [75]). Hodie moritur, qui heri speraverat se quadraginta annos aut amplius victurum esse, et si hos annos vixisset, nondum tamen abjecisset spem longioris vitae. Monet igitur Moses, ut transferamus nos extra tempus, et Dei oculis inspiciamus nostram vitam, tum dicturos nos esse, quod tota hominis vita, etiam cum longissima est, vix sit una horula. Ego jam sum natus annos 51. *), hoc totum tempus, cum recte considero, sic abiit, ac si hoc die essem natus. Verum enim est, quod philosophi dicunt: Praeteritum abiit, futurum non venit, igitur de omni tempore nihil habemus, quam quod nunc est, reliqua non sunt, quia aut abierunt aut nondum venerunt.

---

72) Vitae brevitas. 73) Cicero. 74) Spes longioris vitae in hominibus. 75) Homines brevitatem vitae suae non intelligunt.

*) Hic numerus in edit. princ. deest.

Ad hunc modum Moses iram Dei auget praeter omnium hominum opinionem et judicium, primo (ut usitatum verbum retineam) intensive, cum mortem hominum facit pejorem et graviorem omnium animantium morte, quod per iram Dei irrogata est, deinde extensive, quod vita brevissime abit. Hoc totum tempus, quod est ab initio conditi hominis, videbitur Adamo resurgenti tanquam somnus unius horae. Carnis oculi beluini sunt, hi judicant multum esse, si quis centum annos impleat, atque coram Deo mille anni sunt ceu hesterna dies, de qua nihil restat. Huc Hiob quoque respexit, cum dixit[76]: „Homo de muliere natus, brevi vivens tempore multis repletur miseriis." Est enim non solum, ut dixi, ira, sed festinata ira ac calamitas, et sicut persona est infinita, sic ista brevitas est finitissima. Quod scriptura alibi dicit[77]: „Dies una est coram eo sicut mille anni," id pertinet ad spiritualem et aeternam vitam.

Quod de vigilia in nocte[78]) addit, notum est, veteri consuetudine in quatuor vigilias noctem distributam esse. Sicut igitur mille annos comparavit ad hesternam diem, sic totam vitam comparat cum particula noctis, quam somno transigimus, quasi dicat: Si hujus vitae dies numeras, sunt dies praeteriti, si noctes, est quasi quartale noctis. Ad hunc modum non solum amplificat calamitatem, sed etiam id, quod optimum fuit, nempe reversionem ad vitam extenuat. Est quidem vita bona creatura Dei, sed quia tam brevis est, et a morte excipitur, merito deploramus calamitatem nostram. Non autem inepta est sententia, quam alii sequuntur, qui similitudinem de vigilia nocturna[79]) eo accommodant, quod, sicut vices

76) Cap. 14. 77) 2 Pet. 3. 78) Vigilia in nocte.
79) Similitudo de nocturna vigilia.

sunt vigiliarum, ita quoque vices sunt in hac vita. Qui hodie vixit et tanquam in statione sua vigilavit, per mortem quasi evocatur, et succedit alius. Non enim excubiae semper per eosdem milites aguntur, qui hac hora vigilavit, discedit, et succedit alius. Ita, inquit, alii moriuntur, alii in vitam nascuntur, et quasi succedunt, sed eadem conditione qua priores, ut completo vigiliae tempore discedant ipsi quoque. Nunc sequuntur aliae similitudines.

QUINTUS VERSUS.

Inundationem in eos immittis, et sunt somnus, sicut foenum, quod subito exarescit.

SEXTUS VERSUS.

Quod mane floret, et mutatur vesperi, succiditur et arescit.

Ebraeum verbum זָרַם significat proprie inundare, et cum impetu, sicut fluctus solent, invadere. Est igitur plenissima similitudo, quae significat totum genus humanum ceu fluctu abripi, sic saeculum post saeculum seu concitatum flumen rapitur. Hoc an non est egregie extenuare illam vitam benedictam, seu potius reliquias benedictae vitae? Quid igitur superbimus? Cur attollimur in tantum fastum, et Epicuri more contemnimus Deum voluptatum nostrarum causa? Cur non discimus potius iram Dei recte aestimare, et cognoscere vitam nostram, qualis sit, et quam celeri cursu feratur ad interitum, hoc est, ex guttula benedictionis ad mare maledictionis? An nescimus, quid somnus sit, qui prius desinit, quam a nobis possit ob-

servari. Nam priusquam intelligimus nos dormiisse, somnus jam abiit. Vere itaque somnus et somnium est vita nostra [80]). Prius enim, quam nos vivere scimus, vivere desinimus.

Similitudo de foeno [81]) crebra est in sacris literis. Quare manifestum est, ex hoc psalmo multa hausisse et didicisse sanctos prophetas. David fere totum 39. psalmum [82]) hinc sumsisse videri potest, in quo et ipse nova similitudine vitam hanc pingit, cum dicit hominem pertransire in imagine, et psalmus 73.: „Subitis terroribus intereunt, sicut somnium evigilantis,“ et psalmus 76.: „Praeda fiant superbi, et dormiant somnum suum.“ Sic Esaias: „Omnis caro foenum, et gloria ejus sicut flos agri.“ Psalmus 102.: „Dies mei sicut umbra transierunt, et ego sicut foenum exarui.“ Psalmus 144.: „Homo est nihil, et tempus ejus sicut umbra abit.“ Haec si nos non satis de nostra vita docent, nescio quid possit dici plenius. Pueritia [83]) est flos aetatis, cum adolescentia [84]) accedit, statim folia deformantur. Nam commoda vitae impediunt curae et varia pericula, quae pueritia sicut non intelligit, ita nec metuit quoque. Quare ea pars vitae celerrimo cursu videtur absolvi, sicut poeta quoque dicit:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi,
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor, et durae rapit inclementia mortis.

Recte igitur comparatur vita haec flori [85]), qui cum oritur, et colore et odore praestat, sed priusquam sol occidat, utrumque amittit. Sic laudat quidem si-

---

80) Vita nostra somnus est. 81) Similitudo de foeno. 82) Psal. 39. 83) Pueritia. 84) Adolescentia. 85) Vita nostra flori comparatur.

militudo haec benedictionem creationis, quod in illa calamitate tamen enascitur pulcher flosculus, sed miserabile est, tam cito defluere folia et mutari, nec posse retinere colorem et odorem nativum.

Verbum חָלַף significat mutari, sicut vestes mutantur [86]), hinc vocant heliphos vestes mutatorias. Vult igitur, foenum seu florem mutari tum, cum jam incipit flos esse. Hoc verbo utitur scriptura, cum dicit coelum et terram mutatum iri [87]), ut significet neque coelum nec terram suo vero ornatu vestitam esse in hac vita, sed nunc esse quasi cilicio indutam, tum autem cum renovabuntur, induenda esse alia splendidiore veste. Nunc terra palustris et ruinosa est, sed in illo die erit ac si esset gemmea et argentea. Montes erunt adamantini, flumina erunt ceu optimum balsamum etc. Nam verbum חָלַף dupliciter significat mutari, sive de esse ad non esse, sive de non esse ad esse. Porro pulcherrima sententia est, si totum genus humanum sub appellatione foeni intelligas, quod primo mane mutatur ex embryone in formam hominis, ibi est foenum. Nascitur enim totum genus humanum ex tenebris et hieme, et quasi ex mortuo semine in vivum gramen, ac statim cum ita natum est, mutatur iterum de ista forma in hiemem et noctem suam, sicut Salomon quoque dicit [88]), solem perpetuis vicibus oriri et occidere. Hanc mutationem proprie verbum significat, sicut annus mutatur ex aestate in hiemem, tempus ex die in noctem. Sic Jacob. 1. [89]): „Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio." Nox quidem transmutatur in diem, et dies per vices obumbratur, sed tale nihil, inquit, in Deo est. Porro hae mutationes differunt ab ea, de qua psalmus hic loquitur.

86) Mutari in scriptura quid. 87) Coelum et terra mutabuntur. 88) Eccle. 1. 89) Jacob. 1.

Nam hae sunt naturae mutationes, sed illa, de qua psalmus loquitur, est mutatio non naturae, sed quae proficiscitur ab ira Dei.

Porro dixi supra plenum esse consolationis, quod in tertio versu primo loco mortem ponit, et deinde subjungit de vita, ut spem occultam ostendat, quod post mortem resuscitabimur, et mors illa corporalis in veram et aeternam vitam terminabitur. Sed hoc in loco propheta diversum facit et ordinem invertit[90], siquidem totum humanum genus describit, primum quale sit in vita, deinde quale sit in morte. Mane, inquit, sicut flos floret, sed vesperi mutatur, exciditur, arescit.

Quid haec ordinis immutatio significat? Num arguit sententiam prius a nobis recitatam incertam aut falsam esse? Non, sed simpliciter proponit nobis miseriam nostram, qualis est in oculis nostris, non qualis est in oculis Dei. Cum supra diceret: „Tu dicis: Revertimini filii hominum,“ statim subjungit: „Quoniam coram te mille anni sunt sicut dies hesterna.“ At alia ratio est, si sequaris nostrum judicium et rationem nostram. Sicut enim aliud est, videre sigillum, quomodo in gemma aut auro sculptum est, et aliud, quomodo in cera exprimitur (Deus, ut utar similitudine hac, ipsam gemmam inspicit, nos tantum formam gemmae, seu sculpturam in cera oculis nostris possumus videre), ita quod in conspectu Dei vita est, in nostro conspectu mors est. Quod apud nos temporale est, apud Deum non est temporale, quod apud nos aeternum est, apud Deum non est aeternum.

Ad hunc modum loquitur hic de miseria hominum, sicut est in oculis nostris. Ibi videmus, quod, qui hodie vixit, cras moritur. Praeter et ultra mor-

90) Moses hic alio ordine utitur, quam supra.

tem hanc ratio nihil videt amplius, et semper magis intenta est in calamitatem et miseriam, quam in vitam. Sic enim natura sumus, ingrati in bonis, et impatientes in malis, malorum tenacissimi, et bonorum, ut sic loquar, obliviosissimi. Nam vide naturam rerum, in quibus quotidie vivimus, quas videmus, tangimus, quibus fruimur quotidie, an non ex terra, imo ex lapidibus et montibus enascitur frumentum, vinum et quidquid usus hujus vitae postulat: revera igitur ex nihilo fit aliquid[91]). Sic ex sterili et informi hieme fit foecunda et amoenissima aestas, ex nocte fit dies. Haec est mutatio creaturae perpetua[92]). Sed hanc negligimus fere ingrati, et convertimus oculos ad illam alteram mutationem, quae tristior et miserabilior est, ubi aliquid mutatur in nihil, et de esse ad non esse. Hoc Moses hic significat, cum nostrum judicium sequitur et concionatur primum de miserabili conditione hujus vitae, deinde de morte.

Admonendi autem hic iterum sumus de differentia ejus mutationis[93]), quae in creaturis reliquis est, et quae in nobis est. Nam quod nos mutamur, et sicut foenum subito concidimus, haec est irae divinae mutatio. Foenum autem non sic mutatur per iram Dei, sed sicut ex ordinatione Dei surgit, ita iterum perit sine sua molestia et sine ira Dei. Sic dies habet cursum suum ex bona voluntate Dei, sed quod nos mutamur et vertimur in atram noctem, hoc accidit ex ira Dei. Ad hunc modum nunc Moses pergit ad epitasin negotii in narratione sua, et non sine lacrymis conqueritur de onere irae Dei, quasi dicat: An non extrema calamitas est, solum hominem praeter exemplum omnium reliquarum creaturarum vivere sic cala-

91) Ex nihilo aliquid fit. 92) Mutatio creaturae. 93) Mutatio etc.

que enim malum est hoc modo sentire iram Dei, modo ne vertamur ad stultitiam et prae tribulatione vel contemnamus Deum vel blasphememus, quanquam fieri non potest, quin etiam sanctorum gemitus in talibus tentationibus habeant partem aliquam blasphemiae [99]). An enim Hiobem [100]) excusabimus, cum maledictum diem vocat, in quo natus est? an Hieremiam [1]) succensentem, quod non mortuus sit in vulva matris suae? Sic Hieronymus satis duro verbo utitur, cum dicit homines omnibus pecudibus infeliciores, siquidem post ceteras calamitates hujus vitae aeternam mortem exspectare, vel saltem metuere coguntur. Hae sunt voces profectae ex corde irato et perturbato sensu malorum. Non autem malum signum est, sic irasci, modo gubernes hunc motum et regas certe ratione. Sicut enim adolescens sentit libidinem, Deus autem id ignoscit, si aut moderetur et gubernet sensum hunc, aut uxorem ducat, ita in christianis quoque haerent illi motus murmurantis, blasphemantis, dubitantis cordis, sed gubernari debent, ne sicut in impiis aut in contemtum Dei aut desperationem abeant.

Augustinus dicit [2]): Melius est simpliciter esse, quam non esse, sed institue tecum rationem, et dices diversum esse melius. Hae cogitationes a blasphemia non multum absunt, praesertim si eis indulgeas. Saepe autem accidit, et ego in multis hoc vidi, quod, cum sentirent homines inexercitati has blasphemiae cogitationes, exanimarentur fere. Quare necesse est gubernari eas. Porro gubernatio vera haec est [3]), ut statuas, te non ideo a Deo abjectum esse, quod istas sentis. Etsi enim causa aliqua talium cogitationum in

99) Sensus blasphemiae in sanctis. 100) Hiob. 1) Hiere. 2) Dictum Augustini. 3) Cogitationes in tentatione quomodo sint gubernandae.

nobis est, sunt enim fructus peccati originalis, tamen adjuvantur et augentur etiam a tentatore Satana. Sic saepe accidit piis adolescentibus et puellis, ut ardeant cogitationibus libidinis, etiam contra voluntatem. Quando enim homo arripitur ab affectu, totus arripitur, ut nihil aliud videre, audire, cogitare possit, quam quod affectus suggerit. Sic occupantur animi ira, cura, odio et similibus affectibus. In talibus tentationibus gubernatio necessaria est, ut per Spiritum sanctum nos confirmemus, et sentiamus, non ideo nos perituros esse, quod talia sentimus. Neque enim semper concupiscentiae et vitii est, quod juvenis ardet libidine, quod cor concitatur ira et aliis vitiosis affectibus, sed saepe accidunt talia a Satana, agitante animos stimulis suis, et accendente carnem contra voluntatem.

Saepe enim accidit, ut cupias ex animo liberari impuro motu cordis, et tamen non possis. Ibi consilium hoc sequendum est, primum, ut non ideo desperemus de salute, sicut antea dixi, secundo, ut reluctemur cogitationibus talibus, nec eas approbemus aut eis indulgeamus, et simul ut per orationem seriam flagitemus a Deo auxilium. Neque enim ideo immittuntur cogitationes tales, ut secundum eas judices et eas sequaris, sed ut relucteris, et oratione contra pugnes. Sicut autem dico de crassioribus tentationibus libidinis, irae etc., ita etiam de hac tentatione blasphemiae[4]) statuendum est. Nam Satan ideo se in angelum lucis transformat et in formam Dei, ut nos abducat ab oratione et verbo, et sic nudos aggrediatur et vincat. Cum tentavit blasphema cogitatione, statim accusat nos: Vide cor tuum, inquit, quale sit. An non peccator es? Hoc cogitur cor affirmare. Deinde aggregat alia: Igitur

4) Tentatio blasphemiae.

habes Deum iratum contra te, quomodo enim Deus peccato non potest irasci? Hic si paululum cedas, opprimit te, et multos sane hoc modo occidit Satan.

Gubernatione itaque opus est, ut hosti te opponas, et statuas istam infirmitatem tuam Deo notam esse, nec offendi Deum ea, si non indulgeas ei. Quod autem peccator es, et humili confessione id agnoscis, grata Deo est humiliatio haec[5]), siquidem eam per Mosen et prophetas docuit, et legem suam ideo revelavit, ut hoc modo humiliaret nos. Quae autem Satan in humiliatione hac suggerit, vel ad desperationem vel ad contemtum et blasphemiam, haec aestimabis, quod sint passiones tantum, et non res seu sententia judicata. Sic filius, cum a parente castigatur, non aestimat virgam esse signum exheredationis, sed etiamsi virgam patiatur, tamen statuit patrem esse et manere patrem. Sic qui gravi morbo implicitus est, morbo seposito videt et sperat salutem. Ad hunc modum sunt quidem istae cogitationes blasphemiae horribiles, et tamen sunt bonae, si modo eas gubernes, et iis bene utaris. Includunt enim istos gemitus inenarrabiles, qui penetrant nubes, et divinam majestatem quasi cogunt ad ignoscendum et salvandum. Sentiri possunt, sicut reliqua spiritualia, dici non possunt, nec sine experientia disci. Quare merito ridetur Dionysius[6]), qui scripsit de theologia negativa et affirmativa. Postea definit theologiam affirmativam esse: Deus est ens, negativam esse: Deus est non ens. Nos autem si vere volumus theologiam negativam[7]) definire, statuemus eam esse sanctam crucem et tentationes, in quibus Deus quidem non cernitur, et tamen adest ille gemitus, de quo jam dixi. Utile autem est admoneri et inculcari haec saepius, propter illos, qui vel ipsi

---

5) Humiliatio Deo grata. 6) Dionysius. 7) Theologia negativa.

tales tentationes experiuntur, vel alios versantes in illis consolari debent, sicut mandatum est in scriptura, pusillanimes esse consolandos, linum fumigans non esse exstinguendum, sed fovendum. Scit enim Spiritus sanctus, diabolum esse varie instructum, et singulis horis conari illis cogitationibus desperationis et tristitiae nos invadere. Quare monet et hortatur ubique, ut christiani divina auctoritate alius alium doceat et erigat.

Itaque inter nos quoque debet esse illa diligentia et studium, ut tu me audias ex praecepto Dei, et ego te in lucta et periculo positum consoler, ut tu mihi credas, et ego tibi vicissim, cum in simili periculo versor. Sum quidem doctor, et fatentur multi se a me non mediocriter adjutos in sacris literis, sed hoc mihi saepe usu venit, ut sentirem me adjuvari et erigi uno verbo fratris [8]), qui se mihi nullo modo putabat parem esse. Ingens enim pondus est in verbo fratris, quod tempore periculi ex scriptura pronuntiatur. Habet enim scriptura inseparabilem comitem Spiritum sanctum, qui corda varie movet et erigit per verbum. Sic consolati sunt s. Paulum Timotheus, Titus, Epaphroditus, fratres e Roma euntes ei in occursum, quanquam multis modis doctiorem et exercitatiorem in verbo Dei. Habent enim etiam summi sancti tempus suum, in quo infirmi sunt, alii autem firmiores. Jam haec perpetua lex Christi [9]) est et regula, ut firmi portent infirmiores, sicut ossa carnem. Sicut enim nemo ideo nasum [10]) abjicit, quod impuro phlegmate abundat, et quasi cloaca cerebri est, ita etiam infirmi [11]) tempore infirmitatis sunt pars regni Christi, qui non ideo abjiciendi, sed fovendi, sanandi et erigendi sunt.

---

8) Consolatio per verbum fratris. 9) Lex Christi. 10) Nasus. 11) Infirmi.

Sed redeamus ad Mosen. Is nunc vere est in epitasi negotii, itaque cogitationes suas libere exponit Deo, ut eum postea facilius flectat ad ignoscendum et salvandum. Quid, inquit, sumus nos homines, quos ira tua occidit? Profecto mors nostra [12]) omnibus non solum aliorum animantium, sed hominum quoque mortibus et calamitatibus atrocior est. Quid enim est, quod Epicurus [13]) moritur, qui non solum Deum esse nescit, sed etiam calamitatem suam, quam sustinet, ignorat? Sed christiani [14]) et timentes Dei homines norunt mortem suam cum reliquis hujus vitae calamitatibus esse iram Dei [15]). Itaque coguntur cum irato Deo congredi, et dimicare de retinenda salute. Sed quid sunt homines, jam antea obruti et oppressi miseriis hujus vitae? Quae si non essent, tamen solus timor mortis [16]) satis esset magna calamitas. Nam nullum animantium genus exercetur timore mortis, sicut homo.

Sed quid dico de animantibus brutis? Impiorum hominum [17]) vitam considera, Epicuri et similium, hi vere, sicut Hiob dicit cap. 21., habitant domos securas et pacatas, et non est virga Dei super eos, ducunt in bonis dies suos, et in puncto descendunt ad inferna.

At pii et sancti [18]) macerantur per totam vitam variis et mortis et aliarum rerum curis, urgentur a Satana quotidianis pavoribus et incertitudine vitae. Norunt enim Deum irasci peccatis, et calamitatum omnium causam exsistere peccatum. Haec ratio et gentes non norunt. Hujusmodi cogitationes pavoris et irae Dei cum experimur nos quoque, non debemus ideo desperare, quasi hoc malum esset signum [19]). Nam

---

12) Mors piorum. 13) Epicur. 14) Christiani. 15) Mors ira Dei. 16) Timor mortis. 17) Impii. 18) Pii. 19) Cogitationes de morte et nostris calamitatibus sunt utiles.

infra audiemus Mosen etiam hoc orare a Deo, ut de ira hac cogitare possit. Videmus enim, quam horribilis humanarum mentium sit securitas, ut quotidianis et durissimis calamitatibus suis et aliorum admoniti, tamen non requirant Deum, sicut apud Esaiam est: „Et non est reversus populus ad percutientem se." Similes enim sunt porcorum, et plane sine omni sensu, nec animi advertunt divinitus calamitates infligi.

At vult Deus, ut saltem mala nostra intelligamus, et emendemur plagis. Igitur si sentis, ex ira Dei propter peccatum te varie affligi, et ideo per impatientiam quoque aliquando murmuras, noli ideo abjicere animum. Non enim causa in te solo est, sed accedit Satan quoque, qui in paradiso docuit hominem, ne esset contentus eo, quod Deus praeceperat, sed ut etiam causam quaereret. Hinc per impatientiam exsistunt voces istae: Quare sumus nati? Cur nostra non ea conditio est, quae est pecudum? etc. Hac tentatione vere etiam sancti exercentur, nec fuit prorsus ignota tentatio in monasteriis, vocaverunt enim spiritum blasphemiae[20]), ac Gerson varie contra eam consolatur. Utitur similitudinibus quibusdam, quod sicut anserum sibilos negligimus, ita haec quoque, etsi sentiuntur, negligenda et ejicienda esse animo. Nam quemadmodum canis latrans[21]), quanto te ei opponas graviore conatu, tanto concitatur et furit magis, ita quoque hujusmodi cogitationes suadent non esse irritandas indulgendo. Simile quiddam legitur in vitis patrum[22]). Nam ibi docet quidam hujusmodi cogitationes similes avibus in aperto coelo volantibus, ac prohibere, ne huc vel illuc volent, dicit non esse in

20) Spiritus blasphemiae. 21) Canis latrans. 22) Exemplum ex vitis patrum.

manu nostra, hoc autem in manu nostra esse, ne nidos figant in capillis nostris. Sic esse cogitationes illas natas ex alia quadam causa extra nos, nempe ex diabolo. Non itaque prohiberi posse, ne nobis incidant, hoc autem posse caveri, ne eis indulgeamus, et sic abducamur in peccatum. Prudenter haec et ex magno usu rerum spiritualium tradita sunt.

Quare nos quoque hoc modo nos consolemur, cum infigit Satan sagittas suas in corda nostra, sentiamus eas esse cogitationes diaboli et nostrae infirmitatis, quae ad impatientiam et murmurationem naturaliter inclinata est. Habet igitur Satan apertam fenestram adoriendi nos. Sed non tantum spectandus est furor diaboli, sed etiam Dei consilium[23]). Ille enim promisit sic vulneratis cordibus gratiam, et ideo humiliari nos sinit, ut ad eum gemamus et suspiremus. Sic deduxit Mosen in extremum discrimen ad mare rubrum[24]), non ut ibi periret, et Aegyptii deletis Judaeis redirent incolumes ad suos, sed ut Moses oraret et liberaretur, qui solus sustinebat culpam, quasi ipsius voluntate populus in hanc calamitatem projectus esset. Ac sentit Moses periculum hoc, itaque cum ipse ore taceret, tamen dominus dicit: „Quid clamas?“ Sicut igitur Moses in illo periculo non periit nec ideo tentatus est, ut periret, sed ut adjuvaretur per Spiritum, et corde suo clamaret ad Deum et liberaretur, ita isti quoque non peribunt, sed liberabuntur, qui sentiunt quidem cogitationes blasphemiae, et tamen eas gubernant et moderantur, sicut supra dixi[25]). Sicut enim fomes libidinis est in adolescentibus, sic in spiritualibus habet diabolus suum negotium, ut eos ad despe-

23) Cur Deus sinat nos tentari. 24) Exo. 14. 25) Tentationes quomodo gubernandae.

rationem adducat. Quando enim videt homines hoc agere, ut salventur, tunc pulsat corda cogitationibus irae et exemplis horrendi judicii Dei, nos subjicientis peccato et morti, ut incipiant secum disputare: Quare Deus nos sic calamitatibus aeternis oppressit? Huic disputationi si qui praebent animum et aures, paulatim sic implentur sensu irae Dei, ut nusquam consistere possint prae angustia et pavore.

Quare statuendum est, cum sentiuntur ista, tempus esse non desperandi, sed gemendi. Itaque geme tu pro liberatione, quae certo obveniet. Causam autem, cur Deus ista sic permittat fieri, jube, ut Satan ex ipso Deo quaerat. Nobis enim objiciuntur calamitates illae et omnes aliae tentationes, ut humiliemur, non ut damnemur [26]). Atque haec causa quoque Mosi est, quod sic intendat narrationem institutam, et calamitatem hominum [27]) exaggeret super omnes alias calamitates, ideo quia est conjuncta cum ira divina. Qui igitur se non erigunt fiducia misericordiae Dei, hi nihil quam vel desperationem vel blasphemiam sentient. Atqui Dei voluntas non est, ut desperemus, sed ut per Christum vincamus ista, sicut apostoli et alii sancti similes tentationes vicerunt. Sic senserunt sanctae virgines [28]) sexum suum, martyres [29]) senserunt dolorem suppliciorum, sed utrique gubernarunt sensum hunc et vicerunt. Ad hunc modum omnes sancti [30]) sentiunt istam iram, sed per Christum etiam vincunt. Pertinet enim sensus ille ad mortificationem. Satis magnum malum est consumi, sed consumi per iram Dei [31]), id vero est, quod ratio humana vincere

---

26) 1. Cor. 11. 27) Calamitas hominum etc. 28) Virgines. 29) Martyres. 30) Sancti. 31) Consumi per iram Dei.

nescit, nisi per verbum Dei erudita et per Spiritum sanctum adjuta sit.

Altera pars hujus versiculi: „et in furore tuo terremur," proprie loquitur de terrore mortis[32]), qui si non esset, mors vere esset somnus quidam. Sicut enim serpens mortuus[33]) speciem serpentis retinet, sed veneno caret, nec nocere potest, ita mors vere mortua esset, si absque hoc terrore esset, qui vere est quasi venenum mortis. Orandum itaque est, ne hunc terrorem feramus in ultima hora, sed potius in vita, etiamsi sine murmure eum ferre non possimus. Sic Paulus: „Foris pugnae, intus pavores"[34]). Opus autem est per vitam pavoribus his ad mortificandum et excitandum veterem hominem, ne stertat in securitate[35]). Sicut igitur pueri, qui virga non possunt corrigi, fustibus corrigendi sunt, ita quos corporales poenae non emendant, nec docent timorem Dei, hi igni infernali et hoc sensu irae frangendi sunt, ne maneant insensati. Cum primum autem sentiunt iram Dei, ibi in spem vocandi et erigendi sunt. Haec jam est una calamitas, quae nos omnibus aliis creaturis facit calamitosiores, quae etsi sunt mutabiles et obnoxiae morti, non tamen in ira Dei mutantur, sicut nos, qui in terroribus irae divinae vivimus. Nunc sequitur altera calamitas, quod etiam peccatis sumus obruti. Hanc quoque non sentiunt nec patiuntur reliqua animantia.

OCTAVUS VERSUS.

Ponis iniquitates nostras coram te, incognita peccata nostra in lucem, sub conspectum tuum.

Dixit vivere hominem in pavoribus mortis, cur

32) Terror mortis. 33) Serpens mortuus etc. 34) 2. Cor. 7. 35) Utilitas terroris.

hoc? Quia peccatum habemus, peccati autem stipendium mors est. Conscientia igitur cum sentit peccatum, aliud sentire et statuere non potest, quam quod iratum Deum habeat, et ideo mori cogatur[36]). Vocabulum עֲלֻמֵנוּ significat abscondita vel occulta nostra. Haec, inquit, tu quasi in claro lumine solis posita habes et vides, nec sinis me esse innocentem, sicut Hiob dicit. Haec quoque non multum absunt a blasphemia, praesertim si cor intuearis, cum talia verba meditatur. Ostendit quidem se cupere esse liberum a peccatis, sed inquit, hoc mihi impossibile est. Cujus culpa? Dei scilicet, qui occultissima nostra videt, nihil condonat, omnia observat, omnia, etiam levissima in rationes suas refert. Haec cogitatio facit, ut etiam optima opera nostra nobis displiceant, siquidem coelum et terra videntur nostris peccatis repleta esse. Haec est epitasis ejus fabulae, quam nobiscum ludit Deus, ut ambulemus in sensu peccatorum nostrorum et mortis. Non autem malum est, ut supra quoque dixi, sentire haec, conqueri de calamitatibus suis, et judicare, quod nihil in nobis sit, quam damnatio. Conqueraris sane sic et gemas, deinde etiam hoc coneris, ut secundum gemitum hunc instituas et regas vitam tuam, tum fiet, ut sentias salutem.

Porro hic praecipue observanda haec sententia est, quod nullus homo omnia sua peccata videre possit[37]), praecipue si magnitudinem peccati originalis spectes. Neque id mirum est. Quis enim unicum peccatum libidinis[38]), omnibus notum, satis describere potest, etiamsi omnes essemus poetae Virgilio vel Ovidio pares? Ideo Salomo quoque dicit[39]), viam viri

36) Peccatum excitat timorem mortis. 37) Peccata sua nemo videt omnia. 38) Libido. 39) Pro. 81.

erga puellam esse investigabilem, hoc est, affectus amantium[40]) a nemine exponi aut satis dici posse. Quanto igitur minus poterunt reliqua peccata graviora et spiritualia[41]) satis agnosci, sicut sunt impatientia in adversis, blasphemiae, murmurationes contra Deum etc.? Quantum barathrum est sola incredulitas? Vere igitur peccatum tam est magnum, quam magnus est, qui peccato offenditur[42]). Eum vero coelum et terra non possunt capere. Merito igitur vocat peccatum rem absconditam[43]), cujus magnitudo non potest includi animo. Sicut enim ira Dei, sicut mors, ita peccatum quoque infinitum est. Vult autem Moses haec a nobis disci et credi, ut perterrefacti suspiremus ad Deum pro gratia, ne simus in contemtorum numero, sed contriti et humiliati ad moriendum, speremus per gratiam Dei aeternum pondus gloriae.

Qui hoc modo contriti et humiliati sunt malleo legis, hi possunt informari et doceri, ut illas sagittas Satanae moderentur, cum nos sollicitat, ut quaeramus causas, cur sic nobiscum agat Deus, cur omnem potentiam suam contra hoc aridum folium exerceat, sicut Hiob loquitur, Incidere possunt hae disputationes, sed noli terreri. Hoc potius statue, esse haec quoque peccati poenas et sagittas diaboli, quae repelluntur clypeo fidei, ad hoc valente, ut prematur securitas et superbia nostra, in quam peccatum originis nos deducit. Quantum itaque de calamitate hominum potest dici, tantum hic dicit Moses, nec credo posse haec aut melioribus aut gravioribus verbis explicari. Deducit enim narrationem usque ad extremum gradum, quod harum calamitatum causa sit peccatum, quod etsi a nobis et toto mundo absconditum est, tamen in con-

40) Affectus amantium. 41) Peccata spiritualia. 42) Peccatum res infinita. 43) Peccatum absconditum.

spectu et claro lumine Dei collocatur. Quid potest dici gravius? Differt tamen Moses, a reliquis blasphemis, quod adhuc servat gemitum illum filialem erga patrem Deum, non avertit a Deo faciem, non detrahit Deo, non blasphemat, sed recto vultu filialiter murmurat et querulatur. Hoc non faciunt impii in tali sensu irae Dei, sed quia omnem spem de bonitate Dei, sicut Judas, Cain, Saul, abjiciunt, ideo vehementissimo odio Dei ardent, Deum blasphemant in corde suo, et magis magisque peccant. Nunc sequitur.

NONUS VERSUS.

Quoniam omnes dies nostri abeunt in ira tua, annos nostros finimus velut sermonem.

Verbum פָּנָה (quod nos vertimus pro abire) complectitur insignem tapinosin seu extenuationem vitae humanae[44]). Significat enim, quod vita nostra non vertat ad nos faciem, quasi veniat, sed dorsum potius, quae celerrimo cursu fugiat, sicut eleganter inquit poeta:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi,
Prima fugit, subeunt morbi etc.

Ita si omnes annos numeres, a peccato Adae usque ad ultimum articulum temporis, videbis omnes illos annos cum universo genere hominum nihil esse quam recessum et fugam. Non est duratio stata aut fixa, sed ut poeta dicit:

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.

Haec Moses non primus nec solus docuit, sed a patribus accepit, qui omnem vitam compararunt celerrimae fugae. Sed longe gravissimum est, quod non solum dicit fugere vitam, sed illam fugam esse etiam poenam

44) Vita brevis.

a Deo irato inflictam [45]). Sustinent hanc calamitatem etiam cetera animantia, quod non ita longaeva sunt, sed in animantibus non accidunt haec ex ira Dei. Itaque Moses hic suo more officium suum facit, et sic nos nostrae calamitatis admonet, ut animi tantis periculis perculsi exuant omnem securitatem, et in timore Dei discant simul orare.

Quod addit: „Finimus annos nostros velut sermonem seu loquelam," etiam pertinet ad extenuationem vitae nostrae plane miserrimae [46]). Sicut poema aut potius versiculus aliquis Virgilii quasi transit, cum recitatur, sic transit vita nostra. Porro similitudo haec utrimque aptissima est, sive eam intelligas secundum substantiam sive secundum motum. Quod ad substantiam attinet, nemo novit, quid sit sermo [47]). Est sonus, quo feriuntur aures, sed cujus nec principium nec finem noris, quid aut unde sit. Antequam incipis loqui, nihil est, cum desiisti loqui, etiam nihil est, praeter sonum nihil novimus, quid sit sermo. Talis, inquit, est vita nostra, est ceu echo quidam, qui brevissime finitur et abrumpitur. Si similitudinem malis intelligere de motu, etiam bene quadrat [48]). Quid enim humana voce est celerius? Visus [49]) quidem celerior est, sed haeret tantum in uno objecto, neque enim uno momento ad varia objecta recto cognoscenda transferri potest. Sed oratio [50]) in ictu oculi et perfecte sonat ex ore, et simul omnium auribus eodem instanti seu puncto temporis ingeritur. Haec causa fuit, cur finxerint poetae Mercurium alatum [51]), et notum est epitheton Homericum: Alata verba, et Ovidius: Volat irrevocabile verbum.

---

45) Vita fugit. 46) Comparatur vita sermoni quoad substantiam. 47) Sermo. 48) Quoad motum. 49) Visus. 50) Oratio. 51) Mercurius alatus.

Sive igitur substantiam sermonis sive motum intelligas, est summa extenuatio brevitatis vitae [52]), quod neque vitae nostrae ortum nec finem novimus, sed sicut quidam strepitus ac sonus absolvitur, ubi neque ante nec post aliquid manet reliqui, sic, inquit Mose, est vita nostra. Luscinia [53]) parva avicula est, et tamen voce sua replet coelum et terram. Unde autem vox haec sit, ubi incipiat, ubi desinat, nescis: sic est vita nostra. Quis igitur superbiat in opibus, potentia, dignitate, cum non solum res istae fluxiles sint, sed etiam vita nostra sit brevissima?

DECIMUS VERSUS.

Dies annorum nostrorum sunt septuaginta anni, aut ad summum octoginta, e quibus quod optimum est, est molestia et labor, transitus enim celer est, et avolamus.

Si ponimus hanc comparationem inter annos nostros et Dei, septuaginta anni non aequivalent uno momento aut punctulo. Sed Moses vult eos comparari inter se, sicut dicit, in ipsis, ibi septuaginta anni sunt molestia et dolor. Porro septuaginta et octoginta annos [54]) intelligas secundum punctum physicum et non mathematicum. Neque enim praecise significat septuaginta aut octoginta, quasi nihil infra aut supra sit, sed cum fere hoc tempus attingant homines, ponit hunc communem terminum. Nam quod superest, non meretur dici vita, siquidem tum omnia, quae naturalis vitae sunt, desinunt, non cibo, non potu cum voluptate fruuntur homines, ad nullas res gerendas fere sunt utiles, et aluntur tantum in poenam suam. Sed anni praecedentes, si respicias ad Deum, sunt quasi so-

52) Brevitas vitae humanae. 53) Luscinia. 54) 70. et 80. anni.

mus oris, qui celerrime dissipatur, apud nos sunt quasi volatus quidam, in quo nihil sentitur, quam labor et dolor. Hic mihi considera, an non magna calamitas sit, quod, etsi ista omnes patimur et experimur, tamen paucissimi sunt, qui, ut ita loquar, sensata haec sentiant, sicut proverbio germanico dicitur, senes stultos stultissimos esse [55]). Quotus enim quisque est, qui etiam cum ad illam annorum miseriam pervenit, intelligat senectutem, mortem et similia esse poenas? Quin mirabili stultitia juvenescunt, non sensu solum, sed saepe etiam affectu. O miserrimam miseriam!

Sed hic movetur quaestio, an hoc tempore sint anni vitae pauciores, quam Mosis tempore [56]), et an tempore Mosis omnes communiter attigerint septuagesimum vel octuagesimum annum. Moses quidem attigit annum centesimum et vicesimum *), David non attigit octuagesimum. Itaque ponit hunc certum annorum numerum tanquam medium quiddam, quod fere attingunt homines. Nostra aetas hodie non multum defecit, si modo viveremus ipsorum more moderate, et non corrumperemus valetudinem et vitam nostram immodico luxu et crapula [57]). Ipsi ad dimensum vixerunt in summa frugalitate, itaque et tolerare sumtus eis facile fuit, et pervenerunt ad justam aetatem, quam fortasse nos quoque impleremus, si pari moderatione corpus regeremus, quanquam eorum sententiam non improbo, qui existimant etiam decrevisse aliquid de aetate hominis nostro tempore. Ante diluvium [58]) anni quingenti aut quadringenti fuere medium physicum, quod fere attingebant homines. Nam usque ad octingentesimum et noningentesimum patres pervenerunt.

---

55) Die alten Narren die besten. 56) Aetas hominis. 57) Vitam corrupimus crapula etc. 58) Aetas patrum ante dilvuium.

*) In edit. princip. leg.: quadragesimum.

Sicut autem post diluvium multum decessit aetati hominum, ita verisimile est nostrum saeculum degenerasse nonnihil a saeculo Davidis.

Sicut igitur Moses tanquam communem terminum ponit annos septuaginta, ita nostro tempore ponamus quadraginta aut quinquaginta. Nam paucissimi sunt, qui attingunt sexagesimum, et hi judicantur esse in provectiore aetate. Neque mirum, si quis enim rationem ineat secundum nostram immoderatam dietam [59]), praeut illi frugales et parci fuerunt, mirum potius est quosdam sexagesimum attingere posse. Nam ex parentibus immoderatis necesse est liberos infirmioribus corporibus nasci. Ita ex sola immoderatione victus facile est judicium, decessisse aliquid vitae hominum. Quae autem hic de complexionum vitiis ex causis coelestibus possunt dici, ea relinquo philosophis et mathematicis: nobis satis est experientia quotidiana. De incommodis senectutis [60]) hic non est necesse disputare, quae Cato apud Ciceronem magno conatu defendit esse levissima. Nam res superat verba, et communis sensus est in contrario. An non est magnum incommodum, hominem senem fere omnibus privari, quibus haec vita condita est?

Recitat Cicero ex Platone historiam de Sophocle [61]), eum confecta jam aetate, cum quidam interrogaret, utereturne rebus venereis, respondit: Dii meliora, libenter vero istinc sicut a domino agresti ac furioso profugi. Hanc vocem vehementer praedicat Cicero, sed si nos rem recta aestimanus ratione, videbimus loco unius juvenilis libidinis succedere in senibus, ut sic dicam, centum graviores et pejores libidines, invidiam, iram, curas, impatientiam, dolorem, quem movent mala exempla etc. [62]). Recte igitur comicus dicit: Senectus per se

59) Dieta nostra immoderata. 60) Incommoda senectutis. 61) Sophocles. 62) Senum vitia.

ipsa morbus est[63]). Vere igitur dicitur incommoda vita, quae sibi et aliis gravis est. Quodsi fuerunt aliqui, qui senectutem nec aliis molestam nec sibi injucundam vixerunt, quid ii sunt ad totam reliquam multitudinem? Neque enim, ut in proverbio est, una hirundo ver facit. Duo vocabula עָמָל[64]) et אָוֶן[65]) fere usurpantur figurate, hic autem sunt in sua propria significatione, sicut Hiob 5.: „Homo natus est ad laborem seu molestiam, sicut avis ad volandum.“ Sed scriptura alibi utitur his vocabulis pro religione conficta seu idololatria, idque ideo, quia omnis superstitio[66]) et idololatria vere excarnificat homines, sicut germanice vocamus martyres diaboli[67]), qui ipsi sibi cumulant molestias praeter necessitatem, et exstat germanicum proverbium, infernum majoribus sudoribus et laboribus parari, quam coelum. Nam falsa religio[68]) seu idololatria non potest habere veram laetitiam cordis et pacem in domino. Necessario igitur affert inquietum cor et perturbatum. Quare pulchre hae appellationes idololatriae conveniunt. Sic tota vita est dolor et labor[69]), nisi in quantum haec mala mitigantur fide et spe misericordiae in regeneratis, qui sunt novi homines et senescere nequeunt.

Quod in altera parte versus est: „Transitus enim celer est, et avolamus,“ non habet opus longa explicatione. Nam experientia discimus veram esse sententiam. Mihi puero narrabatur fabula[70]), patriarcham aliquem rogasse, ut divinitus sibi ostenderetur, quamdiu esset victurus? Cum itaque intellexisset, mille et quingentos annos se

---

63) Senectus per se morbus. 64) עָמָל. 65) אָוֶן. 66) Superstitio. 67) Martyres diaboli. 68) Falsa religio etc. 69) Vita nostra est dolor et labor. 70) Fabula.

adhuc victurum, incepisse tum primum sibi aedificare in solitudine naturiolum quoddam, quod sibi soli sufficeret, et non domum. Hanc fabulam quisquis finxit, certe voluit ostendere, vitam etiam tot annorum nihil quam volatum esse et celerrimum transitum: at nunc sic aedificant homines, quasi in aeternum hic victuri sint.

UNDECIMUS VERSUS.

Quis novit potentiam irae tuae, et quis metuit furorem tuum?

Est epiphonema, quo claudit narrationem hanc. Paucissimi sunt, inquit, qui considerant magnitudinem irae tuae, et tam horribilem furorem tuum, reliqui secure vivunt [71]) praesente, regnante et stante furore tuo super eos, non considerant, quod sint in peccatis, et te habeant iratum, sentiunt quidem mala sua, sed non agnoscunt nec credunt, vivunt sicut bestiae, ac si in contrario statu essent, in summa gratia, in aeterna vita. Ita omnia incommoda vitae ex animo et oculis ejiciunt, et securi aut blasphemant aut contemnunt. Vivunt annos septuaginta, hos aestimant, ac si sint aeternitas. Imo invenias, qui tam calamitosam vitam prae illa optare ausint, et indignentur se creatos esse ad immortalitatem, sicut narrant de quodam rustico [72]). Is cum multa de coelo et beatorum consortio audiret ex parocho, quid coelum, inquit, praedicas, si haberemus frumentum, was Himmel, hätten wir hie Mehl! Tales homines nihil sentiunt de morte, sed sunt vere insensati, sicut bruta, omnia ducunt pro nihilo. Hanc caecitatem deplorat hic Moses, quod homines sic sint dementati,

---

71) Securitas hominum pestifera. 72) Rustici cujusdam impia vox.

ut sua summa incommoda non intelligant, etiam cum ea sentiunt, sed sicut servi assuefacti ad plagas ferendas, nihil emendantur flagello Dei. Tales, inquit Moses, sumus nos omnes, laboramus incredibili stupore cordis, ut mala, quae sentimus, non intelligamus.

Atque hic ostendit, cur narrationem hanc et propter quos instituerit[73]), nempe propter insensatos peccatores, ut deducantur ad cognitionem suarum calamitatum. Nam haec summa miseria est[74]), quod nos homines in tantis calamitatibus, quarum non est numerus, et in tam brevi vita, et in periculo, imo in certo eventu mortis aeternae vivimus, et tamen non sentimus, nec satis intelligimus haec. Hunc tantum stuporem quis satis potest explicare? Philosophi hominem definiunt[75]) esse animal rationale. Sed hoc quis dicet in theologia esse verum? Ibi enim vere homo est statua salis, sicut uxor Lot, quia illam magnam iram Dei non intelligit, et ruit imprudens in mille pericula mortis, imo saepe volens et sciens. Hanc calamitatem nostram Moses hic nobis ob oculos ponit, quod simus coram Deo accusati et damnati, ut aperiamus oculos, et credentes hoc exuamus securitatem, et oremus pro liberatione, siquidem sic oppressi sumus morte aeterna et peccatis, et tamen id non sentimus, nisi admoneamur, admoniti autem non credamus. Nam cum temporalia illa, de calamitatibus hujus vitae, non intelligamus nec credamus, quanto credemus minus spiritualia, de aeterna morte et aeterna vita? Magna haec sunt, inquit, sed quis credit?

Quis metuit furorem tuum?

Furor tuus tam est magnus, quam tu es, ergo est infinitus furor et immensa ira[76]), et tamen hoc homo

73) Cur institutus hic psalmus. 74) Summa miseria naturae humanae. 75) Homo secundum philosophos etc. 76) Ira Dei immensa.

non sentit, sed sicut ille in comoedia oppedit Jovi tonanti, ita illi securissime contemnunt Deum. Media vita in morte sumus, et tamen non pavemus, non credimus, sed incedimus securissime etiam tum, cum omnia pericula jam incumbunt cervicibus nostris etc. Includit autem haec querela petitionem, quod optat Mose eximi ex suo et omnium hominum cordibus hanc pestiferam securitatem, et accendi corda fide, ut credant haec vera esse, et exhorrescant propter tam magnam iram Dei. Qui enim intelligunt et statuunt haec esse vera, emendantur et praebent se faciles doctoribus, alii manent in damnatione, et secure contemnunt sua pericula, donec ea experiantur. Optandus itaque est hic sensus mortis et irae, humiliatio et contritio illa.

DUODECIMUS VERSUS.

Doce nos, ut sciamus numerum dierum nostrorum, ut incedamus corde sapienti.

Audivimus hactenus a principio significari per Mosen, quod post hanc vitam sit alia vita, nec simpliciter vita alia, sed vel vita irae vel gratiae [77]). Frustra enim alioqui esset invocare hunc regem, extra hanc vitam, imo extra mundum hunc positum, si non esset alia vita et mundus alius. Neque enim Deus videtur humanis oculis, sicut caesar, nec auditur sicut homo, sed est extra conspectum nostrum, imo etiam extra cogitationes cordis humani, sicut apparet ex gentium libris, etsi enim loquuntur de Deo, tamen dubitative loquuntur [78]). Deinde quidquid cultuum Dei suscipiunt, suscipiunt propter hanc praesentem vitam, de futura non cogitant. Est autem usitata sententia in scholis theologorum, non exstare multa testimonia de vita ae-

77) Vita gratiae vel irae post hanc futura. 78) Gentes quomodo de Deo loquantur, et quo fine eum colant.

terna et resurrectione mortuorum in veteri testamento. Atqui si[79]) prophetas et alios sanctos videas orantes et invocantes Deum extra omnia, quae videmus, positum, statim videbis, quod ipsa invocatione Dei fatentur esse aliam vitam post hanc vitam, sive sit gratiae sive irae vita.

Ad hunc modum quoque prima tabula, cum docet Deum esse, et misericordem timentibus eum, et acerrimum judicem in securos et impoenitentes, clare docet, non solum post hanc vitam restare aliam vitam, sed futurae vitae conditionem aut fore sub gratia aut sub ira. Hujusmodi testimonia et certa sunt, et non sunt sic rara, sicut scholastici somniaverunt. Admonuimus autem supra, quo consilio Moses universam nostram tum vitam tum mortem referat ad Deum invisibilem et extra omnia visibilia positum, ut scilicet nos adigat ad timorem et reverentiam invisibilis Dei, item, ut in nobis accendat metum futurae irae et spem vitae aeternae. Atque in hoc differunt gentium libri a sacris[80]), quod gentes non certo possunt statuere, quod Deus sit, et homines curet etiam post hanc vitam, sicut Moses hic ostendit et in his, quae sequuntur, faciet copiosius et clarius. Nunc enim ingredimur alteram hujus psalmi partem.

In prima parte[81]) satis diligenter posuit in conspectum omnes calamitates generis humani. Videt autem inter reliquas hanc non esse postremam, quod tanta sive malitia sive poena peccati originis est, ut ne sentiamus quidem ista mala, quae patimur. Ideo prophetae et sanctissimi quique coguntur orare, ut homines saltem agnoscere hanc miseriam suam possint. Sive igitur peccatum originis qualitatem sive morbum

79) Testimonia de vita futura post hanc. 80) Gentium libri. 81) Prima psalmi pars.

vocaverimus, profecto extremum malum est, non solum pati aeternam iram et mortem, sed ne agnoscere quidem, quae pateris, adeo ut necessaria sit oratio pro toto genere humano, ut ista cogitare possit, quae videt, imo quae experitur fieri, quod haec vita[82]) non solum brevissima, sed variis malis obnoxia est, quodque post illa corporalia incommoda exspectanda sint aeterna. Satis malorum esset, absconditum esse peccatum originis, sed quod etiam ipsa poena peccati est abscondita, haec non lepra est, quae nihil sentit, sed vere lapidis natura.

Orat itaque Moses, ut doceat dominus nos numerare nostros dies. Hoc non sic intelligendum est[83]), quasi optet indicari diem aut horam mortis, sed ut homines vere cogitent de vita sua, quam misera et calamitosa sit, quod sicut umbra fugit, et vel irae vel gratiae aeternitas subeunda est. Tales arithmeticos optat omnes nos fieri, ne fingamus nobis infinitos annos, sicut praecipue tyranni solent, aut longissimam vitam cogitant, aut sperant se una infelici hora omnibus periculis defungi posse. Haec summa est miseria, quando praesens mors et ceterae prementes calamitates aut non considerantur aut contemnuntur. Contra hanc miseriam orat, ut per Spiritum sanctum doceamur numerare nostros dies, et ut tentationibus mortis et aliorum periculorum divexemur, ut cogitemus de nobis, quid simus, et etiam centum annos hujus vitae ducamus similes puncto mathematico et brevissimo momento, sicut profecto est, cum vera ratione, quam Moses hic docet, aestimamus vitam nostram.

Haec nisi viderem Mosen hic cum tanta gravitate et tam serio orare, nunquam mihi in mentem venissent, quod roganda essent. Sic enim putabam omnium corda

82) Vita humana. 83) Numerari dies quid.

sic pavere et terreri periculis mortis, sicut ego terreor. At diligentius intuenti haec apparet inter decem millia vix decem inveniri, qui haec sic aestiment, reliqua turba omnis sic vivit, quasi nec mors nec Deus ullus sit. Haec maxima est miseria et dignissima lacrymis [84]), quod homines in ipsa morte somniant vitam, in ipso calamitatum omnium pelago somniant felicitatem, in extremis periculis securissimi sunt. Recte igitur docemur orare, ut numerentur dies nostri, non ut praefinitum nobis tempus sciamus, sed ut consideremus, quam misera et brevis sit vita nostra [85]) propter mortem et iram Dei aeternam, singulis momentis nobis impendentem. Invenies alicubi homines tentatos, qui sine oratione hunc sensum nimium habent: sed major pars eum non habet, siquidem fere omnes sic vivunt, ut unum momentum, quo vivunt, existiment esse saeculum. His pernecessaria est oratio haec, quam Moses hic praescribit. Sed audi, quid addat.

Et incedemus corde sapienti.

Usitata est phrasis in verbo נָבִיא, incedemus. Usurpatur enim pro eo, quod dicimus, res gerere, versari in negotiis, administrare aliquid, quasi dicat: Haec vita ejusmodi est, non ut standum nec otiandum, sed incedendum sit, hoc est, aliquid gerendum, sive in oeconomia, sive in politia. Da itaque gratiam, ut id faciamus sapienter, hoc est [86]), in humilitate et in timore tuo, ut meminerimus nos esse sub ira tua propter peccatum nostrum, nec simus in ea hominum faece, quae nec vitam nec mortem suam aut recte novit aut curat, sed tantum pascit ventrem, quaerens glorias et potentiam. Hi incedunt in summo contemtu irati Dei, neque gra-

---

84) Miseria hominum. 85) Vita brevis et misera hominum. 86) Sapienter incedere.

tiam nec iram curant, vivunt itaque in extrema stultitia et ignavia. Serva igitur nos in sapientia hac, hoc est, in timore tuo. Nam initium sapientiae seu summa sapientia[87]) est timor domini, nosse iram Dei, et post vivere et agere omnia in humilitate.

Ad hunc modum commendat scriptura timorem Dei[88]), quando homines ita vivunt, ut singulis horis metuant iram Dei, et sentiant se mortem esse meritos. Haec enim prima est pars salutis, nullam videre salutem propter peccatum. Haec est summa sapientia, incedere in cognitione irae Dei. Ita enim paramur tanquam terra aratro ad suscipiendum semen illud divinum, cujus fructus est aeterna vita. Pharao, Senacherib et alii hac sapientia carent, itaque pereunt, priusquam intelligant se perire, sunt enim excaecati potentia et viribus suis. Contra Ezechias in Hierusalem obsessus, Moses et Judaei ad rubrum mare, inveniunt certam et gloriosam liberationem. Quare ita statuamus, non esse damnabile, si sentias iram Dei, sed esse initium salutis, quod non obtineri potest sine oratione assidua. Est enim singulare donum Dei, quod ratio nec capit nec intelligit, alioqui Moses non cum tanto conatu hanc sapientiam flagitaret dari.

XIII. VERSUS.

Convertere domine, usque quo? esto propitius servis tuis.

Hoc est caput institutae orationis. Videt paucos esse, qui vivant in timore Dei, qui numerent dies suos et sapienter agant, pro his paucis, quos vocat servos Dei, orat, ut eos Deus consolari velit[89]). Sicut autem supra, cum totum humanum genus occidit, de morte

87) Sapientia summa. 88) Timor Dei. 89) Consolatio a Mose proposita.

et ira Dei aeterna locutus est, ita hic quoque loquitur non de aliqua consolatione carnis in hoc saeculo, sed de aeterna vita. Hanc non solum rogat, sed simul etiam promittit iis, qui primam illam gratiam habent, ut intelligant iram Dei, et sentiant judicium divinum. Includit itaque haec petitio obscure prophetiam de Christo venturo, siquidem salus aeterna tantum per Christum parari potuit. Oportuit autem mysteria haec salutis abscondi[90]) propter Epicuraeos et alios securos homines, usque ad adventum Christi, in quo revelati sunt thesauri misericordiae Dei.

Sententia itaque facilis est. Oppressisti nos calamitatibus, dedisti hanc primam sapientiam, ut agnosceremus iram, jam mi Deus desine, satis occidisti, satis oppressisti, satis humiliasti nos, convertere tandem, et esto nobis propitius, ostende nobis etiam, quam benignus et misericors sis, ut habeamus, quo in his terroribus consolari corda nostra possimus. Loquitur enim de conversione totius irae et mortis, non temporalis, sed aeternae. Quid enim aliud rogaret loco illorum terrorum[91])? Quid solatii in eo esset, si unum aut alterum diem transigeremus hilarem? Ergo loquitur de vita et salute infinita. Si alii nolunt numerare dies suos, at servis tuis esto propitius, qui eos numerant assiduo, et metuunt te, qui incedunt corde sapienti, et expendunt iram tuam. Es enim Deus, qui mortificatos iterum vis vivificare etc.

Porro supra quoque de hac sententia admonui. Quia enim orat ad talem Deum, qui est rex extra hanc corporalem nostram vitam, ergo orat simpliciter pro aeterna vita obtinenda. Nam si alia vita, praeter hanc corporalem, nulla esset, qua in re nobis opus esset

90) Mysteria salutis abscondita etc. 91) Quid roget Mose.

Deo? Habemus dominium in creaturas reliquas, in pisces, volucres et bestias agri, id pro hac corporali vita satis esset, constitutis politiis et oeconomiis. Sed Moses ostendit post hanc vitam esse aliam vitam, siquidem in hac necessitate orat ad eum Deum, qui est extra mundum et invisibilis. Sequitur itaque etiam gratiam ejus et vitam, quam ab eo postulamus[92]), esse invisibilem, et pertinere ad aliam vitam, quoad nos, et non quoad boves, quia, sicut Paulus dicit[93]), „non est ei cura de bobus."

Quod igitur ad hunc modum docet exspectandam salutem aeternam per Deum, occulte ostendit Deum incarnandum esse[94]). Id si Judaei non omnes intellexerunt, quid ad nos? Tamen ne hodie quidem omnes religionem nostram aut norunt aut curant. Sicut itaque apud nos etiam multi, qui psalmum hunc canunt, non tamen eum intelligunt, ita sub lege tantum spirituales[95]) haec mysteria obscure ostensa viderunt et intellexerunt, quod Deus, quem ipsi colebant in tabernaculo, et credebant habitare in propitiatorio, suo tempore esset incarnandus, et salutem hanc allaturus hominibus, contra iram Dei et mortem aeternam. Alii[96]) tanquam porci tantum fuere intenti in voluptates suas et temporales curas, sicut multi hodie evangelio abutuntur, quasi omnia sint in temporalibus posita. Sed nos decet exspectare aliam vitam et regnum aliud[97]), quod Moses hic significat esse aeternum regnum, ac sine dubio, cum hunc versum scriberet, vidit mysterium salutis nostrae, et vitae aeternae aliquem gustum habuit, siquidem territos peccatis suis ad hunc modum orare et sperare salutem docet.

92) Gratia Dei, quam petimus etc. 93) 1 Cor. 4. 94) Deus incarnandus etc. 95) Pii sub lege. 96) Impii tempore legis. 97) Exspectanda alia vita.

XIV. VERSUS.

Imple nos mane misericordia tua, et jubilabimus, et exsultabimus cunctis diebus nostris.

Misericordiam proprie eam significat[98]), quae pertinet ad institutum negotium, hoc est, non aliquam particularem misericordiam, sed vere universalem, quae ad totum hunc morbum pertinet, de quo hactenus est conquestus. Est autem confessus et conquestus non de particulari aliqua calamitate vel morbo, qualis fuit exilium in Aegypto aut Babylone, sed de universali calamitate totius generis humani[99]), de peccato et ira Dei, qua totus mundus oppressus jacet. Cum itaque nunc petat misericordiam, certa consequentia sequitur, eum talem misericordiam petere, quae sit medela hujus communis et universalis mali. Alioqui quid aut cur peteret contra infinitam calamitatem aliquod leve et exiguum beneficium paucorum annorum?

Utitur quidem scriptura saepe de particularibus beneficiis et corporalibus vocabulo misericordiae, sed hic ipse textus et cohaerentia sententiarum cogit, ut misericordiam[100]) generalissime accipiamus, de generali salute contra generalem perditionem peccati et mortis, ut sit sententia: Da abundantem misericordiam, non particularem, qua vel regnum vel valetudo conservatur, plenitudinem et abundantiam misericordiae tuae petimus. Nam in ista calamitate, quae totum genus humanum premit, non sufficit nobis particularis et quasi stillabilis (ut sic loquar) misericordia, sed diluvium quoddam et mare, quod exsaturet nos: tunc exsultabimus et laetabimur. Nam illa sola misericordia, quae nos a peccato liberat, et assecurat de certa salute

98) Misericordia universalis Dei. 99) Calamitas universalis generis humani. 100) Misericordia.

aeterna, parit perpetuum et verum gaudium, gratitudinem et gratiarum actionem.

XV. VERSUS.

Laetifica nos rursum post diuturnam afflictionem, secundum annos, quibus vidimus afflictionem.

Notum est ex superioribus, de quibus humilitatibus seu afflictionibus loquatur. Dixit enim: Tu avertis hominem in nihilum, in furore et ira tua deficiunt dies nostri. Ibi loquitur de malis[1]), quae vidimus a tempore vitae, imo quae totum genus humanum sustinet et patitur a principio mundi usque in finem. Pro hoc malo, inquit, te nunc oro, quo nos humiliasti statim a nativitate, et pro istis annis, quibus vidimus generalissimam subversionem nostri propter peccatum. Ostendit itaque, quod petat aeternum remedium contra mala nobiscum nata et durantia, scilicet contra peccatum originis et poenas ejus. Haec mala, inquit, deprecamur, et petimus remissionem peccatorum aeternam[2]), non legalem, contra perpetuum malum. Deinde petimus etiam liberationem a poena[3]), ut simus non solum justi, sed etiam laeti et jucundi, ut humiliatio et peccatum tollantur per remissionem peccatorum, et visio malorum (sicut ipse loquitur) per exsultationem et salutem, quae est liberatio a poena.

Porro non obscurum est, quod his generalibus verbis orat propheta adventum Christi in carnem. Neque enim redemtio haec potuit contingere, quam per illud unicum semen benedictionis. Oportuit enim mysterium hoc ita obscuris verbis ostendi, ut hi, qui essent

1) Mala, de quibus Mose loquitur. 2) Remissio peccatorum. 3) Liberatio a poena.

sancti, intelligerent, quo pacto salvandi essent. Atque hoc Spiritus sancti lumen est, quod necessaria cohaerentia textus probat, orare Mosen pro remedio irae generalis contra peccatum. Id quia unius Messiae erat, includit haec petitio Christum. Hoc sancti intellexerunt adjuti Spiritu sancto, reliqua rudis et carnalis turba non vidit, propterea quod scriptura his ipsis vocabulis saepe utitur in corporali salute et particulari. Qui itaque contextum non observant, nunquam intelligent peti hic, ut Christus in carnem veniat, et liberet mundum a peccatis et morte. Haec enim est illa plenitudo et saturitas misericordiae, sicut psalm. 130. vocat copiosam redemtionem. Nam isto pretio, quod pro peccatis exsolutum est, infiniti mundi potuerunt redimi.

XVI. VERSUS.

Appareat servis tuis opus tuum, et gloria tua filiis eorum.

Pertinent haec ad eandem petitionem supra institutam. Vocabulum פֹּעַל est notum, vertitur plerumque opus, sed ita ut intelligas opus remunerationis seu praemium, sicut in Esaia [4]): „Merces ejus cum eo," ibi est פְּעֻלָּה, et in psalmo 109.: „Hoc opus eorum," item in Hiob: „Hoc opus eorum, qui impii sunt," id est, hoc est praemium, haec hereditas seu remuneratio eorum est. Ad hunc modum hic quoque intelligitur opus Dei [5]) praemium seu merces, quam reddit Deus iis, qui sustinuerunt in fiducia misericordiae ejus illos terrores mortis et alia pericula, de quibus Moses dixit, quasi dicat: Sumus vexati peccatis et oppressi morte, fuimus turpissima mancipia daemonum, redde itaque tu nobis tuum opus, contra illud Satanae opus. Nam

4) Esai. 40. 5) Opus Dei.

pronomen „tuum“ [6]) includit cum emphasi antithesin. Convenit itaque phrasis et sententia cum eo, quod Joannes dicit in sua canonica [7]): „Venit Christus, ut dissolvat opus diaboli. Opus diaboli [8]) est, quod supplantavit nos et per peccatum nos ex vita conjecit in mortem, sicut epistola ad Ebraeos [9]) Satanam vocat auctorem mortis. Contra hoc opus Satanae venit Christus cum suo opere [10]), et destruxit mortem ac vitam illuminavit. Sunt enim haec vere divina opera, justificare, vivificare, salvare.

Usurpat quidem Deus sibi opus mortificationis quoque, sicut supra in oratione Mosi audivimus, et scriptura manifeste dicit de Deo, quod occidit et vivificat. Sed Esaias haec distinguit, et dicit, quaedam esse opera Dei, sed aliena, quaedam autem propria. Propria sunt illa misericordiae opera [11]), quod remittit peccata, justos pronuntiat, et salvat credentes in Christum. Aliena opera sunt [12]), judicare, damnare, affligere impoenitentes et incredulos. Haec cogitur Deus sibi sumere et suum opus dicere propter superbiam nostram, ut humiliati ipsum agnoscamus dominum, et pareamus voluntati ejus. Deinde cogitur id etiam facere propter eam causam, quam supra ostendimus, ne Manichaeorum [13]) exemplo fingamus nobis plures esse deos, seu aliud principium bonorum, aliud malorum. Vult Deus, ut mala, quae nobis inferantur, statuamus nobis inferri ipso permittente. Nam nisi permitteret, nunquam diabolus Hiobem sic afflixisset. Ideo autem permittit, ut humiliati nos rejiciamus in misericordiam. Sic vocabulum פעל significat quasi recompensationem, ut sit sententia: Appareat opus tuum, hoc est, humiliatos nos morte vivifica, vexatos peccato, justifica, et sic proprium tuum opus nobis ostende, vitam et justitiam etc.

Atqui, inquies, idem supra petivit, cum optavit saturari misericordia. Verum est, sed hic oratio in eo intenditur, quod petit id opus misericordiae ostendi, ut sentiatur. Neque enim satis est habere donum, nisi etiam oculi aperiantur, ut donum videamus, sicut Paulus dicit ad Corinth. [14]): „Spiritus nobis revelavit, ut sciamus, quae nobis donata sunt.“ Habent omnes vi-

6) Tuum. 7) 1. Joann. 3. 8) Opus diaboli. 9) Cap. 2. 10) Christi opus. 11) Propria Dei opera. 12) Aliena Dei opera. 13) Manichaeus. 14) 1 Cor. 2.

tam, sed quotusquisque est, qui sentit eam esse donum Dei, qui pro ea Deo gratias agit, et petit eam conservari? Pertinet itaque hic versus eo, ut sensus hujus divini beneficii penetret corda, ne dubitent de remissione peccatorum, ut opus Dei seu misericordia sic exhibeatur, ut corda certa sint de sua redemtione, ut videant vitam, salutem et justitiam suam, sicut David petit in psalmo 51.[15]) se confirmari spiritu certo. Sed pulchrum est, quod hoc opus Dei vocat gloriam Dei[16]), cum addit: „Et gloriam tuam filiis eorum." Sic fere conjungit haec psalmus 19.: „Coeli enarrant gloriam Dei, et opera ejus annuntiat firmamentum," quanquam in hoc loco est הָדָר, quod significat gloriosum et pulcherrimum ornatum seu vestes splendidas, sicut psalmo 96.: „Confessionem et decorem induisti." Ideo autem scriptura hac phrasi utitur, et Deum splendido vestitu ornatum dicit[17]), ut ostendat Deum apparere et manifestum fieri in cordibus hominum per sua gloriosa et magnifica opera, in quibus tanquam splendido vestitu indutus apparet.

Sunt autem haec opera, quod Christus est nobis a Deo factus nostra justitia, sapientia, sanctitas, redemtio[18]), lux, laetitia, et omnia bona, quod est via, veritas, vita nostra[19]). In his operibus vitae, salutis et justitiae, cum nobis apparet Deus, tum vere apparet in sua gloria[20]). Antequam autem sic apparet, tunc vere est, sicut Moses dicit, sub tenebrosis aquis. Quare pavidae conscientiae, quae opus gloriae ejus non vident, ab eo metuunt et imaginantur eum esse diabolum, nec possunt eum pingere in quadam amabili forma seu habitu. Gladiis et fulmine armant eum, ut revera nihil neque in coelo nec in terra sit truculentius aut foedius irato Deo[21]). Talis apparuit in Sina, talem Moses eum supra quoque descripsit. Hic autem petit ostendi aliam formam, quam cum voluptate possimus intueri, et de qua laetari possimus. Talis vere est Deus, cum eum adspicimus in persona Christi. In eo enim est summa misericordia, vita, salus, liberatio[22]). In eo videtur Deus gloriosus, hoc est, indutus suis gloriosis

15) Psal. 51. 16) Gloria et opus Dei etc. 17) Vestitus Dei sunt opera ejus, quibus se ostendit. 18) 1. Cor. 1. 19) Joann. 14. 20) Apparitio Dei in sua gloria. 21) Conscientiae pavidae quomodo Deum pingant. 22) Forma Dei jucunda.

et jucundis operibus. Ad hanc modum, inquit, ostende te nobis miseris et damnatis peccatoribus.

Haec est prima pars petitionis, qua rogat remissionem peccatorum et justitiam et vitam aeternam. Sic autem petit haec, ut simus certi, ne cor nostrum quidquam de his dubitare possit. Hoc autem quia non fit nisi in Christo, proprie haec petitio includit adventum Christi in carnem. Quae nunc sequentur, et quibus claudit orationem, proprie pertinent ad nostra opera.

XVII. VERSUS.

Sit jucundus dominus Deus noster super nos, et opus manuum nostrarum confirma super nos, et ipsum opus manuum nostrarum confirma.

In voce נֹעַם est quasi diluvium quoddam gratiae. Hactenus, inquit, domine, petivimus tuum opus [23]). Ibi nos nihil agimus, sed tantum sumus spectatores et receptores tuorum munerum, sumus mere passivi. Ibi enim te nobis ostendis, et nos salvos facis solo tuo opere, quod tu facis, cum liberas ab eo morbo, quem Satan toti humano generi in Adamo inflixit, nempe peccatum et mortem aeternam. Post hoc tuum opus venimus etiam nos cum nostro opere [24]), quando sic justificati sumus, et sancte vivimus in obedientia verbi tui, idque tibi placet et gratum est, sed tamen hoc quoque est ex gratia tua, et procedit ex primo opere tuo. Sit igitur dominus Deus noster jucundus super nos [25]), ut placeamus ei, postquam per mortem filii sumus cum eo reconciliati. Optat enim, ut dominus sit laetus et jucundus super illis, quibus apparuit opus ejus, ne nos paveamus a facie ejus, sed statuamus ei placere nos et nostra. Petit autem id ideo, quia, etsi sumus a morte liberati, tamen manent in sanctis quoque reliquiae peccati [26]), sequuntur alia varia scandala, item passiones et tentationes variae, intra nos et extra nos. Quare si Deus vellet rigide observare omnia, omni momento irasceretur.

Pertinet igitur hoc eo, ut Deus non velit offendi in eo, quod propter carnem in nobis de peccato reli-

---

23) Opus Dei. 24) Opus nostrum. 25) Deus jucundus etc. 26) Reliquiae peccati in sanctis etc.

quum manet, ne velit ideo vitam et remissionem peccatorum nobis adimere, sed ut potius Deus ipse jucundus ac suavis super nos, nos vicissim super Deo jucundi et suaves maneamus. Hoc enim est ostendere Deum gloriosum, non in se ipso, sed ut nobis jucundus, gloriosus et laetus sit, ac tunc dicitur Deus laetari super nos [27]), cum nos statuimus Deum nobis non iratum, sed amicum et jucundum esse. Est autem haec pernecessaria petitio, quia caro nostra est infirma [28]), cor est pavidum, et conscientia tenerrima, itaque facili occasione conterremur. Deinde quia peccata et poenae peccati quotidianae sunt, satis est occasionum tristitiae et infirmitatis fidei. Cum itaque corda nostra tristantur, dicitur ipse Deus tristari [29]), qui in hoc est mortuus, ut essemus justi, sancti et hilares. Huc itaque pertinet petitio haec, ut dicamus: O domine dedisti nobis filium tuum, hoc donum nobis conserva [30]). Saepe labimur dicto, saepe facto, saepius cogitationibus, haec perturbant nobis gaudium hoc, sive igitur peccamus, sive negligentes et ingrati sumus, maneas Deus noster, idque sic, ut sis נֹעַם, jucundus et suavis, hoc est, ut nos conservemur in gaudio et pace Spiritus sancti.

Alteram particulam versus bis repetit, de confirmando opere manuum nostrarum, forte ideo, ut ostendat diversitatem regni spiritualis et corporalis. Nam secundum eam etiam opera nostra distinguuntur [31]). Alia enim sunt, quae in ecclesia facimus, et alia, quae in domo vel oeconomia vel politia. In ecclesia facimus, quae ad animam et spiritualem vitam pertinent, in domo et oeconomia ac politia, quae pertinent ad vitam corporalem. Ideo videtur in priore particula dicere: Opus manuum nostrarum dirige עָלֵינוּ, super nos, ut significet id opus, quo gubernamur divinitus, et tamen etiam aliquid facimus docendo, consolando, arguendo, judicando, baptizando, communicando etc., quae opera sunt ecclesiae gubernandae, et populi dirigendi in spiritualibus [32]). Quanta autem hujus operis sit necessitas, videmus, ne irruant sectae pervertentes sacramenta et eorum usum,

27) Deum laetari super nos. 28) Caro nostra infirma etc. 29) Deum tristari. 30) Deus jucundus etc. 31) Opera duplicia. 32) Opera ecclesiastica etc.

depravantes verbum etc. Hic profecto opus est, ut Deus hoc opus super nos gubernet ac dirigat, ubi nos quoque operamur aliquid, nec sumus mere passivi, sicut in primo opere Dei. Secundum hanc sententiam accipio, quod dicit: „Confirma opus manuum nostrarum super nos,“ quasi dicat: Postquam sumus justificati, da ut doctrina maneat pura, ne tempore legis lex Mosi per hypocritas evertatur, ne hodie evangelium corrumpatur, et sic Deus et Spiritus sanctus in nobis habitans contristetur.

Verbum כּוֹנֵן significat solidum facere, sicut Petrus loquitur 1. Pet. 5. [4.]: „Deus perficiet et consolidabit vos.“ Sic David appellat[33]) spiritum certum, firmum, qui nihil dubitet, et magno animo amplectatur verbum, ut, sicut Petrus dicit, „qui loquitur, loquatur tanquam sermones Dei, si quis ministrat etc.,“ ne quod dubium in doctrina sit, ne animi ambigant de voluntate Dei erga se[34]), ut cum aliquis petit remissionem peccatorum, et audit promissionem Christi, ne dubitet, quin vere, sicut verbum sonat, peccata ei remissa sint, ac judicet id non simpliciter hominis, sed Dei opus esse. Ad hunc modum in ecclesia, quae aguntur, certa esse debent, non sicut quis aerem verberat, atque hoc vult proprie verbum hoc, quo hic usus est, nos fere vertimus: confirmare. At sane necessaria haec est petitio, quia hoc opus Dei, quod per nostrum ministerium administratur, impugnatur[35]) foris per diabolum, et intus per cor nostrum. Difficile igitur est retinere hanc fiduciam, quod Deus sit jucundus super nos, et de opere Dei nihil dubitare. Qui autem dubitat, neque ad docendum nec ad discendum aptus est, sed est inconstans in viis suis, et jam huc jam illuc rapitur. Orat itaque Moses non sine causa pro confirmatione seu consolidatione operum manuum nostrarum, ut sit certitudo tam in docentibus quam in recipientibus, ut maneat in ecclesia illud solidum firmamentum, contra quod portae inferorum nihil poterunt, et ut omnes certi sint de verbo et opere Dei.

Quod repetit: „Et opus manuum nostrarum confirma,“ accipio de opere politico et oeconomico[36]), ut Deus donet publicam pacem, ne fiat confusio, sicut Pau-

---

33) Psal. 51. 34) Certitudo de verbo et opere Dei. 35) Opus Dei impugnatur. 36) Opera politica etc.

lus monet, orandum esse pro regibus, ut tranquillam agamus vitam[37]). Est autem pace opus[38]) non tantum ad alendum corpus, sed etiam ad educationem et ad docendas ecclesias. Atque hujus rei causa potissimum constitutus est magistratus politicus[39]), ut ejus studio, opera et auxilio retineatur pax, ne aut per dissolutionem disciplinae nulla possit esse educatio, aut per tumultus et bella ecclesiae non possint recte doceri, sicut fit in bello[40]). Nulla enim fides pietasque viris, qui castra sequuntur, et silent leges inter arma, in summa, tota harmonia politiae armis dissolvitur. Orandum itaque est cum Mose pro pace, ut dirigat Deus opera manuum nostrarum, quae non sunt super nos, sed in manibus nostris. Haec enim, quae ad politiam et oeconomiam pertinent, sunt rationi subjecta[41]) secundum sententiam: „Dominamini piscibus maris etc."

Sic orat Moses pro rebus in hac vita necessariis, primum pro remissione peccatorum et vita aeterna. Deinde, quia in hac vita non sumus otiosi, sed anima est confirmanda verbo Dei usque ad mortem, corpus autem in pace alendum, orat, ut pietas[42]) recte doceatur, et pax[43]) retineri possit. Haec cum habemus, vitam aeternam in certa spe, deinde purum ministerium ecclesiae, et post tranquillam vitam seu pacem, tunc habemus omnia, ac vivimus in pace corporis et animae, in fide quotidie crescimus, donec evolamus in coelum. Non autem haec petitio tantum est, sed est etiam promissio, sicut alias de orationibus a Spiritu sancto in sacris literis praescriptis disputavimus.

Habetis hunc psalmum, quantum dedit mihi dominus, explicatum. Posthac genesin explicabimus, dum dominus vitam prorogaverit, ut sic tandem feliciter moriamur in verbo et opere Dei, id quod faxit Deus et liberator noster Christus Jesus, amen.

Curabo volente Deo, ut idem psalmus a piis, latinae linguae imperitis, in sua vernacula legi possit. Continet enim doctrinam utilem et necessariam, quam magnopere refert scire..

37) 1. Tim. 2. 38) Pacis commoda. 39) Magistratus. 40) Belli incommoda. 41) Opera rationi subjecta. 42) Pietas. 43) Pax.



